This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

600062628U



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

In singulis verbis intuendum est ut sint latina, perspicua, ornata, ad id quod efficere volumus accommodata. . . . . Perspicuitas in verbis praecipuam habet proprietatem.

QVINTIL. Inst. Orat. VIII, 1 et 2.

Digitized by Google

AVSONII POPMAE

FRISII

DE DIFFERENTIIS VERBORVM

cum additamentis

IOANNIS FRIDERICI HEKELII

ADAMI DANIELIS RICHTERI

IOANNIS CHRISTIANI MESSERSCHMIDII

et

THOMAE VALLAVRII

qui opus diligentissime recognitum emendavit



AVGVSTAE TAVRINORVM

EX OFFICINA REGIA

AN. M. DCCC. LII.

305. e. 48

Digitized by Google

Digitized by Google

THOMAS VALLAVRIVS

L. S.

Iamdiu de hoc libro evulgando cogitabam, additis nonnullis, quae latini scriptores diligenter inspecti me saepius admonuissent. Sed quum intelligerem, romanas litteras segnius in dies excoli, easque scriptiones sordere, quae ad φιλολογίαν, quam vocant, potissimum pertinerent, profligatum iam opus

Digitized by Google

in hanc diem maturescere passus sum, nequid temporibus absurdum forte molirer. Nunc vero quum politiorum litterarum studia legibus nuper dictis rectius sint ordinata, et multo frequentiores quam antea in disciplinam nostram ingeniosi adolescentes conveniant, optimum factu existimavi, si Popmae librum, accessionibus locupletatum, latinae elegantiae studiosis tandem proponerem. Quamvis enim iam inde ab ineunte saeculo XVII Lugduni Batavorum primo editus, insequentibus annis pluries apud Germanos atque apud Italos prodierit; huius tamen exemplaria sic fere desiderantur, ut studiosius iam conquisita, impensissime ab elegantioribus sint comparanda. Adde quod editio taurinensis, quae iam ab anno superioris saeculi trigesimo nostrorum manibus praesertim terebatur, tot mendis iisdemque gravissimis scatet,

Digitized by Google

ut nescias ferme quid in illa sit potissimum tenendum, quid repudiandum. Quapropter exemplar secutus, quod anno MDCCLXIX apud Saxones emittendum curavit Ioannes Chr. Messerschmidius cum suis aliorumque additamentis, aliqua passim emendavi, alia novum in ordinem digessi, et complura demum inserui, quae in superioribus editionibus studiosi requirunt. Quo facto iam mihi videor hominibus nostris operam navasse, qui germanam latinitatem adamare consueverunt. Constat enim, vel illos, qui diu multumque in romanis scriptoribus essent versati, si forte ad latine scribendum se conferrent, haud ita facile teretes ac religiosas aures tenuisse, ubi animum ad verborum differentias ac proprietatem sedulo non advertissent. Itaque, nisi barbarorum factioni assentiaris, quae latinas litteras

Digitized by Google

aversatur, retractatum hoc Batavi litteratoris opus benigno vultu te excepturum, candide Lector, neque omnem labori meo veniam denegaturum confido. Vale.

Dabam Augustae Taurinorum, Nonis Ianuariis an. M. DCCC. LII.

Digitized by Google

AVSONII POPMAE

DE

DIFFERENTIIS VERBORVM

A

A vel *AB*, et *De* ita differunt, ut *A* notet causam efficientem, cuius vi res est, vel id, unde quid venit, ut Cic. Acad. IV. 33: Mare quia nunc *a* sole collucet, albescit et vibrat. *De* vero materiam, de qua agitur, vel motum ab una re ad aliam. Cic. Divin. II. 2: Liber *de* contemnenda morte.

ABDICARE dicitur (l. 6. pr. C. de Patria Pot. pr. Inst. de E. L.) pater filium, quem, se vivo, repellit a bonis et quasi extra familiam eiicit, vel quem privat omni iure filii. *Exhaeredare* est eum, qui alioquin haeres futurus esset post mortem testatoris, ab haereditate excludere, vel tantum submovere ab haereditate; itaque quisquis abdicatus est, idem est exhaeredatus, sed non contra. Hinc *Abdicatio*, quae adoptioni opponitur, et transfertur quoque ad alia, est liberorum abalienatio, quae patri olim permittebatur ex causa apud iudices probata, ut, si filius paternae voluntati repugnasset, si malitiose aut nequiter egisset; *Exhaeredatio* est suorum haeredum ab haereditate et succedendi iure exclusio. Sueton. Aug. LXV: Agrippam brevi ob ingenium sordidum ac ferox *abdicavit*, seposuitque Surrentum.

Digitized by Google

ABESSE et DEESSE ita differunt, ut *hoc* necessario requiratur, *illud* non item. Cic. Brut. LXXX, de M. Calidio oratore, qui docere et delectare auditorem poterat, movere non poterat: Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, *abfuit;* si opus erat, *defuit.* Paraeus. R.

ABGREGARE est a grege, *Adgregare* ad gregem ducere, *Segregare* ex pluribus gregibus partes seducere, unde et *Egregius* dicitur e grege lectus. Fest. R.

ABIGEVS vel ABACTOR est, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis, vel stabulis subtrahit seu abducit, et quodammodo depraedatur (1): *Fur* est, qui clam, et ignorante domino rem alienam surripit: *ille* gravius peccat et punitur; *hic* levius. Ulp. de Offic. Procons. lib. VIII. I. I. D. de Abig. l. IX. § 4. D. Locati. *Abigei* proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, et quodammodo depraedantur, et *abigendi* studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes. Claudius de Poenis Pagan. l. XVI. D. de Poenis: Quantitas discernit *furem* ab *abigeo.* Nam qui unum suem surripuerit, ut *fur* coërcebitur; qui gregem, ut *abigeus.*

ABIGO ut pecudem, unde et *abactores* dicti sunt, *Mitto* ut hominem. Donat. R.

ABIVRARE est rem creditam periurio negare. *Eiurare* est iuramento recusare, vel reiicere, seu quod facere nolis, iurando negare. Plaut. Curcul. IV. 2. 10: Qui *abiurant*, si quid creditum est. Id. Fragm. apud Fest.: *Eiuravit* militiam. Tacit. Ann. XII. 4: *Eiurare* magistratum. Inde *abacti* magistratus dicti, qui ita se magistratu exuebant. Quae quidem *eiuratio* fiebat fractis ante fascibus, ut Dio. Lib. LIX. R. Sic *eiurare* iudicem solebant, qui iudicem ut sibi iniquum reiiciebant, et *eiurare* bonam copiam dicebantur, qui solvendo non

(1) Crimen *Abigeatus* dicitur. *Plagiarius*, qui aliena mancipia, seu liberos, abducit; crimen *Plagium* dicitur. *Peculator*, qui de Principis, aut populi aerario suffuratur: crimen *Peculatus* est. *Sacrilegus*, qui sacra, sive de sacro loco tollit aliena: crimen *Sacrilegium. Praedo*, qui vi capit. *Latro*, olim *Miles mercenarius*, qui in belli speciem ferro grassatur. *Pirata* conductus ab archipirata facit idem in mari. *Raptor*, scienti et invito, vi et palam bona aufert.

Digitized by Google

erant, cum iureiurando palam affirmabant, sibi copiam et facultatem dissolvendi aeris alieni minime suppetere; atque ita liberantur a nexu et servitute creditorum. Cic. in Phil. xii: Me iniquum *eiurabant*, et de me querebantur. Id. ad Paetum: Quod mihi bonam copiam *eiures*, nihil est. Varro L. L. vi: Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debebat, dat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus. Hoc C. Poetilio Visolo rogante sublatum ne fieret, et omnes, qui bonam copiam *eiurarent*, ne essent nexi, dissoluti. Sed *periurare*, seu *peierare*, est falso iurare; *Deiurare* autem, seu *deierare*, est valde iurare. Vid. Plaut. in Menaech. v. 2. 63.

Ablegamvs, quos paullisper abesse praestat, v. g. *ablegamus* filios studiorum gratia. Ter. Hecyr. iii. 3. 54: Aliquo mihi est hinc *ablegandus*, dum parit Philumena. *Allegamus* in rebus privatis, Cic. Verr. iii. 57: Petit a me, et amicos *allegat*. *Legamus* in rebus publicis, Sall. Iug. xxii: In Africam *legantur*, qui ambos reges adeant.

Abominari idem est, ac, ut malum omen, aliquid detestari et aversari, veluti quum dicimus: Si quid tibi acciderit humanitus, quod Deus prohibeat. Omen enim est futurae rei signum, et sumitur inprimis ex eo, cum verbum praeter intentionem excidit, eventum post secum trahens. *Detestari*, avertere ac depellere, cum quadam contestatione doloris. Ita et *Detestatio* scelerum. Cic. Phil. iv. 4: O Dii immortales, avertite et *detestamini* quaeso hoc omen, Id. Catil. I. 11: Nunc a me, P. C., quandam prope iustam patriae querimoniam *detester* ac deprecer. R. *Detestari* vero est exsecrando aliquid iniquum esse testari, et usurpatur potissimum de factis; illud contra de verbis. *Hoc* videtur maius esse; *illud* autem minus. H.

Abortvs dicendus est, qui fit primis mensibus, cum conceptui exordium est factum. *Abortus* prope tempus pariendi. Tunc enim moritur, quod nascitur. Non. Marcell. Addi potest Paulus 7. Sent. tit. 9. § 6. l. 6. et ibi Goth. C. de posth. Her.

Abrogare est legem perlatam prorsus consensu publico tollere. *Derogare* est aliquid rogatae legi detrahere, vel deminuere de vi et effectu legis, nova scilicet lege. *Obrogare* est aliam legem ferre, prioris legis infirmandae causa. *Anti-*

Digitized by Google

quare est legem promulgatam reiicere, non accipere (l. 102. D. de Verb. Sign.). Cic. de Rep. iI: Huic legi nec *obrogari* fas est, neque *derogare* ex hac aliquid licet, neque tota *abrogari* potest. Id. ad Att. iI: *Abrogare*, *derogare*, *obrogare* sine fraude sua non liceat. Liv. xxiI. 30: Itaque plebiscitum, quo oneratus magis, quam honoratus sum, primus *antiquo*, *abrogoque*. *Abrogat*, qui alii aufert. *Arrogat* aliquid sibi, etiamsi non meruit, vel *rogando* plus sibi, quam decet, sumit. Front. *Exrogat*, qui ex lege veteri aliquid eximit per legem novam.

Absolvere est negotium peragere, seu rem ad exitum quoquo modo perducere; *Perficere* (1) autem est faciendo *absolvere*, seu finem rei imponere, nihil ut desit, quod plus est; sicut *Perfectum* plus est, quam *Absolutum*. Cic. de Nat. Deor. iI. 36: In omni natura necesse est *absolvi* aliquid, aut *perfici*. Ulp. viI. ad Legem Iuliam et Papiam; l. 139. D. de Verb. Sign. *Perfecisse* aedificium is videtur, qui ita consummavit, ut iam in usu esse possit. Sic *Perfectus* artifex perficit suum opus ad perfectionem usque; *Iners* autem relinquit omnia imperfecta, aut semiperfecta.

Abspvlsvs est ab aliquo pulsus. *Repulsus* retro pulsus. Front.

Abstinere est inhibere manus et animum a rebus alienis. *Continere* (2), quod proprie idem est, ac coniectum tenere, est temperare a cupiditatibus, et illecebris voluptatum. Unde *Abstinentia* est virtus, qua temperamus ab alienis, seu ab alieno abstinemus, cui opponitur Rapacitas. *Continentia* est, qua ratio temperat affectui, praesertim circa voluptates corporis, vel proprie circa libidinem, quam Graeci vocant ἐγκράτειαν, cui contraria est ἀκρασία, continentia, seu, quae cupidita-

(1) *Perficere*. Ciceroni aliisque optimae notae scriptoribus verbum hoc est idem, quod efficere aut conficere. Orat. pro Verr. iv. 32: Verresne habebit domi suae candelabrum Iovis e gemmis auroque *perfectum? Perfectus* non est idem, quod τέλειος graece, sed idem quod *effectum*. Vulgo igitur hodie dicunt *perfectum* et *perficio*, quod graecis est τέλειος et τελέω. Raro enim hac significatione apud Ciceronem occurrunt, pro quibus Cicero dicit: ad exitum perducere, perpolire, conficere, complere, confectum et absolutum. R.

(2) *Abstinere* generalius usurpatur, *Continere* specialius, in primis a cupiditate et libidine. *Continens* de eo, qui non studet potationibus aut amationibus. Plaut. Most. I. vers. 30. R.

Digitized by Google

tes refrenat, ac rationis imperio subiicit. *Haec* in viro temperante est; *illa* in innocente. Sed Temperantia genus est ad omnium affectuum moderationem pertinens. Grisan. obs. 291. Valla IV. 21. (1) Cic. ad Q. Fr. I. 11: Esse *abstinentem, continere* omnes cupiditates praeclarum est. Sall. Catil. LIV. Cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente *abstinentia* certabat. *Abstinere* ab haereditate dicitur suus. *Repudiare* extraneus. Pass. tit. I. de Her. Qual. et Diff.

ABVNDAT, non quod superfluum est, sed quod est copiosum et cumulatum; *Redundat* autem, quod est superfluum, seu supervacaneum. Gocl. H.

ACCEDO tibi, eadem tecum sentio. *Accedo* te, et ad te, est ad te venio. Fl. Sosip. (2).

ACCENSVS (3) est minister publicus, cives ad concionem acciens, i. e. vocans; *Praeco* autem vocans ad comitia. Alex. ab Alex. Gen. Dier. I. 27.

ACCEPTILATIO est omnimoda liberatio, licet pecunia soluta non sit. *Apocha* non alias, quam si pecunia soluta sit. L. XIX. de Acceptil. Ideoque haec est schedula, qua creditor testatur, sibi satisfactum esse a debitore. Quamquam *Acceptilatio* pro ipsa acceptae satisfactionis testificatione nonnunquam etiam sumitur. *Solutio* est naturalis datio; *Acceptilatio* civilis. Gothofr. et Vult. ad L. v. de Acceptil.

ACCERSI dicitur uxor ad maritum, *abduci* a marito ad divortium. Virg. Aen. X. 79: et gremiis *abducere* pactas. R.

ACCERSO, et ARCESSO quidam, inter quos Agraetius, putant

(1) Sed *abstinentia* et *continentia* a veteribus confunduntur.

(2) *Accedere* est proximum fieri. *Aspirare* in eam partem, qua quid quaesitum est, vultum et oculos, ac spiritum oris advertere. Paedian. Itaque *Aspirare* plus est, et significantius, quam *Accedere*, et minus, quam *Pervenire*, cum dicitur: Ad apicem philosophiae *aspirare* potius, quam *pervenire* mediocribus ingeniis conceditur.

(3) *Accensus* significat apparitoris genus lautissimum. Erant enim apparitorum in numero scribae, accensi, viatores, praetores, lictores, etc. Qui consules ac praetores sequuntur in castra, *Accensi* dicti, quod ad necessarias res acciuntur, veluti accersiti. Varro apud Nonium. *Accensus* nomen est ordinis et promotionis in militia, ut nunc dicitur, princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. Haec enim nomina de legionaria militia sumta sunt. Paedian. R.

Digitized by Google

hoc differre, quod *Accersere* sit vocare, *Arcessere* autem accusare, in quo magnopere falluntur. Namque *Arcessere* duplicem significationem habet, fitque ab Arcio, quod veteres dixerunt pro *Accio*, vel *Adcio*, ut in aliis quoque multis vocibus *Ar* pro *Ad* usurparunt, auctore Prisciano. Hinc Sallustius amantissimus antiquitatis, *Arcesso* usurpat in utraque significatione, ut in Catil. XL, pro vocare, vel vocatum ire: Praeterea Gabinium *arcessit;* et in Iug. XXXII, pro accusare: Quos pecuniae captae *arcessebant*. Quo modo et in aliorum auctorum libris veteribus fere semper scribitur (1). Alii, inter quos Papirianus Grammaticus, volunt, *Arcessere* esse submovere et repellere, a quibus merito nobiscum dissentit Velius Longius: In eo quod est *Arcesso* et *Accerso*, inquiens, putaverunt quidam differentiam esse, ut *accerso* sit Voco, tractum ab acciendo, *arcesso* Submoveo, ab *arcendo* tractum. Sed erraverunt. *Arcesso* enim pro eo, quod est *arceo*, nusquam positum est.

Accessvs est aditio, sive appropinquatio; *Accessio* vero est plerumque quasi adiectio et incrementum, sive augmentum. Unde *Accessionem adiungere* est incrementum addere. E contrario vero *Decessio* significat deminutionem et detractionem. Cic. de Nat. deor. II. 7: Solis *accessus* discessusque solstitiis brumisque cognoscitur. Id. Univers. VI: Neque enim ulla *decessio* fieri poterat, neque *accessio*. Sic Iurisconsulti l. 34. pro D. de contrah. Emt. l. 13. § 3. D. acqu. Poss. l. 43. D. de Solut. § 26. 34. Inst de Rer. Divis. personas, aut res, quae aliis adiunguntur et accedunt, vocat *Accessiones*, sive *Accessorium*, eoque verbo in obligationibus et emtionibus

(1) *Accersere* valet tantum vocare. Hoc observatum non indignum, quod interdum uno C. nempe *acerso* reperiatur. Terentius semper utitur *accerso*, nunquam *arcesso*. Officinatores librarii semper fere *accerso* impresserunt, repugnantibus licet libris manuscriptis; cum tamen Ciceroni aliisque eius aequalibus, atque etiam recentioribus, *arcesso* magis sit usitatum. Utriusque autem eadem est notio. Namque *arcesso* ponimus pro eo quod est *vocare* et *accusare*. Praeterea *arcesso* de rebus, ut libro, vino, idem valet quod peto, aliunde sumo: ut *arcessitum* Ciceroni idem est quod, externum, aliunde petitum ac sumtum, adventitium: cui domesticum respondet. Vid. Paraei Lex. Critic. R.

Digitized by Google

crebro utuntur, et medici incrementa morborum nominant *Accessiones*. Plin. H. N. XXIII. 25: Id dandum quidam non nisi in *accessione* censent, alii in remissione. Maris autem *Accessus* et *Recessus* dicitur, cum ad nos affluit et refluit.

ACCIDIT id, quod mali fortuito atque ex improviso, vel praeter spem evenit. *Contingit* id, quod pulcri comitatur, subsequiturque quasi praecedentium causarum eventum. Sen. Ep. CX: Scies plura mala *contingere* nobis, quam *accidere*. Quoties enim felicitatis causa et initium fuit, quod calamitas vocabatur? Quoties magna gratulatione excepta res gradum sibi struxit in praeceps, et aliquem iam eminentem allevavit etiamnunc, tamquam ibi adhuc staret, unde tuto caderet? Frequenter tamen haec verba idem significant, ut in illa vulgari formula, qua mors denotatur: si quid *acciderit*, vel, si quid humanitus *contigerit*. Suet. Aug. CI: Iulius filiam neptemque, si quid his *accidisset*, vetuit sepulcro suo inferri. Scaevola Digest. 20. l. 30. D. de Alim. Leg. Sive in provincia, sive in via aliquid mihi humanitus *acciderit*. Ib. Si quid ei humanitus *contigerit*, do, lego, darique eis volo. *Accidere* aliquid adversi, *Contingere* aliquid pulcri dicitur. Fl. Clarus. Evenire utrumque. Agroet. (1).

ACCIPIMVS ab alio, quod datur, seu rem datam capiendo tollimus. *Sumimus* ipsi, quod ante positum est. Sallust. in Iug. LXXI: Epistolam super caput temere positam *sumit*. Cic. ad Fam. I. 1: Quod dat *accipimus*. *Accipere*, generaliter de *Accipiente* dicitur. *Acceptare* (2) de frequenter *Accipiente*. l. x. § 3. ff. de Ann. Legat. Sic *sumimus* alimoniam, ut consumamus. *Sumimus* pecuniam, ut insumamus in necessarios sumtus, uti per leges sumtuarias licet.

ACCLAMATIONES, erant faustae et secundae, aut contume-

(1) Haec differentia tamen non est perpetua; nam *accidere* etiam de re grata usurpavit Cicero saepenumero, v. g. Ep. ad Attic. I. 5: Mihi omnia, quae iucunda ex humanitate alterius et moribus homini *accidere* possunt, ex illo *accidebant*. Id. pro lege Man. IX: Quod ei praeter spem *acciderat*. Ita et *contingere* ad illa accommodare solet, quae adversa et acerba accidunt, L. XI. ep. 16. Off. II. 14. 19. de Senect. XVIII.

(2) Quare Iurisconsulti eo utuntur de annuis reditibus, qui saepe recurrunt. R.

Digitized by Google

liosae, infaustae ac graves. Differebant vero a *Plausu*, quod 1° *Plausus* daretur manibus, vocibus fierent *Acclamationes;* quod 2° *Acclamationes* fierent aliquando absentibus, *Plausus* tantummodo praesenti. Caeterum *Acclamationes* raro sine *Plausu* fiebant, vel sine *Acclamatione Plausus.* Dio. Aug. LIV: Populum obiurgavit, quod *plausu* et laudibus eum (Caium) prosecutus esset. Sen. Epist. LIX: Sicut *plausus* et *acclamationis* faustae favor. R.

ACCOLAE sunt, qui iuxta montem, flumen, lacum aut mare habitant: ut *Accolae* Tauri, Rheni etc. *Incolae*, qui in urbe, aut pago alieno habitant. Graecis dicti πάροικοι. *Indigenae*, qui illic habitant, ubi nati sunt, quos Graeci vocant Αὐτόχθονας. *Advenae*, qui aliunde quopiam commigrarunt ad aliam gentem. Sed *Inquilinus* est, qui in alieno privato habitat, praecipue conducto. *Incolae* enim et *Accolae* recipiunt *Inquilinos*, quos volunt. H.

ACCVMBERE poëtarum est, *Accubare* oratorum, observante Buchlero. Est tamen *accumbere* etiam Cornelii Nepotis, nec ipse Cicero hoc verbum reformidat.

ACCVMBERE aliud est, quam *Sedere.* Nam qui *accumbit*, neque stat, neque ambulat; sed medium quiddam facit L. 124. de verb. sign. Viri coenabant *accumbentes*, mulieres *sedentes* (1). Turpis enim visus est in muliere *accubitus.* Coel. Rhodig. Antiq. Lect. XIV. 58. (2).

(1) *Sedere* etiam iudicum proprie est et praetorum. Cic. Cluent. XXXVIII: Si quis quaereret, *sedissentne* iudices in C. Fabricium. Vid. Polleti Forum roman. p. 36. Edit. Lugd. R.

(2) Antiquiores autem non *accubuisse*, sed potius *sedentes prandisse atque coenasse* Athenaeus (Lib. VIII. Deipnosoph. p. 363. Edition. Dalechamp.) probatissimus testis est. Et hoc in primis factum esse coniicimus, quoniam sibi persuadebant, deos ipsos in eiusmodi conviviis praesentes esse, ideoque festivitates illas κοσμίως καὶ σωφρόνως, hoc est, decore temperanterque celebrandas autumabant. Quapropter ad ebrietatem usque etiam non bibebant, sed, libatione prius peracta, tantum quisque bibebat, quantum illi suadebat animus, ac deinde singuli domum abibant. Leg. Io. Guil. Stukii Lib. I. Antiq. Conv. c. 33. fol. 125. fac. b. Edition. secundae. Quomodo autem *Accumbere*, *Recumbere* et *Discumbere* differant, vid. denuo Stukii Lib. II. c. 34. fol. 268. fac. a. Sunt, quos inter Acron in primis, qui dicant, *Accumbere* esse deorum, *Discumbere* vi-

Digitized by Google

ACCVSARE est aliquem criminis in iudicio reum facere, seu facti causam alicui tribuere. *Incusare* (1) autem est factum seu mores alterius privatim reprehendere, vel de illata iniuria querelas deferre (l. I. D. de Accusat.) Caes. B. G. I. 40: Omnium ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus, vehementer eos *incusavit*. Sed haec cum translaticie usurpantur, tum fere confunduntur. Sall. Iug. I: Ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas *accusatur*. Tac. Ann. I. 35: Angustias stipendii, duritiam operum *incusant* (2).

ACCVSARE est agere causam; et reum in iudicium adducere. *Deferre nomen*, est reum facere; id proprie fit ante accusationem. *Crimen denunciare* ad magistratum. Goclen. R.

ACCVSATIO non solum criminis ad iudicem delatione, sed et eiusdem persecutione ad finem usque iudicii, vindictae publicae causa, ab accusante suscepta atque peracta absolvebatur. *Delatio* autem requirebat solemnem nominis delationem cum solemni inscriptione et subscriptione, quae et libellum, et litis contestationem complectebantur, solemnes item probationes, easque luce meridiana clariores.

rorum; ferarum autem *Recumbere*. Quam differentiam omnino vanam atque ridiculariam esse classicorum scriptorum auctoritas, contrariis exemplis de quovis passim allatis, iampridem comprobavit. Nos putamus, hoc tantum interesse inter duo illa priora, *Accumbere* et *Discumbere*, ut videlicet *hoc*, de loco honoratiore vel de superioribus: *illud* autem de minus honorato vel de inferioribus convivis optume dicatur, sicuti colligere est ex Iac. Cruquii Enarrationibus ad Horat. Sat. II. 8. 20. et Fulvii Ursini Appendice ad Petri Ciacconii Toletani librum de Triclinio. De ipso autem *Discumbendi* modo videantur ipse Horatius l. c. Ciacconius p. 24. seq atque Iustus Lipsius in Tractatu peculiari, qui de Ritu Conviviorum apud Romanos est inscriptus, et septem aliis ad cognoscendam historiam romanam apprime utilibus Tractatibus insertus, p. 118. seq. Edition. Francof. *Recumbere* autem idem esse, ac toto corpore, composito iacere, quo facilius quis somnum possit capere suavissimum, iam alibi ostendimus.

(1) *Accusare* notat culpam, *Incusare* mores. R.

(2) *Accusatio* inimicorum est, *Incusamus* et amicos. *Utrumque* refertur ad rem et personam, ut: *Incusat* tuum silentium, *Incusas* me, quod nihil scribam. *Accusas* tuam contumaciam, *Accusas* te de contumacia. Valla Eleg. VI. 13.

Digitized by Google

ACCVSATOR verus intelligitur reiiciens malos, et retinens bonos. *Index* est, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita. Paedian. *Accusator* interdum idem fere, quod delator seu *Index*, vel is, qui accusandi artem factitabat, quod turpe fuit Romae. Quare Cicero *Accusatorem* et *Indicem* saepe coniungit. Paraeus. *Accusator* in caussis publicis dicitur potius, ut in privatis *Petitor*. Gocl. R.

ACER et VEHEMENS eadem videntur. Aliter Ciceroni visum de clar. orat. CV. et CVII. Vid. Vavassor. Antibarb. p. 468. Distinguit etiam Svetonius Galb. IX: Primo *acer*, vehemens, et in coërcendis quidem delictis vel immodicus. Igitur *vehemens* in hac gradatione plus est *acri*. *Acer* homo opponitur leni ac miti, segni quoque et pigro. Strenuum itaque, et in urgendo proposito constantem designat, ac qui nihil indulget, nihil connivet, nihil remittit, et saevo propior est. *Vehemens* autem, quod a vehendo est, nisum violentiorem et obvia propellentem denotat. Cicero Tusc. IV. 23. *τὸ acriter* posuit post *vehementer*, at cap. 24 contrarium fecit.

ACERBVM est, quod fit in personam, *Iniquum*, quod in legem. H.

ACEROSVM et ACERATUM, utrumque nove positum, sed distanti proprietate signatum. *Acerosum* namque panem farre minus purgato, ac sordibus a candido separato dicendum, veteres putaverunt. Lucil. XXV.

Quae gallam bibere ac rugis conducere ventris
Farre aceroso, *olei decumano pane coëgit.*

Hunc Graeci *ὑπόπυρον* vocant. *Aceratum* vero est lutum paleis mixtum, quo utuntur laterarii. Lucil. ap. Non. v. 97.

Nam laterem qui ducit, habet nil amplius unquam
Quam commune lutum e paleis, coenumque aceratum. R.

ACERRA et THURIBULUM fere pro iisdem habentur. Festus *acerram* dicit esse aram, quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant. Alii arculam, inquit, esse dicunt thurariam, ubi thus reponebant. Antiquitatum scriptores ita distinguunt, ut *acerra* sit arcula thuraria, *thuribulum* vero, quo thus adoletur. V. Nieup. Antiq. Rom. IV. 3. 10.

ACERVVS rerum minutarum est, ut frumenti et leguminum, aut pomorum, aut nummorum. Virg. Aen. VIII. 562. *Acervum*

Digitized by Google

scutorum dicit. *Strues* est lignorum. *Strages* cadaverum simul iacentium. Ideoque dicitur *stratorum* in bello multitudo. *Sarcina* utensilium simul compositorum. *Fascis* item rerum simul colligatarum ad gestandum. *Onus* est, quidquid onerat portantem, vel quod portatu grave est. Dicuntur et plaustrorum et navium *Onera*. Unde Cornelius Fronto *Onus* vehiculorum et maius esse; *Sarcinam* autem hominum dicit. *Congeries* generale nomen est. *Cumulus* est ingens vis rerum compositarum. *Thesaurus* (1), proprie rerum sepositarum ad custodiam. *Mundus* est composita vis earum rerum, quibus ad ornatum utuntur foeminae.

Acies, est oculi, vel militum, vel ferri, *Acumen* ferri et mentis. R.

Acini densius nascuntur; *Baccae* (2) autem rarius. Sic grana uvae, hederae, sambuci, mali punici et similium dicuntur *Acini*; contra fructus lauri, olivae, myrti, iuniperi ac similium *Baccae*. H.

Acta (3) erant res minores, quae in urbe fiebant, et in

(1) *Thesaurus* vocatur omne id, quod congregatur studio, et singillatim in acervum componitur. Etiam de pessimae rei copia dicitur, teste Marcello. R.

(2) *Bacca* videtur etiam dici de omni arborum fructu. Ovid. Metam. x. 98: Et bicolor myrtus et *baccis* caerula ficus. Cic. Tusc. I. 14: Ergo arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet *baccam* ipse nunquam. Cic. Div. I. 51: Nec fruges terrae *baccasve* arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset. Haec differentia depromta est ex Vallae IV. 28. Sed omisit, quod idem Valla notavit, haec vocabula indifferenter poni. Nam grana ebuli etiam inter acinos numerantur, et Virgilius tamen Ecl. x. 27. habet: Sanguineis ebuli *baccis*, minioque rubentem.

(3) *Acta* proprie magisque usitate dicuntur de iis, quae in pace, in senatu, iudicio, foro, republica quis egerit. Cic. Philipp. I. 7. *Actum* dicit, quod rarum: Ecquid est, quod tam proprie possit dici *actum* eius, qui togatus in rep. cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? Ovidius aliique postea *acta* etiam de quolibet privato usurpant, contra usum veterum. *Acta* a recentioribus et in Iure pro ipsis commentariis et monumentis actorum sumuntur. *In acta mittere*, proverbii speciem habet pro divulgare, publicare. Senec. de Benef. II. 10. Beneficium in acta non mitto. Sallustius hoc verbo, *acta*, utitur de rebus gestis in bello, ut in Iugurtha LIII: Milites alius alium laeti appellant, *acta* edocent atque audiunt. Et Cic. Orator. XV.

Digitized by Google

scripta et codicillos atque testamenta redigebantur, ut *acta* senatus, in quibus perscriptum erat, quidquid in senatu diceretur agereturque, et *acta* populi, quae et publica, et urbana, et κατ' ἐξοχήν *acta* appellantur, in quibus singulis diebus notabantur res populi, ut comitia, iudicia publica, matrimonia, divortia et alia complura. *Gesta* sunt res maiores, quae domi et militiae geruntur in ostentationem virtutis heroicae nominisque mansuri gloriam, ut *Gesta* Alexandri, *Gesta* populi rom. ut quidem Valla tradit. Svet. Caes. xx: Primus omnium instituit ut tam senatus, quam populi diurna *acta* conficerentur et publicarentur. *Actum*, et *Gestum* ita distinguit Antistius Labeo, ut *actum* sit, quidquid agitur, aut re, ut numeratione pecuniae, aut verbis, ut stipulatione; *gestum* autem significet rem sine verbis gestam. Quam subtilem differentiam improbat Ulpianus, et *gestum* latissime accipit pro omni contractu, sive re, sive verbis quid actum sit, ut in Edicto Praetoris: Quod cum minore, quam xxv. annis, natu *gestum* esse dicetur, *Gestum* interpretatur qualiter *actum*, sive contractus sit, sive quid aliud contigit. §. 2. de V. S. Alias *Actum est*, de rebus deploratis dicitur: Ut: *Actum* est de republica, vel de litteris. Graeci dicunt πέπραχται. *Agere* enim interdum ad fortunam et conditionem pertinet. Ut: Quid *agitur*, i. e. quomodo vales? Quid *agunt* tui? Graecis dicuntur εὐπράττειν, quorum res cedunt prospere.

Acta et Litus differunt. Non enim omnia litora sunt acta, sed secretior amoeniorque litoris secessus Corn. Nep. viii, refert, Agesilaum in *acta* cum suis accubuisse, sine ullo tecto, quum in Aegyptum ivisset, stratumque habuisse tale, ut terra tecta esset stramentis. Ad quem locum ita commentatur Cellarius ἀκτὴ litus maris Homero saepe, etiam ripa tiberiana Dionysio Halicarnasseo lib. x. f. 677. Cicero Verr. vii. 25: In acta cum mulierculis iacebat ebrius; et 31: Uxorem eius tot in acta dies secum habere; quod paullo ante dixerat litus in insula Syracusis post Arethusae fontem, amoeno, et ab arbitris remoto loco. Virg. Aen. v. 613:

> *At procul in sola secreta Troades* acta
> *Amissum Anchisen flebant.*

Digitized by Google

Prudent. adv. Symmach. I. 136:

Invenit expositum secreti in litoris acta.

Tacitus Hist. III. 76. amoena litorum dixit pro eo, quod Cicero, et reliqui auctores *actas* vocant.

ACTARII, inquit Velius Longus, appellantur scriptores actorum. *Actuarii* sunt hi, qui actum agunt. (l. 7. D. de Minor.) Quae differentia, meo quidem iudicio, ineptaest. Nam *Actuarii* dicuntur, qui acta per notas scribebant, excipiebantque orationes oratorum. Svet. Caes. LV: Augustus existimat magis ab *Actuariis* exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam. Sen. Ep. XXXIII: Non quidem haec, quae alienis verbis commodatur, et *Actuarii* vice fungitur. Eos autem, qui actum agunt, administrant, aut gerunt (nam haec promiscue iurisconsulti efferunt), non *Actuarios*, sed *Actores* dici constat, ex Plinio, Tacito et aliis.

ACTIONE reos pulsamus in iudicio personali; *Accusatione* in iudicio criminali; *Petitione* in reali; *Persecutione* in extraordinaria petitione. (l. 28 de Obl. et Act. Godd. l. 19. ad l. 173.) Itaque *actio* in personam est, *accusatio* in crimen, *petitio* in rem, *persecutio* ad extraordinarias magistratuum cognitiones pertinet. *Actio* vero *uxoria* differt ab *actione de dote*, quod *illa* ad dotem tantum pertinet, *haec* etiam ad peculium et patrimonium uxoris. R.

ACTIO ab *interpellatione* hoc differt, quod illa est ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur; *Interpellatio* est extra iudicium petitio, quae extra ordinem fit, id est, praeter legitimum et ordinarium iudiciorum morem. V. Gutherius de iure manium, p. 479.

ACTOR (1) est qui aliquid agit, seu qui rem gerit et exsequitur. *Auctor* qui aliquid primus et praecipuus instituit. *Ille* opera, *hic* consilio curat. Cic. Sext. XXVIII: Cato dux et *auctor* et *actor* rerum illarum fuit. Corn. Nep. in Att. III: Hunc enim in omni procuratione reip. *auctorem actoremque* habebant. Sallust. Catil. III. Tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et *auctorem rerum*. Ubi *Auctor rerum* est quasi

(1) *Auctor*, qui agit aut loquitur. Plaut. Bach. II. 2. 35. *Auctor* idem fere est, quod effector testisque. R.

Digitized by Google

origo et principium, a quo materia scribendi, ut *Auctor* nobilitatis, salutis. Tacit. III. Ann. 3. dum voluit imitari Sallustium, minus latine dixit, *Auctorem rerum* pro scriptore (1): Non apud *Auctores rerum*, non diurna actorum scriptura reperio. Id. ib. III. 30: C. Sallustius rerum romanarum florentissimus *auctor*.

ACTOR est, (l. 5. §. 3. D. de Doli mali Except.) qui rationes domesticas, et accepta expensaque peculiariter administrat, licet publicus quoque sit, et aliarum rerum actum gerat, qui interdum exprimitur, ut *Actor* bonorum, *Actor* praediorum et fundorum in libris iuris, *Actor* summarum in Svetonii Domitiano. *Procurator* (2) est, qui omnia negotia forensia pariter et domestica procurat, cuius potestas latissime patet. Plinius Epist. III. 19: Sub eodem *procuratore*, ac pene iisdem *actoribus* habere. Id. Paneg. XXXVI: Dicitur *actori*, atque etiam *procuratori* tuo, in ius veni, sequere ad tribunal. Salvianus Lib. IV. de Provid. div. Pavent quippe *actores*, pavent *procuratores*.

ACTUARII et AB ACTIS, hoc est scribae, differunt. *Actuarii* proprie erant, qui compendiosis notis et minutis signis scripturam excipiebant. Svet. Caes. LV. Conf. Lips. Epist. ad Belg. I. 27. *Ab actis* vero scribae sedentarii erant, qui iudicis sententias in iudicio notis excipiebant. His non adnumerandi sunt, qui ab actis senatus dicuntur apud Gruterum in inscript. pag. 389. num. 6; pag. 446. n. 3; p. 457 n. 2; pag. 458. n. 6; quas si inspicias, omnes illustri dignitate functos fuisse, animadvertes. Referendi forsan sunt ad ipsos senatores qui ad senatusconsulta scribenda eligebantur. Conf. Trotzius ad Herm. Hugonem de prima scribendi origine p. 514.

ACTUS *fabulae* seu *comoediae*, est pars fabulae seu co-

(1) Livius tamen pro scriptore posuit, XXIX. 27: Quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero, inter *auctores* discrepat. *Auctor*, cum de lege aliqua loquuntur, non is est, qui iam ferebat, sed alius, qui eam confirmabat, suadebat et approbabat. R.

(2) *Procurator* in sacris; verbum *procurare* ad sacra pertinet, et augurale est. R.

Digitized by Google

moediae. De numero autem actuum comoediae loquitur Hor. Ep. ad Pis. v. 189. seq. hunc in modum:

Neve minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, *quae posci vult et spectata reponi.*

Actio autem comoediae est ipsa per gestus repraesentatio. Quamquam et *oratoris actio* dicitur pronunciatio cum gestu ac vocis moderatione. Unde histriones fabularum *Actores* dicuntur, non *Gestores*. Et qui consulis personam gerit, *consulem agere* dicitur, et qui scurram imitatur, *scurram* quoque *agere*. H.

Actus *est*, ubi vehiculum vel iumentum agere, armentaque traiicere licet, non etiam trahere lignum, aut lapidem; *Iter* vero est, quo quis pedes, vel eques, commeare potest, praeterea sella aut lectica vehi, non item iumentum ducere, vel vehiculum. Sed *Via* appellatur, qua ius est eundi, agendi, trahendi quoque, et ferendi erectam hastam, si modo fructus non laedantur. Itaque *actus* continet iter, *via* utrumque, (l. 1. D. de Servitut. Rust. Praed.). Et *actus* quidem in latitudine habet pedes quatuor. *Iter* pedes duos, aut tres. *Via* in porrecto octo pedes, in anfracto, id est, flexu, sexdecim ex leg. XII. Tabul. Ulp. Instit. 2. *Iter* est ius eundi, ambulandi hominis, non etiam iumentum agendi, vel vehiculum. *Actus* est ius agendi vel iumentum, vel vehiculum. Itaque qui *iter* habet, *actum* non habet. Qui *actum* habet, *iter* habet, eoque uti potest et sine iumento. *Via* est ius eundi et agendi et ambulandi. Nam *iter* et *actum* in se *via* continet.

Acverr et Exacverr, praepositione distinguuntur. Corn. Front. R.

Acvs dicitur, qua sarcinatrix, vel etiam ornatrix utitur. *Acus* etiam paleae quaedam de frumento dicuntur. Fest. R.

Acvtvs et Argvtvs differunt. Cicero de opt. genere orat. II, ad docendum adhiberi vult *sententias acutas*, ad delectandum *argutas*. Id. Coel. VIII: Si mihi ad haec *acute arguteque* responderit.

Ad denotat motum ad locum. *Apud*, factum in loco. Fl. Sosip. *Ad* est nota termini, quo quid tendit; *Apud* vero est

Digitized by Google

proximitatis nota. Et *hoc*, post verba motus non adhibetur; *illud*, verba motus vel antecedit, vel subsequitur, ut: *Ad* te eo. Transeo *ad* forum. Lucil. Sat. x:

Intro nos vocat ad *sese*, *tenet intus* apud *se*.

Interdum tamen *ad* sumitur pro *apud*. Liv. x. 35: Minus cladis caeterum non plus animorum *ad* hostes erat. Virg. Aen. I. 24. Prima quod *ad* Troiam pro caris gesserat Argis. Contra *Apud* pro *Ad*. Modestinus Pandect. 2. l. 27. D. de Statu Lib. Cum *apud* eum, cui dare iussus est dominium quoque servi, pervenit. Venuleius de Officio Proconsulis, 6. l. 11. D. de Officio Proc. Reiicere legatus *apud* proconsulem debet.

Ad, aut proprie personam significat, ut: eo *ad* Pompeium; aut locum, ut: abiit *ad* theatrum. *At*, differentiam rerum significat, ut cum dicimus: Scipio est bellator, *at* Marcus Cato orator. Fest. R.

Ad *annum* significat post annum finitum, et expletum. *In annum* est in tempus unius anni. Plaut. Rud. v. 3. 66. Comissatum omnes venitote ad me *ad annos* sexdecim. Varro Papiapapae: De ea questum *ad annum* veniam ad Norum Magistratum. Iulianus ad Urseium Ferocem 2. l. 18. D. de Manu Test. Sed multo maius hoc *ad annum* liber esto; vel ita potest accipi: Post annum quam moriar, liber esto. Liv. xxvii. 2: Prorogare alicui imperium *in annum*.

Ad diem est, quod in diem ita collatum est, ut die finiatur. *Ex die* est, quod ex die incipit. Cato R. R. cxlvii. Locus vinis *ad* Kal. Octobris primas dabitur. Cic. Phil. xiv. 7: *Ex* Kal. Ianuar. ad hanc horam invigilavi reipublicae. Paulus ad Edictum 24. Nam vel *ex die* incipit obligatio, aut confertur in diem. *Ex die* veluti Kal. Martiis dare spondes? Cuius haec natura est, ut ante diem non exigatur. *Ad diem* autem usque ad Kalendas dare spondes. Sed haec duo interdum confunduntur, et idem significant. Scaevola Digestor. 7. l. 10 ff. de Rescind. Vend. Si *ad diem* pecuniam non solvisset, res inemta fieret. Ib. Si *ex die* pecunia omnis soluta non esset, et venditor ea praedia venisse nollet, inemta essent.

Addicitvr pignus, quando pro rata debiti pignus addi-

Digitized by Google

citur (1). *Adiudicatur*, quando non ita perpenditur quantitas debiti. *Datur in solutum* non sine consensu victoris. (Zaf. ad l. 15. § 6. 7. 8. ff. de Re Iud.). Sic *Addicit* venditor rem licitatori, quam illius esse iubet, dicens, tuum esto: isque iam ex licitatore fit emtor. Id potissimum fit in auctione. Venditor interdum *addicit* rem minus pretium offerenti, si videatur emtor magis idoneus. Sed *in diem addici* dicitur, quod ita venditur, ut non statim fiat tuum, sed ad diem praescriptum. Ita admensum vinum dicitur, quod mensura traditum est: et adnumeratum, quod numero traditur.

ADDVCITOR quis ad rem inhonestam, *perducitur* ad studia, *deducitur* ad honorem. Agraet. *Producere* vero est virginem prostituere ad quaestum corporis faciendum, Iuv. Sat. vI. 251. *Productor* apud Lactant. vl. 17. 19. est leno, qui virgines prostituit. R.

ADEO, cum prima acuta effertur, idem significat, quod accedo, ut cum dicimus *adeo* patrem. Cum secunda, idem est, quod usque eo, non quidem secundum rationem, quia *ad* praepositio accusativis accommodanda est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine. Fest. R.

ADFINITAS (l. 4. D. de Grad. et Affin.) est diversarum cognationum per nuptias sponsaliave copulatio, et *Adfines* (2) sunt viri et uxoris cognati, dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit, ut, cognati uxoris sunt adfines viri, et viri cognati, uxoris adfines, quorum nomina fere haec sunt: Socer, Socrus, Gener, Nurus, Noverca, Vitricus, Privigna aliique. *Cognatio* autem est naturalis per foeminas coniunctio, et *Cognati* sunt, qui per foeminas coniunguntur, ut Frater ex eadem matre

(1) *Addicere*, proprium est praetoris, rem alicui, ut eius fiat, pro potestate attribuentis. Plaut. Capt. I. 2. 78. Merc. III. 4. 31. Hinc *addicti* fuerunt, qui, cum non essent solvendo, creditoribus *addicebantur*, nec servitute eorum liberabantur, nisi debitis quocumque modo persolutis. Vid. Gell. xx. 1. R.

(2) *Adfinis* dicitur et quidem proprie is, qui proxime in agris habitat, vel agrum habet, qui et *confinis* appellatur. Sall. Iug. XLV: Ut quisque potentiori *affinis* erat, sedibus pellebatur. R.

Digitized by Google

tantum natus, Avunculus, caeterique. *Propinquitas* est commune vinculum, quod iure sanguinis contingit, et *propinqui* dicuntur, inter quos aliqua sanguinis coniunctio est. Itaque proximus gradus est *Cognatio*, deinde *Adfinitas*, tum *Propinquitas*. Cic. Verr. IV. 10: Quo quisque te maxime *cognatione*, *adfinitate*, *necessitudine* aliqua attingebat. Sall. Iug. XIV. Vos mihi *Cognatorum*, vos *Adfinium* loco ducerem. Massurius Sabinus iuris Civilis 3: In iudiciis apud maiores ita observatum est, primum tutelae, deinde hospiti, deinde clienti, tum *Cognato*, postea *Adfini*.

ADHIBEMVS privatim, *Advocamus* publice et in iudiciis. R.

ADHVC et HACTENVS aeque continuationem significant, sed hoc differunt ex mente Manutii, quod *hactenus* de re et loco semper usurpetur, *adhuc* vero de tempore. Itaque non recte dicitur: de litteris *adhuc*; sed: de litteris *hactenus*. Sed Auctor ad Herennium et Petr. Ramus hoc discrimen raro observarunt. *Hactenus* tamen pro *adhuc* est apud Tac. Agric. X. Dispecta est et Thyle, quam *hactenus* nix, et hiems abdebat.

ADIRE et CERNERE haereditatem hoc differunt, quod *Adire* est suscipere et occupare haereditatem; *Cernere* vero est constituere, et quasi decernere se haeredem esse velle. Nam haeres intra certum tempus a testatore praefinitum, testibus praesentibus, primum *cernebat* haereditatem, deinde *adibat*. Ita *Cretio* prior est *Aditione*. Varro L. L. V. 8: In testamento *cernito*, id est, facito, ut videant te esse haeredem. Itaque in *cretione* adhibere iubent testes. Plin. Ep. IX. 79: Iulius Largus rogavit testamento, ut haereditatem suam *adirem*, *cerneremque*. Ulpian. tit. XXII. n. 28.: Eam haereditatem *adeo cernoque*. *Cernoque* autem est quasi decernere de haereditate, ut explicatur lege 13. digest. de adquir. haered. n. 2. et *cretio* est certorum dierum spatium, quod datur instituto haeredi ad deliberandum, utrum expediat ei *adire* haereditatem, nec ne, velut: Titius haeres esto *cernitoque* in diebus centum proximis, quibus scieris poterisque: ni ita *creveris*, exhaeres esto; ut idem Ulp d. tit. l. 27. interpretatur.

ADITVS arduus difficilisque est, *accessus* contra. Ita distinguit haec vocabula Donatus ad Terentii Andr. III. 3. 2. Verum est, *accessum* notare commodum ad aliquem locum iter,

Digitized by Google

praesertim militare. V. Gesneri thes. ad v. *accessus*. Pro significatu *aditus* facit locus Virgilii Aen. VIII. 58: *Aditumque* per avia quaerit. Vereor tamen, ut discrimen perpetuum sit.

ADIVTOR dicitur in re bona; *Impulsor* in mala. *Adiutor* a non irascente; *Impulsor* a criminante atque irato dicitur. Donat. ad Ter. Alioquin *Adiutor* usurpatur, quando quis par est alicui, vel hoc, vel illo superior, potentior ac doctior.

ADMONERE differt a *Monere*, quod *Admonere* plerumque est in memoriam redigere, graece *ὑπομνήσκειν*, *Monere* est hortari, graece *παραινεῖν*. R.

ADMONITIO est docentis, qui in memoriam revocat, quid faciendum sit; *Monitio* vero est exstimulantis, sed sine acerbitate. Unde *Admonere* est docere; *Admonita* vero *tradere* est praecepta tradere. H.

ADMOLIMVR, quod adiungimus; *Amolimur*, quod removemus. H.

ADOLESCENS (1) vocatur, qui annos pueritiae relinquit; *Juvenis* autem, qui adolescentis excessit aetatem, quoad incipiat inter seniores numerari, ut tradit Marcellus iurisconsultus. Cui adstipulatur Varro, qui quinque gradus aetatis aequabiliter putat esse divisos, unumquemque scilicet, praeter extremum, in annos quindecim, et primo gradu usque ad annum quintum decimum pueros dictos, quod sint puri, id est, impuberes. Secundo ad tricesimum annum adolescentes, ab adolescendo sic nominatos. In tertio gradu, qui erant usque ad quinque et quadraginta annos, iuvenes appellatos, eo quod rempubl. in re militari possent iuvare. In quarto autem ad usque sexagesimum annum seniores esse vocitatos, quod tunc primum senescere corpus incipiat. Inde usque ad finem vitae uniuscuiusque quintum gradum factum, in quo qui essent, senes appellatos, quod ea aetate corpus senio laboraret. Sed oratores et historici promiscue nominant adolescentes et iuvenes intra annum vicesimum et quadragesimum, ut Sallust. in Catil. Caesarem *adolescentem* vocat, qui iam pontifex maximus creatus erat anno aetatis XXXVI. Rursus

(1) Maiores natu *adolescentes* appellant natu minores, quamvis viros. Plaut. Pseud. IV. 2. 22. Ter. Phorm. II. 3. 14. Pseud. IV. 7. 38.

Digitized by Google

Cic. de Senect. Catonem *adolescentem*, cum annos natus plus minus XXIV. militaret; et de claris orat. Crassum annos natum unum et viginti, cum Carbonem accusaret admodum *adolescentem*. Id. in II. Epist. Curionem *adolescentem* triginta annis maiorem; eundem *iuvenem*, cum ageret annum XXIV. Nunc autem aliter adolescentis nomen usurpatur, nimirum de ea aetate, quae anno incipit XIII., desinit anno XX, ex quo iuvenis appellatur.

ADOLESCENTIA peculiare et suum aliquod et privatum tempus aetatis complectitur, ut et pueritia: *Iuventus* vero accipitur generatim saepius et pro triplici aetate, ut secum ambas priores includat. Virg. Aen. I. 467: Troiana iuventus. *Ephebia*, prima aetas adolescentiae est. *Adolescentia* est extrema pueritiae. Donat. R.

ADOLESCERE, quod idem, ac crescendo ad staturam venire, augumenti est. *Inolescere* coagmenti. *Exolescere*, h. e. adultam aetatem superare, vanescentis, qui crescere desiit. Plaut. Curc. IV. 1. 12. R. Agr. Sic Adolescentes *adolescunt* a prima adolescentia in adultam usque aetatem: deinde abolescunt rursum, donec exolescant et obsolescant, h. e. exoleti fiant et obsoleti.

ADOPTIO (1) est actus legitimus, per quem filius a patris naturalis familia in adoptivi familiam transferebatur; *Arrogatio* vero est, cum aliquis patrem non habens (2), in potestatem sese adoptivi patris tradebat. *Illa* apud praetorem, vel proconsulem, vel quemlibet alium magistratum, apud quem legis actio esset, fiebat; parente naturali filium terna mancipatione cedente. *Haec* olim, rogatione lata, apud populum in foro (3), postea apud Principem fiebat, ipso dumtaxat, qui adrogabatur, auctore, ut Cic. Orat. pro Domo,

(1) *Adoptio* dicitur, quod per praetorem et privatim fit, *Arrogatio*, quod per populum. Gell. v. 19. R.

(2) I. e. homo sui iuris, qui nec in dominica, nec patria potestate adhuc erat, caeterum vero vel adultus, vel pubes, vel impubes esse poterat. R.

(3) In publicis et curiatis comitiis ubi et populus rogabatur, an id adprobare vellet. *Adrogandus* quoque rogabatur: vis ne te in adoptionem dare? R.

Digitized by Google

et Gellius v. 19. referunt. Modestinus Regular. 2. L. 1. et 2. de Adopt. *Adoptantur* filii familias, *Adrogantur*, qui sui iuris sunt. Hanc tamen differentiam non semper observant oratores et historici, apud quos *adoptionis* nomen est generale, quo continentur *adrogatio* et ea quae specialiter dicitur *adoptio*. Cic. pro Domo XIII: Quod est ius *Adoptionis*? nempe ut is *adoptet*, qui neque procreare iam liberos possit, et cum potuerit, sit expertus. Svet. Aug. LXV: Tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tiberium *adoptavit* in foro, lege curiata. Quibus in locis *adoptio*, ut genus sumitur, pro *adrogatione*. V. Torrent. ad Sveton. Aug. LXIV. it. Chr. Coleri parerg. c. 7.

ADORARE (1) quanquam ab orando dictum est, tamen adoramus sine voce, veluti gestu corporis, quod tribuitur et mutis animantibus. Sic elephas dicitur *adorare* solem, et homines superstitiosi *adorant* statuas divorum, non orant. *Adorare* enim proprie vi vocis est manum ad os movere, et adoratio manu ad os relata dicitur *salutatio*, quemadmodum ex l. Lipsii Elector. II. 6. docuimus in Supplementis ad c. III. Discursus Philologici nostri de Osculis p. 131. seq. Edit. Chemnic. Itidem *Supplicare* dicimur, quum a plicandis genibus dictum sit, tamen et sola voce *Supplicare* dicimus; praesertim cum abiectioribus utimur verbis. Hoc qui facit, *Supplex* dicitur. Graecis Προσεύχεσθαι, qui *adorabundus* aliquid petit. Προσκυνῆσαι qui gestu adorat. Ἱκετεύειν qui supplex genibus et manibus aliquid petit. H.

ADPROMISSOR est, qui alienae promissioni accedit, a verbo adpromitto, quod est insuper et praeter alium promitto; *expromissor* vero is dicitur, qui pro eo promittit, qui efficaciter obligatus non est, veluti qui pro servo, cum quo nulla contrahitur obligatio, promittit. Pomponius ad Sabinum 26. L. v. D. de Verb. Oblig. Satis acceptio est stipulatio, quae ita obligat *promissorem*, ut *adpromissores* quoque ab eo accipiantur, id est, qui idem promittant. Ulpianus ad E-

(1) *Adorare* primum fuit, manu alteri osculum significare. Atque ego Latinis ipsis hinc conseo formatum adorandi verbum, quia manus ad ora admovebant. Lips. I. 1. R.

Digitized by Google

dictum XI. L. 7. D. de Dol. Si nolit *expromissorem* ipsum manumissum accipere. *Expromissori* plane adversus manumissum dari debebit de dolo aut si non sit solvendo, *expromissor* domino dabitur. Sed haec differentia, quamquam iuris interpretibus valde placuit, mihi tamen non probatur, cum videam, in libris veterum iurisconsultorum promiscue et indifferenter appellari adpromissores et expromissores, qui pro alio quocumque se obligant, ut in Titulo de Soluto Matrim. de Solutionibus, de Pignorat. Actione, de Condict. Causa data, ad SC. Velleianum, et aliis multis locis.

ADROGAT aliquid sibi, etiamsi non meruit: *Abrogat*, qui alii aufert, vel qui legem tollit. C. Fr. R.

ADSCRIPTI et ADSCRIPTIVI multum differunt. Nam *Adscripti* dicebantur, qui nomina in colonias dederant, ut essent coloni, ad quorum similitudinem postea dici coepti sunt. *Adscriptitii* (1), qui erant coloniis adsignati, et ibi culturae causa perpetuo manebant, atque cum praediis mancipabantur, alienabanturque. *Adscriptivi* erant, qui extra ordinem et numerum adscribebantur inermes, et supplendis legionibus mortuorum militum loco substituebantur, quos eosdem vocabant *Accensos*, quod in legionum censum essent relati. Paulus Responsor. 11. L. LIV. D. Locat. Servus, qui aestimatus coloniae *adscriptus* est, ad periculum coloniae pertinebit. Plaut. Menaechm. I. 3. 1: Idem istuc aliis *adscriptivis* ad legionem fieri solet. Varro De vita populi rom. III: Qui de *adscriptivis*, cum erant attributi decurionibus et centurionibus, qui eorum habent numerum, *accensi* vocabantur.

ADSECTARI differt ab *Appellare*. *Appellat* enim qui sermone pudicitiam attentat. *Adsectatur* (2), qui frequenter aliquam tacitus sequitur. (L. XV. §. 22. ff. de Iniur.)

ADSPICERE minus est, quam *dispicere*. Plaut. Cist. IV. 2. 25. R.

(1) *Adscriptitii*, veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Fest. R.

(2) *Adsectata* foemina, quae sollicitatur a pluribus. Plaut. Rud. II. 4. 5. R.

Digitized by Google

ADVENA aliunde commigrat, *Inquilinus* in conducto habitat, *Indigena* ubi natus. *Accola* iuxta montem, flumen, *Incola* in urbe habitat. R.

ADVENIRE dicitur, et qui iam in propinquo est, et *advenisse* qui iam adest. *Adventat*, qui longius abest in itinere. Nec is *adventasse* dicitur, quum pervenerit. Uxor *advenienti* viro occurrit ad limen, *adventanti* non occurrit, nisi id fiat in ipso itinere. *Ventitat*, qui frequenter venit. Valla v. 10.

ADVENTITIA bona aliunde, quam ex re patris obveniunt. (L. XXXVI. pr. f. C. de inoff. Test.) *Profectitia* ex re patris. §. 1. I. per quas Pers.

ADVENTVS est, quem voluntas, et destinatus locus, *Obitus* est, quem casus affert. *Obitus* occursus; *ob* enim significat contra. Donat. R.

ADVERSA *vulnera* vocantur, quae in pectore fronteque sunt accepta, et laudi dantur; *Aversa* vero, quae in tergo, et probro dantur. Unde Cic. De orat. II. 63: Et *adversus* et *aversus* impudicus es, hoc est, a fronte et a tergo. H.

ADVERSAMVR ei, cui repugnamus et obsistimus. *Aversamur* eum, quem detestamur. Unde *adversa fata* dicuntur, quae nobis obstant. *Aversi* Dii, qui precibus nostris surdi sunt. H.

ADVERSARIA indices sunt seu commentarii, in quibus memoriae causa res adnotantur. *Tabulae* seu *codicilli*, in quibus res ordine explicantur.

ADVERSVS refertur ad personam tantum. *Contra* ad locum et personam, ut volunt Grammatici; cum tamen *Adversus* etiam ad locum referatur. Ter. Phorm. I. 2. 38 sq.

. . . . *ex* adversum *ei loco*
Tonstrina (h. e. apta sedes otiosis et nugivendis)
erat quaedam. . . .

Cic. Divin. I. 45: Ara Aio loquenti *adversus* eum locum consecrata est. Sed cum ad personam referuntur, hoc differunt; quod *adversus* levius est, quam *contra*. Nam *contra* inimicitias, dissidia et nocendi voluntatem ostendit: *Adversus* etiam cum bona voluntate est, et *erga* significat. Cato de Consulatu suo: Omnia plena hostium, copiae magnae *contra* me sedebant. Ter. Andr. I. 1. 15. Id gratum fuisse *adversum* te habeo gratiam. Cic. Nat. Deor. II. 2: Pietas *adversus* Deos.

Digitized by Google

Adversum semper praepositio est, ut: Adversum te habeo gratiam. *Adversus* interdum participium, ab Adverto. Donat. ad. Ter.

ADVERSVS ostendit frontem, *aversus* tergum. *Adversum* te, adversarius est; *adversus* te, imitator est. R.

ADVERTIMVS (1) animum, quum attendimus. *Avertimus*, quum ad alia vertimus. H.

ADVLAMVR serviliter, etiam gestu, quod canibus quoque nobiscum est commune (2), quando inservimus quoquo modo, vel voce, vel gestu, ut favorem emereamur. *Assentamur* ad gratiam loquentes, quum studiose, et conciliandae alicuius utilitatis gratia fusius, et plerumque falso quempiam laudamus. Ideoque *Assentatio* non tribuitur mutis animantibus; sed canes dicuntur *blandiri* et *adulari*. Valla v. 66. *Blandimur* quoquo modo, dum placere studemus magis quam vera dicere; blandior enim proprie ad tactum pertinet et καταχρηστικῶς transfertur ad alios sensus, etiam ad animum. Sunt qui dicant, *Adulantem* semper mentiri; *Blandientem* vero posse veritatem loqui. Sic etiam *facto blandimur*, veluti qui pinxerat Venerem deformem, dicitur blanditus Minervae. Dicimur et *Blandiri* vitiis nostris, dum ea excusamus, vel attenuamus, *Blandiri calamitatibus*, dum eas elevamus. Palpamur manibus, dum blandimur equis. Et hoc transfertur ad alia quoque. Inde adulatores *palponum* etiam nomen obtinuerunt. Et palpum obtrudit ille, qui *blandiendo* fallit. H.

ADVLTERIVM est concubitus illicitus cum nupta muliere, sed honeste vivente, quasi ad alterius torum accessus. Vid. L. VI. §. 1. D. de Adult. *Incestus* (3) quod idem, ac incastus, est cum consanguinea et socra, vel alia, quam quis ducere uxorem prohibetur; *Stuprum* vero est cum vidua, aut virgine honeste vivente, quod fit saepissime cum violenta

(1) *Advertere animum* Cicero quidem non usurpavit, sed Ovidius, et poëtae alii; Plautus habet: attendere animum. R.

(2) *Adulamur* gestu, *assentimur* verbis, *blandimur* utroque. R.

(3) Incestus, quia Venus ad non castas nuptias, quae contra leges vel mores fiunt, non venit cum suo caesto. Lutat. in II. Statii Thebaid. Scortatio quaevis passim incestus nomine donatur. R.

Digitized by Google

libidine. Ideoque Deus stupratores lapidari iussit, Deut. xxii. 24. Cic. pro Flacco: De probris, *adulteriis*, ac *stupris*. Tac. Hist. I. 66: Quoties pecuniae materia deesset, *stupris* et *adulteriis* exorabatur. Sed interdum *stupri* nomen generale est, et de adulterio, incestu, et quocumque flagitio improprie dicitur. Unde lex Iulia de *Adulteriis* promiscue his verbis utitur, sicut alii quoque scriptores. Cic. Verr. vii. 13: Noctu *stupri* causa lectica in urbem introferri solitus est ad mulierem nuptam uni, propositam omnibus. Liv. xxxvi. 13: Nec rapi ad *stuprum* matres campanas, virginesque, et ingenuos pueros.

Advocatvs, graece παράκλητος, est qui gratiae et auctoritatis causa adest amico in iudicio, sive ut ius suggerat, ut iurisconsultus, sive ut praesentia sua adversarii iniuriam propulset, ut amicus, sive demum ut adsit periclitanti, auxiliaturus, si quid opus sit. Huius officium *Advocatio* dicitur. *Patronus* est (1) qui alicui se beneficiis patrem praestat, seu, qui in iudicio causas oratione defendit, ut orator et causidicus, unde *patrocinari* pro auxiliari, et *patrocinium* pro auxilio ponitur. *Advocati* suscipiunt personas, *procuratores* negotia. *Advocati* debent esse iurisperiti, non item *procuratores*. *Illi* sunt quasi tutores, hi quasi curatores. *Advocato* meo sum cliens, *procuratori* mandator, vel dominus. *Advocati* nomen generalius est et honestius, quam *patroni*, quod Ovid. de Art. amandi iii. 531. festive expressit:

> *Munera det dives, ius qui profitebitur, adsit,*
> *Facundus causam saepe* clientis *agat.*

Asconius Pedianus in Divinationem: Qui defendit alterum iudicio, aut *patronus* dicitur, si orator est, aut *advocatus*, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico (2).

(1) *Patronus* de eo qui alium manu mittit, et suo praesidio defendit. Plaut. Mostell. I. 3. 11. et III. 2. 59. Ita servi heros appellabant *patronos*, a quibus forte servati. Plaut. Men. v. 7. 42. R.

(2) Aut *procurator*, si absentis negotium suscipit, aut *cognitor*, si praesentis causam novit, et sic tuetur ut suam. Ergo Cicero dixit cognitorem familiarissimum defensorem. Pedian. R.

Digitized by Google

Idem: Vel ut consulantur, conveniunt *advocati*, vel ut alterutri parti apud arbitros adsint, vel ut ipsi iudices in rem aliquam capiantur. Et hoc olim. Posterior autem aetas *advocatum* dixit quemcumque causarum actorem. *Patronus caussam* agit, seu orat, nempe orator: *Advocatus* tantum adest, ut gratia et auctoritate reo prosit. Ita aetate Ciceronis et ante his utebantur. Sed postea *Advocatus* idem, quod *patronus* valere coepit. Paraeus. R. Auct. Dial. de Orat. I: Horum temporum diserti *causidici*, et *advocati*, et *patroni*, et quidvis potius, quam oratores vocantur. Ulpian. de omnibus Tribunalib. 8. Lib. I. D. de extr. Cog. *Advocatos* accipere debemus omnes omnino, qui causis agendis quoquo studio operantur. *Advocatur* daturus patrocinium. *Invocatur* praebiturus auxilium; *Evocatur* praestiturus obsequium.

Aedes et Aedificia separat Varro Lib. iv. de L. L. Post *aedem* Saturni in *aedificiorum* legibus. Nimirum *aedes* sunt sacrae et profanae, *aedificia*, structurae parietibus et tecto proprie constantes, tantum profana; atque etiam illa, quae non sunt apta habitationi, ut porticus, propugnacula, et similia. *Aedes* de urbano *aedificio*, de rustico *villa* dicitur, L. 221. de V. S.

Aedes sunt, etiamsi tecto carent, neque habitantur. *Domus* intelligitur omnis habitatio, in qua paterfamilias habitat, quae tecto et parietibus constat. Latior ergo est significatio *aedium*, quam *domus*.

Aedes *sacra*, et *Templum* hoc differunt, quod *aedes sacra* per se sancta erat, non augurata, ut aedes Vestae; sed postquam per auguria constituebatur, et sancta et augurata erat, et *templum* fiebat; *templum* vero per se auguratum erat, non sanctum, ut rostra in foro augurato constituta, nec tamen Deo dicata, nominantur templa; itemque curia Hostilia, Pompeia et Iulia, ut auctor est Varro Epistolicar. Quaest. iv. Praeterea *templum* etiam profanum est, et domum quamvis hominum et inferiorum significat. Quae res exemplorum confirmationem non desiderat. Aedem ex Servii mente numero singulari de templo tantum dicimus, et quidem fere semper cum adiectione, ut in aede Iovis Mercurii, Minervae, etc. Plurali verum, et privatam domum, et templum

Digitized by Google

significat, ut aedes meae, domus meae, aedes Marcelli, etc. Etiamsi egregias, aut pulchras aedes, aut absolute aedes dicamus, domum tantummodo designare solemus. Si vero addamus aliquid ad religionem spectans, ut si in plurali etiam dicamus sacras aedes, aut Nympharum aedes, templa plura significamus (1).

AEDIFICARE est aedes struere, vel construere. *Exaedificare* est structuram in altum et longum producere. Sallust. Catil. XII: Cum domos, atque villas cognoveris in urbium modum *exaedificatas*. Arnobius VII. Cur templa post condita, sibique *exaedificata* delubrat.

AEDITIMVS dicitur, qui aedem servat, quasi aedis intimus. *Aedituus* ab aede tuenda. Sosip.

AEGER et animo et corpore laborat, seu aegrescit plerumque et animo et corpore simul, et tum aegrotat periculosius; *Aegrotus* vero corpore tantum. Sallust. Catil. LXII: Antonius pedibus *aeger*. Id. Iug. XXXI: Animus *aeger* avaritia facile conversus est. Sed *aegrotum* pro *aegro* dixit Ter. Heaut. I. 1. 48: Neque ut animum decuit *aegrotum* h. e. infirmum, adolescentuli. Et And. I. 2. 22:

(1) Non enim semper per templum aedes sacrae intelliguntur. Notissimum est, solemnem hanc vocem quemvis ab auguribus captum locum, quo sacer fiat, denotare. Varro apud Gellium XIV. 7, de illo clarum praestat exemplum. Siquidem ubi in describendo loco, in quo senatus conveniret, versatur, aedem Vestae templum non fuisse, adserit. Rationem suppeditat Servius, nimirum ne illuc conveniret senatus, ubi virgines erant, cum huc venire nulli viro liceret. Ne tamen plane ab amoeno vestalium coetu essent exclusi senio confecti senatores, in atrio, quod ab aede seiunctum erat, senatum habitum fuisse testatur Alexander ab Alexandro. Nardinus tamen non videtur rem acu tetigisse, dum scribit, templum post augurationem consecratum fuisse, aedes vero non item, cum constet, aedes, auguratione facta, publica lustratione consecratas, templum vero augurum ope solum absolutum fuisse. Sane vel campum per augures constitutum templi nomine fuisse donatum, ibique senatum habitum fuisse, in historiarum monumentis invenimus. Sic cum Fulv. Flaccus urbe egressus inter esquilinam collinamque portam posuisset castra, consules senatusque in castra venerunt, ibique de summa reipublicae consultatum.

Digitized by Google

Ipsum animum aegrotum *ad deteriorem partem plerumque applicat* (1).

AEGROTATIONEM et AEGRITVDINEM Cicero distinxit Tusc. Disp. III. 10, his verbis: Sed proprie, ut *aegrotatio* in corpore, sic *aegritudo* in animo nomen habet. Ib.: Praeclare nostri molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum aegrorum, *aegritudinem* nominaverunt. Idem tamen eodem libro dixit aegrotationes animi, ut Horat. Sat. II. 3. 306. seq. Quo me *aegrotare* putes animi vitio (2).

AEMVLARI fit cum tacito quodam animi motu, et plerumque cum invidia. Ideoque idem est, ac invidendo imitari, et quasi assequi; etiamsi aemulatio nonnumquam virtutis imitatio sit. Sed *imitari* quod proprie significat se alteri conformare, est vocabulum *μέσον*, et sumitur potissimum in bonam partem; sic et Ter. in Prol. Andr. v. 20. *aemulari* dicit pro imitari his verbis: Quorum *aemulari* exoptat negligentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam. H.

AEMVLATIO habet imitandi studium, cum contentione et invidia coniunctum. Vide Cic. Tusc. Disp. IV. 8.

AEQVALE est alterius staturae par; *Aequabile* vero, quod aequari potest. C. Front.

(1) Terentius *aegrotum animum* saepe dicit. Apud alios scriptores id rarius invenias, Goclen obs. 322. Quod Terentianum tamen differentiae nostrae non obstat; differunt enim ita vocabula, si simpliciter et sine adiectione ponantur.

(2) Idem tamen eodem libro, itemque Terentius Andr. et Heautontim. dixit *aegrotationes animi*, ut Horat. quo me *aegrotare* putas animi vitio. Quod tamen differentiae nihil obstat; differentia enim vocabulorum, quam inculcamus, spectanda est, cum simpliciter, et sine epithetis nomina spectantur. Schor. de Rat. doc. et disc. L. L. et Gr. 50. obs. II. et thes. Cic. 29. Goclen, L. I. obs. 322. Vorst. de Lat. mer. susp. 119. Cell. Antib. 105. C. P. p. 159. Kappius ad Iensium III. Andr. Borrichius append. 641. Hae voces promiscue usurpantur, quia aegritudo etiam de corpore adhibetur. Ita etiam Curtius III. § 10. Animum aegritudo corporis urgebat. Florus IV. 7: Et quamvis duces non essent praesentes, quorum alterum corporis aegritudo, illum metus et ignavia subduxissent. Tacitus Annal. II. 69: Piso Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem (quam paullo ante valetudinem vocat), quae rursum Germanico acciderat. Proinde recte monet Faber, aegritudinem et de corporis aegrotatione apud veteres inveniri.

Digitized by Google

AEQVALE aequam et parem quantitatem notat, et in hoc differt a *simili*, quod ad qualitatem refertur. Speciatim *aequalis* est eiusdem aetatis. Gesn. thes.

AEQVITAS seu AEQVI ratio, est quaedam convenientia et moderatio rationabilis. *Ius* est decisio, quae fit ex iuris cum divini, tum humani regulis, ideoque idem est, ac Dei et rectae rationis iussum. *Clementia* solius principis est, vel parem potestatem habentis. Connan. I. 11. n. 9.

AEQVOR, mare appellatum, quod aequatum, commotum vento non est. *Fretum* dicitur a similitudine ferventis aquae, quod in fretum saepe concurrat aestus, atque effervescat. Varro. R.

AERARIVM est locus seu aedificium, in quo publica pecunia populi asservatur, ut olim in aede Saturni; *Fiscus* vero principis aerarium est, ad decorem et maiestatem ipsius conservandam statutus, a fissis viminibus, hoc est, sportis dictus, in quibus pecuniae publicae asportari et concludi solebant, uti Asconius Pedianus notavit. Tac. Ann. VI. 2: Bona Seiani ablata *aerario*, ut in *fiscum* cogerentur. Plin. Paneg. XXXVI: At fortasse non eadem severitate *fiscum*, quam *aerarium* cohibes: immo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis. Suet. Aug. CI: Quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniae in *aerario* et *fiscis* et vectigaliorum residuis. Id. Claud. XVIII: Positis ante se cum pecunia *fiscis* (1).

(1) A *Fisco* iterum distincta erat *ratio* Caesaris, id est, privatum principis patrimonium. Unde toties memorantur procuratores haereditatum, privati patrimonii et similes, apud Fabret. Inscr. cap. 3. et Phil. a Turre in Monim. Vet. Ant. cap. 6. Vid. Heinec. Antiq. p. 245. R. Duo notanda puto. Primum, Eutropium in hanc differentiam peccasse. Nam lib. II. 16. 9; III. 9. 7. fiscum pro aerario posuit, et aerarium pro fisco lib. VIII. 3. 4. 5. 6. 11; X. 8. 7. Deinde, hoc discrimen temporis progressu cessasse; v. Heinec. l. c. Hanc differentiam primus Augustus reperit. Sane sub Tiberio diversum fuisse a fisco aerarium, patet ex Tac. Ann. VI. 2. At senescente iam sub Byzantinis Principibus imperio, nullum iam erat inter fiscum et aerarium discrimen. Publica pecunia sacrarum largitionum, privatum principis patrimonium, privatarum rerum nomine veniebat.

Digitized by Google

Aestas est pars anni calida, quae cogit pecora *aestivare* sub *aestivis*. *Aestus* calor temporis. *Aestus* a nimio calore nomen accipit, et est vel in aëre, cum ustus aër aestuat, vel in mari, cum undae inaestuant, aestuososque fluctus in sua aestuaria exaestuant. *Aestas* nomen non amittit, etiamsi temperata sit. Front.

Aestimare, inquit Valla, est considerare. *Existimare* est iudicare. *Aestimare*, de pretio scitari. *Aestimo* pretium respicit. *existimo* est iudicii, Goclen. Itaque prius rem *aestimamus*, deinde qualis sit, *existimamus*. Quae interpretatio nostro quoque iudicio non satis explicat veram et propriam harum vocum differentiam. Nam *aestimare* est, et quidem proprie pretium rei statuere, seu res comparare et componere, atque ita expendere, quid parvi aut magni referat, quid sit probandum aut improbandum. *Existimare* autem est iudicare, bene vel male opinari (1), seu diligenter aestimando statuere. *Illud* fit ex rerum collatione; *hoc* est opinionis et iudicii, ut *Aestimo* te magni, *Existimo* te magnum. Sall. Catil. II: Eorum ego vitam mortemque iuxta *aestimo*. Id. Iug. XXIV: Utrum gravius *aestimet*, nemini occultum est. Caes. B. C. III. 26: Leviusque tempestatis, quam classis periculum *aestimaverunt*. Interdum tamen *existimo* accipitur pro *aestimo*. Ter. Phorm. I. 1. 11. seq. Id illa universum abripiet, haud *existimans* quanto labore partum Sallust. Lib. Histor. III. Si, Quirites, parum *existimaretis*, quid inter ius a maioribus relictum nobis, et hoc a Sulla paratum servitium interesset. Id. Iug. LXXXV: Nunc vos *existimate*, facta, an dicta pluris sint.

Aestimatio est iudicium de pretio alicuius rei. Italice: *la stima di una cosa*. Cic. Verr. V, 91: Aestimatio frumenti. *Existimatio* vero saepius usurpatur pro bona fama, opinione, honestate. Corn. Nep. Cat. II: Detrimentum existimationis facere. Itali: *perdere la riputazione*. Th. Vall.

Affabilis est, qui comiter appellat eos, qui occurrunt, graece φιλοπροσήγορος, et opponitur homini moroso. Inde *affabilitas*, quae alloquendi facilitatem, sermonis comitatem,

(1) *Existimare*, in malam partem, pro eo quod esset male sentire, neque Cicero, neque alii eius notae scriptores videntur usurpasse. R.

Digitized by Google

atque audiendi lenitatem apposite significat. Sed *blandus* est, qui familiarius grata oratione cum hominibus solet agere, graece εὐπροσήγορος. H.

AFFECTIO (1), sive AFFECTVS, graece πάθος, est omnis animi incitatio, studium et motus, cuius genera sunt ira, misericordia, amor, odium, et praecipue metus, spes, dolor, gaudium, et opponitur rationi. Habet autem nomen suum ab afficiendo. Dicitur enim non solum honore, praemio, munere, laetitia atque beneficio; sed et molestia, dolore, contumelia, iniuria et re quavis alia, quae animum, vel corpus tangere, movere, concitare atque cruciare potest, aliquem afficere. Ubi notandum, eos qui affecti iniuria sint, illius semper meminisse; qui autem beneficio, illud facillime oblivisci. Contra *Affectatio* est aemulatio, sive appetentia rei, Κακοζηλία, quod potissimum in malam partem sumitur, a Graecis appellata. Hinc sermo affectatus reprehenditur, et qui laudem undequaque affectat, venatur illam et captat. Sed affectare quietem, pro quietem cupere minus latine dictum est. H.

AFFICIMVS honore, *afficimur* iniuria. Agraet. R.

AFFINITAS fit matrimonio, *agnatio*, *cognatio* et *consanguinitas* ex sanguine, stirpe et genere eodem oritur. Coniugia *affines* faciunt, *confines*, campi. *Necessitas* seu *necessitudo* fit officiis, *familiaritas* frequenti sodalitio seu consortio, *propinquitas* ex quacumque sanguinis coniunctione, *gentilitas* ex familia hominum ingenuorum eiusdem nominis, agnationis vinculo quamvis disiunctorum, vel sola etiam nominis societate gaudentium.

AFFLIGO est opprimo et prosterno, ut, affligere statuam, navim, monumentum etc. apud Cic. saepius. Inde afflictus, hoc est, prostratus et iacens cui florens opponitur. *Effligo* est excito et penitus destruo, in quo maior violentia. Plaut. Asin. IV. 2. 9: Nisi quidem illa ante occupassit te, *effliges* scio. Cic. Att. x. 19: Filium misit ad *effligendum* Cn. Pompeium aut certe capiendum. Sed *Infligere* est plagam incutere.

(1) *Affectio* seu *Affectus*, nomen Ciceroni, et omnibus melioris et antiquioris notae scriptoribus ignotum. Cicero motus et perturbationes vocat. R.

Digitized by Google

AGE quum est adverbium hortantis, numero singulari iungitur. *Agite* plur. *Agendum* utrique. H.

AGER est locus sine aedificio, qui culturae et fructuum causa habetur, sive campus sit, sive vinea, sive aliud (1). *Fundus*, qui proprie cuiusque rei imum est, integra possessio est, agrumque cum aedificio et villa continet. *Fundus* quaelibet species soli est, etiam inculta et nulli usui destinata, in qua aliquid fundari potest. *Possessio* ager late patens, cuius plenissimum usum habemus, proprietatem et dominium non habemus, nec habere possumus, ut est ager tributarius, stipendiariusque et vectigalis, item aliis usibus destinatus, qui omnes nec mancipatione abalienari, nec usucapi possunt. *Praedium* vero generaliter appellatur tam urbana, quam rustica possessio. Iavolenus Epistolar. IV. L. CXV. D. de Verb. Sign. *Fundus* est omne, quidquid solo tenetur. *Ager* est species *fundi*, qui ad usum hominis comparatur. *Possessio* ab agro iuris proprietate distat. Quidquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc *possessionem* appellamus. *Possessio* ergo usus est. *Ager* proprietas loci est. Nam et *ager* et *possessio* huius appellationis species sunt. Et haec quidem propria et adstricta est harum vocum significatio, quam iuris auctores omnino observarunt; cum in communi usu loquendi alia quoque sit latior, cuius quoque exempla in libris ipsorum passim occurrunt. Nam *agri* nomine accipiunt aedificium, et omnia, quae in agro continentur. *Possessionem* autem vocant rem ipsam, quae possidetur, ut puta fundum, aut villam. *Fundus* etiam modicus locus est, si *fundi* animo eum habuimus, et plerumque

(1) *Ager* est pars ruris sive locus in rure, qui colitur sive compascuus sit, sive arvus, sive floridus, sive consitus. *Compascuus* habet gramina. *Arvus* aratro proscinditur. *Floridus* servatur apibus et voluptati. *Consitus* habet arbores. Interdum etiam *ager* non unum aliquem, sed universam regionem urbi circumiectam, quam Graeci χώραν nuncupant, declarat, et in se complectitur saltus, et nemora, et flumina, et montes. *Rus* est omnis locus in agris extra urbem. *Ruri* enim habitat ruricola, ibique rurando et rusticando suis ruralibus operis panem quaerit. *Campus* est ampla planities sive in urbe, sive extra urbem. Unde Campus Martius dictus, et regio campestris, quae montes non habet.

Digitized by Google

sine villa, inquit Ulpianus ad edictum 60. L. LX. de Verb. sign. Itaque temere et sine ratione Laur. Valla hac in parte iurisconsultos reprehendit, quasi a se ipsis dissentientes; cum illi modo propriam et angustam horum verborum significationem, modo translatitiam aut laxam respiciant. Godd. add. L. CXV.

AGER locus in rure, qui colitur, et fructum facit. *Campus* evidentioribus terminis suis continetur, et datur etiam in media urbe. *Area* locus vacuus, ubi inaedificari potest, vel agri aliquis tractus, ubi frumentum sit demessum. *Fundus* in quo fundatur et stabilitur patrimonium. Gut.

AGERE, FACERE et GERERE hoc differunt, quod *agere* et corporis, et vocis, et mentis agitatum comprehendit. *Facere* tantum refertur ad opera, quae corpore efficimus; aliquando et pro consentire ponitur. His enim loquendi modis utebantur recte antiqui: mecum seu tecum *faciam*, hoc est, mecum seu tecum consentiam. *Gerere* est muneris et oneris. Gerulus *gerit* onus, si non sit ingestabile. Geraria infantem tam placida gestatione, quam potest. Gestoria navis gestat merces, quas divendere gestiunt mercatores. Ita *agit* is, cuius post actionem opus non exstat, ut actor, saltator, cantor, commentator. Sic *agit* histrio fabulam, alius *agit* Demeam, alius Thaidem, alius Pamphilum, alius Aeschynem. *Agit* consulem, qui fungitur officio consulis. *Agit* iudicem, amicum, patrem. *Agit* personam suam, qui sui similis est. *Agit* causam orator. Nihil *agit*, qui frustra laborat. Aliud *agit*, qui non est attentus ad id quod agitur. Hoc *age* dicimus ei, quem iubemus esse attentum. Agaso *agit* asinum. Subulcus *agit* porcos. *Aguntur* pecora, ducuntur homines. *Agit* animam, qui morti proximus est. *Agit*, qui movet et afficit. *Facit* is, cuius opus remanet, ut scriptor, statuarius, pictor, aliique. *Gerit* dux, et magistratus, aut curator. TER. Adelph. v. 3. 3. Hei mihi quid *faciam*? quid *agam*? Cic. Fin. uI. 17: *Agere* aliquid et *facere*. Id. Phil. uI. 13: Quod *agendum* atque *faciendum*. Ulpianus ad Edictum 65. 1. 2. D. de Curat. Bon. Quaeque per eam eosve qui ita creatus creative essent, *acta*, *facta*, *gestaque* sunt. Varro de L. L. v. 8: *In eo propter similitudinem* agendi, et faciendi et gerendi *quidam error his, qui putant esse unum. Potest enim aliquis* facere, *et non* agere: *ut poëta* facit *fabulam*,

Digitized by Google

et non agit. Contra actor agit, *et non* facit. *Et sic a poëta fabula* fit, *et non* agitur: *ab actore autem* agitur, *et non* fit. *Contra imperator, qui dicitur res* gerere, *in eo neque* agit, *neque* facit, *sed* gerit, *id est, sustinet. Translatum ab his, qui onera gerunt, quod sustinent. Proprio nomine dicitur* facere *a facie* (1), *quod rei, quam* facit, *imponit faciem, ut fictor cum dicit fingo, figuram imponit, cum dicit informo, formam; sic*

(1) Huic sententiae omnino refragatur Christian. Becmannus, qui in Origin. L. L. p. 443. Edit. Hanov. 4. *faciem* a *facere*, obscurae quippe originis verbo, sicuti *speciem* ab antiquo *specere*, proficisci affirmat. Neque tamen ubique hoc discriminis satis ostenditur. *Agere* etiam adhibetur, ubi nihil agimus, ut: agere silentium, otium. Addendae tamen sunt aliorum quoque observationes. Varro de L. L. v. 8. subtilius distinguit inter *agere* et *facere*, unde confici queat, agere complecti tria, cogitare, dicere, facere. Atque adeo agere quasi genus esse, facere speciem; quae distinctio non perpetuo obtinet. Quod vero poëtam facere, non agere fabulam, actorem agere, non facere dicit, non ex vi vocum, sed ex usu ita volente arcessendum est. Ita nec perpetua distinctio inter πράττειν et ποιεῖν observatur. Imperator ex Varrone qui dicitur res gerere, neque agit in eo, neque facit, sed gerit, i. e. sustinet. Albericus Gentilis mavult legere rempublicam. Non quod imperator res gerere dicatur frequentissime, sed quoniam cur nihil in eo agat, videre nescit. Immo acta, facta imperatorum commemorantur, non solum gesta. Qui vero rempublicam gerere dicitur, is certe rempublicam nec agit, nec facit, sed vere sustinet. Enimvero iudice Gronovio, observ. L. IX. p. 225, Varro imperatorem res gerendo, negat vel agere vel facere non omni ratione, sed ea, qua poëta facit, actor agit, ut ostendat, singula haec verba suae cuiusdem propriae potestatis esse, neque ubique indifferenter adhiberi. Neque negat aliquid facere aut agere, sed ostendit, ut maxime pervagatus loquendi usus haec verba separavit. Secus et res agere dicitur imperator. ap. Liv. XXVI. 24 et 26. Ibi Laevinus, quo statu Macedonia, et Graecia Aetoli, Acarnanes Locrique essent, quasque ibi res ipse egisset terra marique exposuit. Usus est eadem phrasi Iulius Capitolinus in Antonino Pio: Maxime, cum et semper bene egisset rempublicam Antoninus. Vopiscus in Probo: exemplar agendae reipublicae. Et Augustinus serm. XIX. de Verbo Domini in Evang. sec. Matth.: Nec rem publicam gerere criminosum est, sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. Alii quoque optimae notae scriptores haec verba interdum confundunt. Livius XXXIX. 54: Neque illos recte gessisse, cum in Italiam venirent. Valerius Maximus IV. 1: Age, L. Quinctius Cincinnatus qualem consulem gessit? VII. 7. Multo Q. Metellus praetorem urbanum severiorem egit quam Orestes

Digitized by Google

cum dicit facio, *faciem imponit, a qua facile discernitur, ut dici possit, aliud esse vestimentum, aliud vas. Sic item quae fiunt apud fabros, fictores, item apud alios alia. Quidquid administrat, cuius opus non exstat, quod sub sensum veniat, ab agitatu, ut dixi, magis* agere *quam* facere, *putatur. Sed quod his magis promiscue, quam diligenter consuetudo est usa, translatitiis utimur verbis. Nam et quidem* facere *verba dicimus, et qui aliquid agit, non esse inficientem.*

AGERE est aliquid vel necessarium facere, *Agitare* voluptarium.

AGERE *apud populum*, est concionem habere ad populum sine ulla rogatione (1). *Agere cum populo* est vocare populum ad consilium, aut comitia, rogareque, ut suffragiis suis quid iubeat, aut vetet. *Illud* omnibus aeque diebus fieri licuit, et non a magistratu tantum, sed etiam a privato senatore concionem ei magistratu dante: *hoc* comitiali dumtaxat die a solo magistratu. Conf. Gellii Noct. Atticar. XIII. 14. Messala de Auspiciis Lib. I. Si *concionem habere* volunt, uti ne cum *populo agant*. Festus Pompeius: Forum est, in quo iudicia fieri, cum *populo agi*, *conciones haberi* solent.

AGGREDIMVR de longinquo, *Adorimur* ex insidiis, et e proximo, Donat. Haec differentia ex linguae indole saltem recta est, et a veteribus plerumque, sed non semper observatur. Adhibetur *adgredi* de inopinata invasione, Svet. Calig. LVI.

AGILEM, h. e. celeriter se agentem, actio et pernicitas facit; *strenuum*, motus, industria; *fortem* (2) vis animi, *robustum* corpus. Corn. Front.

gesserat. Coniungit hic utrumque indifferenter, et IX. 1. de Catilina: eodem deinde animo civem gerens, quo patrem egerat. Nolo plura e Gronovio exempla exscribere. Pro *agere* saepius poni *facere*, etiam Gesnerus non unis exemplis docuit in thes. v. *ago* et *facio*.

(1) *Agit*, qui rem iustam dicit, *orat*, qui animo demisso precatur, ut quasi beneficium praestetur sibi. Donat. R.

(2) Fortis etiam pro robusto ac valido usurpatur, v. g. apud Plinium, Ep. VII. 23: Gaudeo quidem, esse te tam fortem, ut Mediolani occurrere Tironi possis. *Robustus* etiam refertur ad oppida. Florus enim I. 12. Oppida robustissima habet, et Cic. Offic. I. 20. de animo robusto, et Phil. II. 25. de robustiore impietate loquitur. Nec tamen huiusmodi exempla differentiam tollunt.

Digitized by Google

Agmen est proprie exercitus ambulans, *acies* stans, aut in castris delitescens. Hinc locutiones: claudere *agmen*; in *agmine* anteire; praecedens *agmen*; quadrato *agmine* ingredi suos iubere; stat directa *acies*; struere, instruere, dirigere, componere, continere, perturbare, instaurare, iterare *aciem*, decernere *acie*, cadere *acie*, recedere ex *acie*. Sane *agmen* est quasi *agimen*, quod agitur sive ducitur; quare de stante aut considente exercitu solum καταχρηστικῶς, et rarius apud bonos scriptores occurrit. Atque haec ipsa causa est, quod tantummodo transferatur ad ea, quae motum, incessum vel cursum prae se ferunt, uti: *agmen* aquarum, *agmen* aligerum. Virg. Aen. I. 186: Longum per valles pascitur *agmen*.

Agnati sunt, qui (vid. Pr. Inst. de Legit. Agnat. Tut.) per virilis sexus personas cognatione iunguntur, et eiusdem nominis sunt, quasi familiae adnati, velut frater eodem patre natus, filius, neposve, item patruus, patrui filius, qui frater patruelis dicitur, et nepos. *Cognati* sunt, qui per foeminas coniunguntur, quasi simul nati, vel commune nascendi initium habentes. *Gentiles* dicuntur, qui inter se eiusdem et generis et nominis sunt, ab ingenuis oriundi, quorum nec pater, nec avus servitutem servivit, qui capite non sunt deminuti; licet interdum *gentiles* dicantur, qui simili tantum nomine appellantur. Quo sensu Plin. HN. xxxiiI. 6. dixit de servis: Singuli Marcipores, Luciporesve dominorum *gentiles*; et Cic. Tusc. Disp. I. Servium Tullium regem vocat *gentilem* suum, cum eiusdem nominis esset, non generis. Praeterea *agnatorum* nomen generale est, quo *cognati* et *gentiles* continentur. Nam, qui est *agnatus* idem et *cognatus* et *gentilis* est. Non utique autem, qui *cognatus* et *gentilis*, idem et *agnatus* est; v. g., patris frater, idest, patruus, idem *agnatus*, idem *cognatus*, idem *gentilis*, qui non sanguinis dumtaxat, sed etiam generis gentisque ratione civili mecum numeratur. At matris frater, id est, avunculus, *cognatus* est, *agnatus* non est, quia mihi sanguine tantum coniungitur, non etiam genere, propterea quod mater non ducit et propagat genus, sed exit ab ea domo, in qua nata est, et in mariti familiam transit. Cic. Invent. II. 20: Lex est, si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque eius *agnatorum*

Digitized by Google

gentiliumque esto. Ib. Si furiosus est, *agnatorum gentiliumque* in eo pecuniaque eius potestas esto. Varro L. L. VII. Ut hominibus quaedam sunt *cognationes* et *gentilitates*; sic in verbis. Ut enim ab Aemilio homines orti Aemilii ac *gentiles*; sic ab Aemilii nomine declinatae voces in *gentilitate* nominantur. *Agnati* vocabantur, qui ex eadem stirpe familiaque prodierant. Quicunque vero ex eadem gente descendebant, ii erant *gentiles*. R.

AGNOSCERE est recognoscere propinquos, amicos, aliasque res, quas ante novimus. *Cognoscere* est noscere eos, qui prius incogniti, ignoti et invisi erant, seu diligenter et attente considerare; hinc etiam *cognoscere* ad magistratum pertinet, qui de haereditatibus, de causis cognoscit. Itaque *agnoscere* plus est, quam *cognoscere*. *Illud* adfectum simul et voluntatem, prolixumque studium, *hoc* tantummodo nudum intellectum respicit; *illud* specialius, *hoc* generalius est. Sic *agnitio* Dei plus est, quam *cognitio* Dei. *Haec* plurium, *illa* pauciorum. Pater *agnoscit* filium, cum eum ad se adsciscit et pro suo habet. Quae liberorum agnitio ICtis est τῶν παιδῶν ἀνάλημψις. Hinc intelligitur quid sit: agnoscere aliquem discipulum suum. Agnoscere erratum suum, est confiteri, cum affectu, cum dolore animi. Homines in densis tenebris aliquo modo Deum *cognoscunt*, sed non *agnoscunt*, h. e. non colunt, nec gloria afficiunt. Impii ergo, sacrarum litterarum notitia imbuti, habent potius cognitionem quam agnitionem. Pacuvius: In turba Oresti *cognita*, *agnita* est soror. Svet. Tib. XXIII: Illatum deinde Augusti testamentum, non admissis signatoribus, nisi senatorii ordinis, caeteris extra curiam signa *agnoscentibus*, recitavit per libertum. Corn. Nep. Ages. I: Filium reliquerat Leotychidem, quem ille natum non *agnorat*: eundem moriens suum esse dixerat. Sed haec differentia non semper servatur, ut Sallust. Catil. XLVII: Cum prius omnes signa sua *cognovissent*. Cic. Fam. I. 7: Quod mihi de filia gratularis, *agnosco* humanitatem tuam.

ALA est brachium avis alatum, cuius ope ales volat, omneque alatum animal. *Penna* avium vestis, qua etiam volant. *Pluma*, mollior et minor penna. *Talaria* sunt alae talorum Mercurii. Proprie autem sunt calceamenta, quae ad talos

Digitized by Google

ligantur. *Alas* avis expandit, *pennis* volat, *plumis* tota vestita est.

Ala est vox socialis militiae propria. Dicitur quidem de Romanis etiam, sed perraro apud veteres. *Cornu* vero de legionibus aeque ac de sociis legitur. Vid. Lips. L. II. de mil. rom. Dial. II. p. 97. *Ala* plerumque equitum tantummodo est, *cornu* peditum equitumque. Servius ad Virg. Aen. IV. 121: *Alae*, equites, ab hoc *alae* dicti, quia tegunt pedites alarum vice.

Alacer dicitur is, cui omnis sensus in suo quisque loco degit, *lacer* vero, qui sic est affectus, ut vultu indicet, adesse animum non sincerum sensibus suis: qua re cognita, illud quoque intelligitur, aliud esse *alacrem*, aliud *laetum*. Sunt qui *alacrem*, festinantem, et properum putent, quasi alis acrem. Pedian. R.

Alapa quomodo differat a *colapho*, Willichius ad Ter. Adelph. II. 1. 46. exponit ita: *Colaphum* infringere est compressa in pugnum manu caedere, sicut *alapam* infligere est diducta manu verberare.

Albvm minus est, quam *candidum*. Nam *album* propius est pallido, et contrarium atro; at *candidum* intensa et nitente luce perfusum est, et opponitur nigro, uti album atro. *Illud* natura, *hoc* cura fit. Front. *Album* natura, *albatum* ita factum. *Albus* color nativus lanae est, *candidus* proprie splendens ille et qui est ab arte. Isidor. R. Hinc *alba toga* erat communis civium romanorum vestis, qua diebus festis et solemnibus induebantur. *Candida* vero eorum, qui honores petebant, in quam, intendendae albedinis causa, cretam addebant. Quo allusit Persius Sat. v. 176. seq.: Quem ducit hiantem *cretata* ambitio. Quamquam *haec duo* interdum confunduntur, ut cum Cato dixit: In Italia *atras* capras lac *album* habere. Varro in Andabatis: *Candidum* lacte e papilla cum fluit.

Alere est vitam sustentare rebus ad victum cultumque corporis maxime necessariis, ut cibo, vestitu, habitatione, etc. seu est parvos nutrire, ut crescant. Transfertur quoque saepissime ad incorporea. Sic puerile studium laudibus *alitur* i. e. augescit. Memoriam ingeniumque assidua exercitatio *alit*. *Educare*, (pro quo Ter. in Eunuch. I. 2. 37. et

Digitized by Google

Virg. Aen. VI. 765. educere dicunt), est a teneris ad maturam aetatem educere, et hoc amplius liberaliter habere et instituere. L. 7. de alim. Legat. Nam qui *alit*, tantum praestat alimenta; qui autem *educat*, non modo corpori necessaria suppeditat, sed etiam adhibet disciplinam et institutionem. Attius in Andromeda: *Alui*, *educavi*, id facite, gratum ut fiat seni. Plaut. Menaech. I. 1. 22: Nam illic homo homines non *alit*, verum *educat* recreatque. Non. Marcel. Unde licet colligere, plus etiam esse recreare quam alere. Paraeus.

ALI est nutriri; *Pasci* autem est, natos cibo saginari. Varro in Gerontodidascalo: Ubi graves *pascantur* et *alantur* pavonum greges. Sic altilia dicuntur animantia, quae inclusa aluntur, sive aves in corte aut aviario, sive quadrupedia in roborario, sive pisces in vivario. Neque tamen hoc usquequaque perpetuum videtur. Nequid enim dicam de poëtis, qui vocabulorum differentias omnino negligentius tractant; sunt etiam apud prosae orationis scriptores loci, ubi *pasci* pro *nutriri* poni videtur. Non. Marcell. v. 74.

ALIAS, alio tempore significat, *alia* aliter, aut per alia. Don. R.

ALIQVANTVM, id est, paulum, vel nonnihil, ad modum refertur. *Aliquot* ad numerum. *Aliquantisper* ad tempus, sed cum significatione brevitatis, quemadmodum et *tantisper*; ut: *Tantisper* heic mane, dum huc recurro. Interdum usurpatur pro *non diutius*; ut: *Tantisper* te meum dico, dum quod te dignum est. *Paulisper* idem ad tempus pertinet, ut: Paulum admodum rei, *paulisper* ausculta. Errant igitur, qui *paulisper* usurpant pro *parum* sive *paulum*. H.

ALIQVIS et QVISPIAM fere idem significant. *Quidam* pro certo non nominato ponitur. *Quidam* notat rem certam, *aliquis* rem incertam et vagam, sed haec differentia non semper vera est. *Ullus* fere interrogative, aut negative, aut subiunctive ponitur. Non est *ulli* fides. Vocat me *ullus*? Si quaeret me *ullus*, dicito, me esse domi. Eodem fere modo usurpatur *quispiam*. H.

ALITVDO, incrementum est corporis: *alimentum*, infantis; *alimonia*, derivativum ab alendo, quasi particula animi. Front. R.

ALIVS de pluribus dicitur. *Alter* de duobus. *Alius* esurit, *alius* ebrius est: *alios* alia delectant.

E duobus filiis *alter* duxit uxorem, *alter* in bello periit.

Digitized by Google

Alter *alterum* sublevat. *Alius* interdum sonat diversum. *Alia* res est. *Alius* es multo, quam soles. *Alter* similitudinem; ut, *alter* Tullius, i. e. Tullio simillimus. *Alter* interim secundus dicitur, ut, tu nunc *alter* eris ab illo. Praeteriit dies unus, *alter*, tertius. H.

Etiam *ἀκρίβειαν* illam, qua *alius* ab *altero* dicto iam modo differt, veteres interdum negligunt, ut Apuleius Miles. v. de duarum sororum colloquio addit: suscipit alia. Plautum quoque, Ciceronem, Caesarem ac Livium non semel ita usos hoc vocabulo, Taubmanus animadvertit.

ALLEGARE et LEGARE differunt ita, ut *allegare* idem sit quasi in legationem aliquem rogatum pro parvis privatisque causis mittere, *legare* pro publicis magnisque rebus. Ita dixeris, amicos *allegare* ad aliquem, et in Africam *legantur*, qui amicos regis adeant. Perspexerunt hanc differentiam Hadr. Cardinalis in suo libello de sermone latino, et Antonius Schorus in libro de phrasibus L. L. Et sane loca scriptorum, quae citant, satis id demonstrant. Conf. Vorstius de lat. merit. suspecta p. 142.

ALLEVARE proprie est levius aliquid facere seu reddere, deinde in altum tollere. *Elevare* est sursum tollere, immo et idem atque extenuare ac deminuere. H.

ALLOQVIVM est sermo, qui levandi ac minuendi alieni doloris causa habetur: sicut alloqui interdum est consolari. *Colloquium* est confabulatio quaelibet. *Colloquium* cum conveniunt in unum locum *loquendi* causa. Hinc *adlocutum* mulieres ire aiunt, cum adeunt aliquem *consolandi* causa. *Loquela* verbum, quod in loquendo afferimus. Hor. Epod. XIII. 17. seq.: Illic omne malum vino cantuque levato, Deformis aegrimoniae dulcibus *alloquiis*. Catul. Epig. XXXIX. 4. seq.: Quem tu, quod minimum facillimumque est, Qua solatus es *allocutione?*

ALLVVIONES sunt vel fluminum, vel maris, vel pluviae, aut demersiones, aut translationes locorum; *Eluviones* vero fossae pluvia factae. R.

ALTARE est, quod a terra erectum atque exaltatum est: *Ara* vero, quae in terra statuitur, ita ut nihil altitudinis prae se ferat. [illegible] mensae in aedibus sacris, atque etiam privati[illegible] obtinebant. *Illud*, in quo victimae adole-

Digitized by Google

bantur, *haec*, in qua supplicabatur, aut libabatur tantum. *Illud* superis Diis tantum consecratum erat. *Haec* tam superis quam inferis. Virg. Ecl. v. 65. seq.: En quatuor *aras*. Ecce duas tibi Daphni, duoque *altaria* Phaebo! Plin. HN. xv, 40: Ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his *altaria araeque* debeant. Plin. in Paneg. I: Qui ipsi inter *aras* et *altaria*. Arnob. vI: Non *altaria* fabricamus, non *aras*. Id. vII: *Arae* istae, quas dicitis, *altariaque* haec pulchra. Quamquam *altare* numero multitudinis interdum significat eminentiam ararum, ut Virg. Aen. II. 515: Et natae nequicquam *altaria* circum. Tac. Ann. xvI. 31: *Altaria* et *aram* complexa. Aliquando Libamina *aris* imposita. Sic iterum Virg. Aen. II. 174: Paterisque *altaria* libant. *Ara* dicta ab ariditate, quia in iis adoletur ignis; est enim focus sacer, sacrificiis ustulandis destinatus. *Altaria* ab alendo, quia igni adduntur alimenta. *Ara* dedicabatur non in templis tantum, sed et in plateis ac vicis, nec a principibus solum, sed a privatis etiam; ut *altaria* illustrius aliquid, splendidius et divinius notent, quam *arae* (1)

ALTER. *V.* ALIVS.

ALTITVDO est incrementum corporis. *Alimentum* incrementum infantis. *Alimonia* derivativum ab alendo, quasi particula animi. Front.

ALTOR sumitur semper active, et notat illum, qui alit; *Alumnus* vero ex mente Vallae Eleg. vI. 1. tantummodo passive, idemque est, ac qui nutritur. Verum, quod praedicta vox active quoque, h. e. pro eo, qui nutrit, accipiatur, omissis iam Virgilii, Taciti ac Plinii testimoniis, Varro hoc modo testatur: Et ecce (inquiens) de improviso ad nos accedit cana veritas, atticae philosophiae *alumna*. Ex veritate namque philosophia, et non ex philosophia veritas est nata. Hinc in activa significatione respondet Graecorum τροφὸς. In passiva τρόφιμος. Quamquam hoc vocabulum apud Dioscoridem, Theophrastum, et alios active etiam sumitur. H.

(2) Ad christianos quod attinet, censet Morcellius, (*De stilo Inscr. Lat.* I, 17) hoc discriminis statuendum esse inter aram et altare, ut *altare* nunc appellemus, in quo sacrum fiat, *aram* vero, quae sacri honore careat; cuiusmodi quaedam in aediculis prope vias ruri visuntur. TH. VALL.

Digitized by Google

ALTVM et quod sursum est, et quod deorsum. Agraet. R.

ALVVS proprie virorum est, alias dicitur venter animalis. *Uterus* mulierum, est enim locus, quo foetus conceptus continetur. *Venter* utriusque, proprie autem est corporis regio ima, alimentorum receptaculum. Agr. Consumit *venter*, *uterus* parit, egerit *alvus*. P.

A MANV est is, qui amanuensis aliter dicitur, cuius scilicet opera et manu ad scribendum utimur. *Ad manum*, qui praesto adest ad imperata facienda. Hanc vero differentiam omnino vanam ac irritam esse, testatur Claud. Salmasius, eminentioris litteraturae eximie peritus vir, in notis et animadv. ad Prooem. Comment. Simplicii in Epicteti Enchirid. p. 8. his verbis: Falsi sunt viri doctissimi, quibus hactenus persuasum fuit, discrimen esse inter servos ad manum, et amanuenses, sive a manu, quasi hi tantum sic vocati essent, quorum opera dominus in excipiendo, quae dictaret, et scribendo uteretur. Nam a manu servus, et ad manum idem. Ut *servus a veste*, *et ad vestem*, et alia id genus complura. Servi enim amanuenses, quos etiam προχείρους graece dictos licet hariolari, erant in ministerio quotidiano, et dominis semper praesto esse debebant, qui propterea et ad manum servi dicebantur, et continebantur illorum appellatione muliones, vestitores, obsonatores, vestiarii, cellarii, cubicularii, arcarii, coqui, placentarii, tonsores, pistores, lecticarii et alii omnes huiusmodi. Attamen scribae videntur quibusdam κατ' ἐξοχὴν amanuenses dicti, quia praeter caeteros urbani ministerii famulos erant maxime ad manum. Rusticani enim ministerii servos dominis suis non semper ad manum praesto fuisse, docet nos Paulus III. Sent. Tit. VII: Servis, inquit, amanuensibus legatis omnes, qui ex conversatione urbana et in ministerio fuerint, debebuntur, nisi ex his aliqui perpetuo ad opus rusticum transferantur. Addit mox: dubitatum esse, an venatores servi, vel aucupes inter urbana ministeria continerentur. Quod idem est, ac si dixisset, inter amanuenses. Cic. de Orat. III. 60: Quem servum ille habuit *ad manum*. Svet. in Aug.: Thallo *a manu*, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura fregit. Sic *A pedibus* servus dicitur, qui negotia domini pedibus exsequitur. *Ad*

Digitized by Google

pedes olim erat, qui stabat pone dominum accumbentem, et coenanti ministrabat. Nam lecti tricliniares in medio coenationum sternebantur, ut spatium, quantum satis esset ministrantibus, relinqueretur. Cic. ad Att. VIII. 5: Pollicem, servum *a pedibus* meum, Romam misi. Senec. de Benef. III. 27: Servus, qui coenanti *ad pedes* steterat. Mart. Ep. VII. 20. 19:

Misto lagenam replet ad pedes *vino.*

Id. III. 23. tamen dixit:

Omnia cum retro pueris obsonia mittas:
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

AMATOR fingere potest, AMANS vere amat. Donat. *Amator*, qui ad tempus, *Amicus* qui perpetuo amat. Donat. *Amans* in actione, *Amator* est in proclivitate. R.

AMBARVALES hostiae dicuntur, quae rei divinae causa circum arva ducuntur ab iis qui pro frugibus faciunt. *Amburbiales* hostiae, quae circum terminos urbis Romae ducuntur. Fest. R.

AMBITIO cupiditas gloriae, vel magnarum rerum desiderium. *Ambitus* est crimen affectati honoris, seu est captatio honorum aut dignitatum. *Hic* actu et opere perficitur, sive in petitione versatur; *ille* est in animo (1), velut causa et origo ambitus. Nam qui honores plus nimio appetunt, hi largitionibus, blanditiis, aliisque malis artibus populi suffragia captant. Hinc vero *ambitus* cui reprimendo latae leges, Baebia, Calpurnia, Pompeia, Tullia, Iulia; etiamsi ambitio frequenter quoque sumatur pro favore et gratia. Indeque fit ambitiosus, ut ambitiosus iudex, et ambitiosa sententia, quae gratis, vel accepta mercede, in alicuius favorem a iudice fertur. Cic. Ep. Fam. XIII. 17: Quod solent facere qui religiose et sine *ambitione* contendunt. Svet. Domit. VIII: *Ambitiosas* centumvirorum sententias rescidit. Ulp. de off. Cur. Reip. IV. D. de decr. ab ord. fac.: *Ambitiosa* decreta decurionum ait, rescindi debere, sive aliquem debitorem demiserint, sive largiti sint.

(1) Ambitus honoris dici coeptus est a circumeundo supplicandoque. Ambitio est ipsa actio ambientis. Fest. Ambitio etiam dicitur magnarum rerum desiderium et appetitus. Interim tamen *ambitus* pro *ambitione* usurpat Florus I. 16. et versa vice *ambitio* pro *crimine ambitus* Iustinus, Livius, Cicero, Sallustius.

Digitized by Google

AMBO sunt duo, vel duae coniunctim, ideoque de iis dicitur, qui uno tempore, aut simul, quid faciunt, ut, Cicero et Antonius *ambo* consules fuerunt, qui consulatum una gesserunt. *Uterque* eos designat, qui diverso tempore, et separatim, quid faciunt, ut Cato et Cicero uterque fuit orator, qui diversis aetatibus vixerunt. Sic in senatusconsultis addi solebat: consules alter *ambove*. Cic. Phil. VIII. 11: Uti C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter *ambove*, si eis videbitur.

AMBVLARE est spatiis factis in eadem vestigia saepius reflectere, idque ad voluptatem, vel sanitatem. Interdum spatiari, vel deambulare, significat. Interdum longioris itineris est, et idem est, quod ire vel iter facere. Inde ambulatio, quae interdum pro loco, in quo ambulamus, interdum pro ipsa ambulationis actione ponitur. *Ire* est porro et ulterius pergere et fere ob negotia persequenda. *Incedere* est ingredi composito, vel cum gravitate et pompa. Ulp. Institut. VII: *Iter* est ius eundi ambulandi hominis. Sen. Quaest. Nat. VII. 31: Tenero ac molli passu suspendimus gradum, nec *ambulamus*, sed *incedimus*. Sallust. Iug. XXXI: *Incedunt* per ora vestra magnifice. Id. in Catil. LX: Cohortes paulatim *incedere* iubet. *Ambulare* incipiunt infantes; *inambulant* aetate pleni. Fronto.

AMENS est, qui omni sensu et ratione caret, vel qui a mente motus est, ut, furiosus, fatuus et attonitus. *Demens* appellatur, qui non est integra mente et sana; retinet tamen communem vitae cultum, ut est rudis et vanus. *Amens* tota mente caret, *demens* parte. *Mente captus* dicitur, cum mens ex hominis potestate abiit. Fest. R. Afranius in Vopisco: *Amentes*, quibus animi non sunt integri, surde audiunt. Sallust. de Republ. ordinanda I. 12: Insomniis exercitus, furibundus atque *amens* alienata mente feraris. Sed nonnumquam confunduntur. Cic. Tusc. III. 5: Nec minus illud acute, quod animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt *amentiam*, eamdemque *dementiam*.

AMICITIA, ut AMOR, plus est, quam *benevolentia*. *Illa* est amantis et inter eos, qui se norunt; haec diligentis. Svet. Tiber. LI, Amicitias et familiaritates pro amicis usurpavit. Ita enim scribit: Testamentum quoque eius pro irrito habuit, omnesque *amicitias* et *familiaritates*, etiam quibus eam fu-

Digitized by Google

neris curam moriens demandarat, intra breve tempus afflixit. Cic. Fam. III. 9: Nihil est, quod studio et benevolentia, vel *amore* potius, effici non possit. Id ib. v. 16: Officium tamen functum *benevolentissimi* atque *amicissimi*. *Amicitia* est, ubi etiam non est usus. *Familiaritas* est consuetudo et usus cum aliquo. Paraeus R.

Amicvs, quasi animi custos, semper in bonam partem sumitur, et non solum ad personam, sed etiam ad res refertur, et est, qui sincere et constanter alterum amat. *Amator* est, qui temporarium alteri officium, aut obsequium praestat. Vel *amicus* animi est. *Amator* corporis, ideoque et turpitudinis, quia amore libidinis torquetur. Cic. Verr. v. 63: Tuus antiquissimus non solum *amicus*, verum etiam *amator*. Lucil. Sat. XXIX. Favitorem me tibi, *amicum*, *amatorem* putes. Plaut. Truc. I. 2. 70: Sed longe aliter est *amicus* atque *amator*. *Amasius* est pronus ad libidinem: *Amabilis* vero amore dignus. Valla v. 37.

Amittere (1) levius est et minus, quam *perdere*. Nam *amittimus* quoque vitio alieno; *perdimus* duntaxat nostro. Et *amittimus* etiam id, quod recuperare possumus; *perdimus* id, quod omnino periit. Ita pie defunctos *amisimus*, sed non perdidimus; e contrario oleum et operam non amisimus, sed perdidimus, idest frustra consumpsimus; unde *perditus homo*, qui a recta ratione ita alienatus est, ut ad eam redire iam non posse videatur; et *perditae res* convulsae et prostratae sunt (2); itemque *deperditum*, quod in rerum natura esse desiit, auctore Caio Icto. Confunduntur tamen frequenter, ut Cic. Fam. v. 16: Minus miseri, qui liberos his temporibus *amiserunt*, quam si eosdem bona, aut denique aliqua republica *perdidissent*. Ulp. ad Edictum III. 9. D. de V. Sign. Verbo *periisse* et scissum et fractum contineri, et vi raptum. Id. L. LVI. 4. D. de Vi Bon. Rapt. *Amissa* autem dicuntur ea, quae corrupta alicui relinquuntur, scissa forte, vel fracta.

(1) Quando pro dimittere ponitur, eleganter dicimus amittere e manibus, vel de manibus, vel amittere absolute. Alias est remittere nolentium, dimittere volentium.

(2) Perdere enim nonnumquam pro affligere atque evertere sumitur. Nam qui perdit, partim scienter corrumpit, partim inscienter amittit.

Digitized by Google

AMO et DILIGO hoc differunt, quod *amo* maiorem vim atque affectionem denotet, seu longe amplius atque efficacius sit, quam *diligo* (1). Sicut apud Graecos plus est στέργειν, quam φιλεῖν, et φιλεῖν, quam ἀγαπάζειν (2). Ter. Eun. I. 2. 16: Non quo quemquam plus *amem* aut plus *diligam*. Cic. Fam. IX. 14: Tantum tamen accessit, ut nunc demum *amare* videar, antea *dilexisse*. Id. Fragm. ap. Non. IV. 78: Me aut *amabis*, aut, quo contentus sum, *diliges*. Praeterea *diligimus* ex virtute; *amamus* vero interdum utilitatis aut voluptatis causa. Id. Amic. IX: Ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me *dilexit*. Valla v. 37. *Amare* est efficacius quam *Diligere*; *Colere* modo est venerari seu cultum tribuere maioribus, modo est prosequi: sic *colimus* pares amore et officio, minores humanitate et beneficiis; id est, prosequimur amore, officio. R.

AMOLIRI dicuntur ea, quae cum magna difficultate et molimine submoventur, seu magno labore amoventur, et tolluntur e medio. Itaque *se amolitur*, qui vix recedit. Donat. R. *Discedere* dicitur, qui facile abit e medio. Donatus.

AMOR et honestus, et sic debetur fratribus, coniugibus, liberis atque familiaribus, et turpis est. Casp. Barthius, Adversar. XXXIX. 6. ex grammaticis quadripartitam amoris differentiam observavit quando videlicet illum honestum,

(1) Videtur Scaligero diligere dici a diligendo, quod tamquam initium sit amandi.

(2) Στέργειν autem utraque hac voce est ἐμφατικώτερον. Notat enim naturali quadam caritate complecti, qualis est amor atque affectus parentum erga liberos, liberorum vicissim erga parentes et sanguine iunctos, Graecis στοργὴ dictus. Sed quomodo dii (addamus et deae) amare nos dicantur, Leg. Gasp. Sciopp. Franci, Suspectar. Lection. lib. II, epist. XVII: Venus nos amare dicitur, quando venustatem nobis et potentiam in amore largitur. Sic amamus nos invicem, amamus nos mutuo, amamus nos pariter, amamus inter nos, idem significant; sed in postremo non geminabitur accusativus, ut: amamus nos inter nos; sed amamus inter nos. Adamare est amatorie amare, sive amare incipere et multo minus, quam deamare, quod idem est, ac valde amare. V. g. Si quem sincero amore adamasti, constanter deama, amantemque te redama, sicut solet amasius amasiam. Sic a latinis amplecti et amplexari pro valde amare ponuntur.

Digitized by Google

pium, crudelem atque obscoenum esse dicit, hoc quidem modo, ut honestus coniugibus, pius famulis debeatur; crudelis vero contra naturam, atque obscoenus tantummodo meretricum sit. *Caritas* tantum honesta, et Deo, patriae atque patribus prae ceteris exhibenda est. *Ille* omnibus etiam brutis convenit, et saepe conciliatur voluptatis aut utilitatis gratia. *Haec* hominum (1) ac Dei dumtaxat est, et ex sola virtute proficiscitur. Vel *amor* re et factis declaratur. *Caritas* animo inhaeret. *Amor* etiam plus est quam *caritas*. Hinc quando coniunguntur, *amor* posteriore loco ponitur. Cic. Amic. v: Ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis *caritas* aut inter duos, aut inter paucos iungeretur. Gell. xii. 5: Natura, inquit, omnium rerum, quae nos genuit, induit nobis, inolevitque in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, *amorem* nostri et *caritatem*. Trebonius Ciceroni: Et *caritate* et *amore* tuum officium praestaturos. *Amor* iudicii est, *Cupido* inconsideratae necessitatis. Non usquequaque tamen id differentiae a veteribus observatum.

Amphimalla et Gavsape non sunt eaedem vestes. *Gausape* erat vestimentum ex pingui ac densa lana compactum, tunica, lacerna, penula, sed ex una tantum parte villosum, *amphimalla* autem utrinque habebant villos. Plin. HN. viii. 73: Antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. Gausapa patris mei memoria coepere, amphimalla, nostra. V. Ferrarius de re vestiar.

Amphitheatrvm dictum, quod ex duobus theatris sit factum, nam rotundum est; *theatrum* vero ex medio amphiteatro est, semicirculi figuram habens.

Ampliare in sensu fere physico et proprio, v. g. *ampliare* templum, aedes, vulnus, raro improprie. *Amplificare* promiscue sumitur, et physice et moraliter, ut: amplificare

(1) Cic. Partit. Orat. xvi: Amicitiae *caritate* et *amore* cernuntur. Nam cum deorum tum parentum patriaeque cultus, eorumque hominum, qui aut sapientia aut opibus excellunt, ad caritatem referri solent; coniuges autem et liberi et fratres et alii, quos usus familiaritasque coniunxit, quamquam etiam *caritate* ipsa, tamen *amore* maxime continentur.

Digitized by Google

domum, urbem, alicuius dignitatem, gloriam, aliquid dicendo. Hoc patet quodammodo latius illo.

AMPLIATIO erat quoties iudices pronunciabant, rem sibi non liquere, et amplius cognoscendum esse. Quo facto, secunda actio iterum instituebatur, quocumque die iudex volebat. Sed is solus causam perorabat, in cuius oratione obscuritas fuisset. *Comperendinatio* autem erat, cum litigatores, prima actione perfecta, etiamsi iudices non iudicassent, in diem tertium, sive perendinum secundum, reiiciebant, et tum uterque iterum causam dicebat; prius tamen defensor, quam accusator audiebatur. Itaque in *comperendinatione* potuit esse *ampliatio*; in ampliatione autem haudquaquam comperendinatio. Sic *comperendinati* rei possunt dici in causis criminalibus, quos curia dimissos fide sua esse voluit, id est, quos suae ipsorum custodiae commisit, ut aut urbem iusti carceris loco habeant, aut primatem aliquam domum, ut fit interdum ex personarum dignitate, et genere causarum (1).

(1) Quid inter comperendinationem et ampliationem intersit, indicat Io. Alb. Spies in Diss. de comperendinatione § 20. Alii nihil prorsus differentiae inter utrumque genus animadverterunt. Alii, cum Budaeo, differre quidem ampliationem a comperendinatione, sed leviter tantum, et solo fere temporis intervallo, existimarunt, cum tamen praeter hanc, plures aliae, eaeque longe graviores fuerint discriminis rationes, quas uno conspectu, et velut in compendio exhibebimus. Et primo quidem *comperendinatio* facta est, etiamsi iudices primo coetu non iudicassent, immo ne iudicare quidem ante secundam actionem licuit; *ampliatio* vero ex incerta iudicum sententia est. Deinde in *comperendinatione* semel dumtaxat iudicium differebatur, et numerus duarum actionum a lege praestitutus erat, *ampliatio* saepius fieri poterat, nec certus actionum definitus erat numerus, adeo ut causam L. Cottae, repetundarum accusati a P. Scipione, septies ampliatam, ex Valerio L. VIII. c. 1. n. 11. intelligamus. Porro in *ampliatione*, docente Asconio, is solus iterum causam dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas; in *comperendinatione* ab utraque parte iterum acta causa fuit. Praeterea in *comperendinatione* defensor primum dixit, deinde accusator; in *ampliatione*, si ab Asconio discedamus, primum accusator, deinde defensor. Denique *ampliatio*, in quemcumque diem praetor iuberet, iudicium differebat, *comperendinatio*, ex praescripto legis, in tertium dumtaxat. Tacemus nunc, *comperendinationem* etiam origine ab *ampliatione* differre, cum haec longe vetustior fuerit, et multis ante primam de repetundis legem annis in foro usitata; illa

Digitized by Google

Cic. Caecin. x: Cum eius consilii iudex non esset, et in eo consilio cum causam non audisset, et potestas esset *ampliandi*, dixit, sibi liquere. Id. Verr. III. 9: Adimo *comperendinatum*, quod habet in se lex molestissimum, bis ut causa dicatur.

vero, demum Ciceronis aetate, ex lege Servilia Glauciae descenderit. Item et *comperendinationem* soli publico repetundarum iudicio propriam videri; cum *ampliatio*, si non iudiciis publicis privatisque communis, certe in publicis omnibus recepta fuerit. Sed aliam adhuc differentiam invenisse sibi visus est P. Manutius, vir doctissimus, qui in libro de LL. Romanis, cap. 22. inter alia ita scribit: *Differt etiam in hoc a comperendinatione ampliatio, quod ampliatio tantum a iudicum arbitrio ac voluntate pendet; comperendinatio est illa quidem in iudicibus posita, sed petente, vel accusatore, vel defensore. Nam si alteruter, aut uterque petiisset, nihil iudices de comperendinando reo cogitassent. Non potuisse autem comperendinationem invitis iudicibus omitti, Pedianus docet, cum ait, ideo testibus usum esse Ciceronem, ut, si posset, comperendinationem tolleret. Sperabat enim Cicero, causa per testes patefacta, iudicibusque probata, futurum, ut de tollenda comperendinatione a iudicibus impetraret. Et paullo inferius: frustra enim, inquit, Cicero conatus esset tollere, ac ne conatus quidem esset, si necessaria fuisset.* Putat adeo vir eruditus, comperendinationem ex lege Servilia minime necessariam, sed tum in ipsorum iudicum, tum in accusatoris atque defensoris voluntate positam fuisse. Cui vero opinioni ut subscribamus, induci non possumus, quamvis ea etiam arriserit Phil. Broidaeo in Corollar. 2. ad cap. 15. L. IV Hist. For. Rom. Polleti, et Sam. Pitisco in lex. antiq. rom. sub voce *ampliatio*. Ubicumque enim in orationibus Verrinis comperendinationis mentio fit, ita de hac re loquitur Cicero, ut illam sententiam haud obscure falsitatis arguat. Quid enim? verba illa: *Adimo comperendinatum, quod habet lex in se molestissimum, bis ut causa dicatur?* Quid deinde? *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus, etc.* Quid porro? Reus, lege comperendinatus, re et opinione hominum paene damnatus? Nonne omnia potius iudicant, comperendinationem utique legitimam fuisse atque necessariam? Tacemus alia argumenta huius rei ex iisdem orationibus passim desumenda. Etsi vero Manutius auctoritate nititur Asconii satis gravi, nec profecto nullius momenti videtur viri doctissimi argumentatio, tamen et hic locus, ad quem provocat, rem minime conficit. Is autem est in argumento Verrinae II. ubi haec legimus: *Ostenditur, certandum cum Hortensio astutia, non utendo horis omnibus ad dicendum, ad tollendam si fieri possit, comperendinationem, per testes crimina comprobando.* Quibus verbis hoc dici ab Asconio, Manutius existimat, Ciceronem id egisse, ut causa rite patefacta et probata, de tollenda compe-

Digitized by Google

AMPLIVS saepius spatii, *plus* quantitatis est. R.

AMVRCAM inter et FAECEM, de quarum priore agit Plin. HN. XV. 8. et Varro de RR. passim, hoc esse discrimen

rendinatione a iudicibus impetraret, utique adeo statim post primam actionem, de Verre in consilium iretur. Quod, si verum est, omnino evincit, comperendinationem in reorum postulatione simul atque iudicum potestate, fuisse positam. Sed fallitur vir eruditus, et, si haec eadem mens fuisset Asconii, ipse quoque falsus esset quantivis pretii interpres. Quid enim, si de comperendinatione, iure suo, et permissu ipsius legis, tollenda cogitasset Cicero; quid inquam, Act. I. 11. dixisset; mea ratio est, ut ante primos ludos comperendinem? quid item in hac prima actione ad secundam toties provocasset? Sic, e. g. circa finem: *Si quis, inquit, erit, qui perpetuam orationem, accusationemque desideret; altera actione audiat.* Et paullo post: *Haec primae erit actionis accusatio.* Ergo et secundam institui volebat. Non adeo ita simpliciter et κατὰ λέξιν intelligenda sunt illa verba Pediani, sed plane alio spectant. Scilicet, non permissu legis, de tollenda comperendinatione laborabat Cicero, sed astutia et calliditate. Haec vero cuiusmodi fuerit, iam luculenter demonstravit Hotomannus, in comment. verb. iur. sub voce *ampliatio*, cuius verba, cum rem prorsus egregie declarent, non possum, quin hic integra repetam. *Verum*, inquit, *postquam illam Manutii sententiam proposuit, alio pertinere locus Asconii videtur; nimirum eo, ut illa astutia et calliditate Cicero utens, qua est usus h. e. simpliciter testibus interrogandis crimina exponens, et perpetuam orationem emittens, Hortensio defendendi faculiatem priore actione adimeret. Quod eo ipso consilio Ciceronem affectum, Pedianus ipse in extremo eiusdem orationis demonstrat: Quibus rebus, inquit, adeo stupefactus Hortensius dicitur, ut rationem defensionis omitteret. Et* Cicero *Verr.* III. 11: *Vereor, ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset, eum ego bis accusare non possem. Item in* V. 16: *Qui testes interrogari priore actione nolueris, et iis tacitum os tuum praebere malueris: item in* VII. 59: *Quoniam priore actione, ut patroni tui dictant, nova quadam sapientia ut omnes intelligunt, conscientia tua, atque auctoritate meorum testium; testem nullum interrogasti. Item Asconius in* II. *argumento: Qua arte ita est fatigatus Hortensius, ut nihil, contra quod diceret, inveniret. Item in* III. 9: *Astutia Ciceronis haec fuit, utendo testibus; ut nihil reliqui esset Hortensio, nisi ut eos interrogare posset: dicendi autem facultatem nullam ei dedit, nihil ipse dicendo. Satis aperte, opinor, docuimus, adsecutum fuisse Ciceronem id, quod contendebat; nimirum ut comperendinatio tolleretur, non legis permissu, sed astutia et calliditate. Sublatam autem ideo comperendinationem, quia si fuisset comperendinatio, semel atque iterum defensus Verres fuisset. Nunc autem defensus non est. Itaque post perpetuam orationem Ciceronis, et quinque libros pronunciatos, semel tantum defensus fingitur, quasi unica*

Digitized by Google

in Fabri lexico adseritur, ut *faex* in olei expressione sequatur, *amurca* autem praecedat.

actione transactum iudicium ex Caecilia vel Acilia lege fuisset. Hactenus Hotomannus. Sed et alia quodammodo nobis ipsis in mentem venit verborum Asconii interpretandorum ratio. Supra enim iam monuimus, comperendinationem, sive secundam actionem in causa Verris utique secutam non fuisse. Quemadmodum igitur hoc non propter legem factum est, aut ex praetoris atque iudicum voluntate, sed, quoniam Verris defensor, Hortensius, patrocinium destituisset, et conscientia scelerum, ipse Verres iam sponte demigrasset exsulatum; ita nec tollendae comperendinationis aliam viam iniisse Cicero videri potest; quam ut prima actione, perpetua oratione omissa, et defendendi facultate Hortensio ademta, per testes crimina statim comprobando, Verrem ita opprimeret, ut ipse actionem secundam sustinere amplius nollet, sed poenas, quas ex legibus metuebat, voluntario exsilio vitaret. Sicuti vero iam satis ostendimus, verba Asconii illud minime significare, quod Manutius existimavit, comperendinationem scilicet in iudicum arbitrio et voluntate positam fuisse; ita tamen ex iis, quae ad illustrandum hunc locum modo attulimus, alia quaedam, eaque non minor oritur difficultas, quam miror a Manutio non esse observatam. Cum enim Cicero in prima actione perpetua oratione non fuerit usus, sed testium interrogatione accusationem totam expedierit; quo factum est, ut causa Verris, ex lege bis dicenda, semel tantum in iudicio dici potuerit: necessum omnino videtur, ut comperendinatio saltem hactenus in potestate iudicum, et accusatoris reique, fuerit. Quo pertinent ipsa Ciceronis verba, supra illustrata: *Adimo comperendinatum, quod habet lex in se molestissimum, bis ut causa dicatur.* Verum salva res est. Neque etiam hoc concedimus, ordinarie vel iudicum, vel partium arbitrio a lege relictum fuisse, utrum prima actio perpetua oratione transigenda esset, nec ne. Quomodo enim vel ipse Hortensius tam graviter et invidiose potuisset queri, Ciceronem Verri comperendinatum adimere, si lex illud permisisset? Aut, quid opus fuisset, ut Cicero de impetranda hac re a iudicibus tantopere laboraret, si iure suo eam postulare potuisset. Id ipsum potius indicio est, legem utique voluisse, ut causa in utraque actione perpetua oratione dicatur. Sed in causa Verris necessitas, quae legem non habet, aliud suasit. Et in hac necessitate consilii sui demonstranda maxime occupata est Ciceronis oratio, quae actionis primae nomine vulgo inscribitur. Breviter autem strictimque eam exponunt Asconius, itemque Manutius, et Hotomannus in argumento. Quae cum ita sint, iam alia potius oritur *ampliationis* et *comperendinationis* differentia, quam quidem Manutius suppeditavit, quae in eo consistit, quod *illa* libera est, et in iudicum potestate posita, *haec* necessaria, et legis vi atque imperio constituta.

Digitized by Google

ANADEMA est corona vulgaris, quae venustatis aut luxuriae causa, capiti imponitur (1). Latini vocant redimiculum, et quidem eo significatu, quo redimere saepe est coronare. Ita enim Martianus Capella L. IX. de Nupt. Philol. et Mercur. Distich. IV: Ipsa etiam fulcris redimicula flectere sueta Flora decens trina est anxia cum Charite. *Diadema* (2) est corona propria regum (3), maiestatis et imperii insigne. Lucr. IV. 1127: Et bene parta patrum fiunt *anademata*, mitrae. Paulus ad Sabinum 11. Ornamentorum esse constat, quibus uti mulieres venustatis et ornatus causa coeperunt, neque referre, si quaedam eorum alium quoque usum praebeant, sicut *mitrae* et *anademata*.

ANGVIS (4) est, qui in aquis degit. *Serpens*, qui in terra occultis accessibus, et non apertis passibus repit, seu serpit.

(1) Ἀνάδημα a Cornelio Iansenio Part. IV. Commentar. in Concord. Evang. c. 122. p. 90. col. 1. n. A. et B. dicitur donum, quod Diis dicatum suspenditur, in parietibus templi, aut columnis eius, cuiusmodi nunc visuntur in templis christianorum, praecipue iuxta sanctorum coelitum monumenta, statuae argenteae, aut cereae. Quam sententiam etiam amplexus est Carolus Paschalius Coronar. lib. IV. cap. 12. ita brevissime scribens: Ἀνάδημα nihil aliud est, quam corona, quae diis appendebatur, ut reliqua donaria.

(2) Diadematum olim duo fuisse genera, idem Paschalius lib. IX. c. 1. auctor est. Quaedam enim erant regiorum capitum perpetua gestamina. Alterum genus fuit illarum coronarum, quae regium quoque caput evinciebant, sed in solemni pompa, insigni die, re illustri, loco celeberrimo atque conspectissimo. Dicitur autem παρὰ τὸ διαδεῖν, a nectendo, ligando, sive obligando, ac si dicas Κεφαλοδέσμιον, vinculum capitis. Hoc ipsum signarunt nostri nomine vinculi. Ita enim Seneca in Troade II. 2. 70. seqq.: Ego esse quidquam sceptra, nisi vano putem Fulgore tectum nomen? Et falso comam Vinclo decentem? Ubi falsum vinculum vocat non falso ita nominatum, quasi nullo vinculo coërceri, aut cohiberi possit omnimoda illa regia potestas. Non ergo, inquit, ut videtur, vinclum est, sed imitamentum vinculi.

(3) Ideoque Hesychio in ipsa τοῦ Διαδήματος voce Στέμμα Βασιλέως, Κεφαλῶν κόσμος, ἤγουν στέφανος, ἢ Βασιλέως σύμβολον audit. Conf. Barthii Animadv. ad Vers. XCIII. M. Aurel. Olympii Nemesiani Cynegetic.

(4) Anguis ex mente Isidori Origin. XII. 4. est omnium serpentium genus, quod plicari et contorqueri potest. Et inde anguis, quod angulosus et numquam sit rectus. Ita Virg. Georg. II. 154: Squammeus in spiram tractu se colligit *anguis*.

Digitized by Google

Illa autem, quae quatuor pedibus nituntur, sicut lacerti et stelliones, non serpentes, sed reptilia sunt, quia ventre et pectore reptant. *Coluber*, qui in umbris nemorum delitescit seu umbras nemorum incolit: ideoque dictus videtur quasi columber. *Draco*, qui in templis occultatur, et est serpentis immane genus, a quo nec elephas tutus est sui corporis magnitudine. Nam circa semitas delitescens, per quas elephanti gradiuntur, crura eorum nodis illigat, ac suffocatos perimit. Gignitur autem in Aethiopia et India in ipso incendio iugis aestus. Haec Isidorus. Virg. Aen. II. 204. seq.: Immensis orbibus *angues* Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt. Id. ib. 214. seq.: Corpora natorum *serpens* amplexus uterque Implicat, et miseros morsu depascitur artus. Id. ib. 471: Qualis ubi in lucem *coluber* mala gramina pastus. Id. ib. 225: At gemini lapsu delubra ad summa *dracones* Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem. Sed haec plerumque confunduntur apud historicos et poëtas maxime. Serv.

ANIMADVERTERE *aliquem*, est observare; *animadvertere in aliquem*, punire. R.

ANIMALIA sunt, quae sensu moventur, ut homines et bruta. *Animantia* sunt etiam ea, quae vivunt et vigent, ut arbores, herbae, sata. Varro L. L. VI. Proxima *animalibus* sunt ea, quae vivere dicuntur, neque habere *animam*, ut virgulta. Sen. Ep. LVIII: Ergo *Animantia* superiorem tenebunt locum, quia et *animalia* in hac forma sunt et sata. *Animantia* facit animus, *animalia* habent animam. Front.

ANIMI et ANIMIS PENDERE criticorum nonnulli ita distinguunt ut pendere animis dicatur, si de pluribus sit sermo, pendere animi vero, si de uno. Quod tamen refutat Liv. VI. 36: Quinque soli erant; et (ut ferme solent qui a suis desciscunt) capti et stupentes animi; et VIII. 13: Tot populos inter spem metumque suspensos animi habetis. Et sane, ut unius animos, ita, et multorum animum, et dicimus frequenter, et dictum legimus; vid. Gronovius in notis ad Liv. VII. 10. ubi multos auctorum locos corrigit.

ANIMVS est ratio, quo sapimus et intelligimus, sive est vis animae, qua suas actiones regit. Ideoque pro consilio, vel deliberatione, apud Tullium ponitur saepissime. *Anima* est

Digitized by Google

vis viventis, seu spiritus, qua vivimus, sentimus et movemur. *Anima* animal omne animal, ut animalis functiones obire et se animatum ostendere queat; *animus* vero vere animat, efficitque animosum hominem; alius tamen superat alium animositate. Sapimus *animo*, fruimur *anima*. Sine animo *anima* est debilis. *Animus* qualitas viventis, *anima* causa vitae. *Animam* habent homines, bruta et plantae, *animus* homini proprius est. *Animus* proprie dicitur esse consilii, *anima* vitae, auctore Servio. Per *animum* vir solum intelligens, ὁ νοῦς seu mens; per *animam* vegetans simul et sentiens notatur. Ioach. Fortius Ringelbergius in opp. p. 630. ita omnium optime sibi videtur distinguere: Inter *animam*, *animum* ac *mentem* id interest, quod *anima* vivimus, *animo* sapimus, et *mente* divina contemplamur. Estque animo mens praestantior. Idcirco scriptores omnes, quum de deorum cultu loquuntur, *mentis* vocabulo uti malunt, quam *animi*, ut *mente* deos adiit Ausonius: Omnipotens, quem *mente* colo, pater unice rerum. Et Plinius de sole scribit: Hunc mundi esse totius *animum* ac potius *mentem*; item: *animam* morte sopitam esse, neminem latet, *animum* somno. Et in furiosis *mentem* exstingui, non *animam*. Lucr. III. 100: Esse *animam* cum *animo* coniunctam. Et mox ib. 167. seq.: Nonne fatendum, corporea natura *animum* constare, *animamque*. Sen. Ep. IV: Difficile est, inquit, *animum* perducere ad contemtum *animae*. Cicero tamen et Seneca saepe dicunt *animi* immortales, et immortalitas animorum. Hanc differentiam tamen non observat Sall. B. C. I. Immo ipse Cic. frequentissime *animum* ponit pro *anima*, v. g. Tusc. Disp. I. 31. Somn. Scip. IV. 3. et 8. Nam modo animum menti, modo animo mentem tribui, recte notavit Boeclerus in chrestom. v. animus. Quare haec sollicite distinguere non placet, neque mentem pro tota indole, animum pro consiliis et voluntate sumere.

Animvs et Mens saepe coniunguntur: et tum *animus* est spiritus, qui cupit et appetit, quo erigimur et movemur; nonnumquam et eleganter usurpatur pro affectibus aliquem torquentibus, v. g. metu, timore, audacia etc. Exempla vid. in animadv. Barthianis ad Claudiani vers. LXXVII. Panegyr. in IV. Cons. Honorii *Mens* interdum, est, quae excogitat et

Digitized by Google

comminiscitur; *animus* vero qui cupit et appetit. Terent. Andr. I. 1. 137: Mala *mens*, malus *animus*. Cic. Pison. XX: deturbari de mente; Tusc. Disp. IV. 17: vix mente constare. An vero *animus* et *mens* ab *anima* distent, nequaquam indocte disserit doctissimus Salmasius in not. et animadv. ad Comment. Simpl. in Enchirid. Epicteti p. 284. Virg. Aen. VI. 11. seq.: Magnam cui *mentem animumque* Delius inspirat Vates. Gell. II. 1: Tamquam quodam secessu *mentis* atque *animi* facto a corpore. Id. ib. 29: In *mentes animosque* hominum cum audiendi quadam illecebra induit. Id. XV. 2: Neque *mentem animumque* eius consistere. Interdum ac praesertim apud poëtas *mens* pro qualitate viventis, et *animus* pro causa vitali videtur accipi, ut, *mens animi*, pro *animi* robore. Plaut. Gist. II. 1. 5: Ita nubilam (1) *mentem animi* habeo. Catull. LXVI. 4: *Mens animi* tantis fluctuat ipsa malis.

ANNALES libri sunt, qui res gestas plurium annorum, servato cuiusque anni ordine, breviter exponunt. *Historiae* sunt, quae praeter rerum gestarum narrationem, etiam causas

(1) Itaque perperam legitur in caeteris Popmae editionibus nullam, pro nubilam. *Mens* Romanis est praestantior animi pars, qua intelligentia, sollertia cogitandi et consilium continentur. Isidorus Orig. XI. 1. Cicero de Finib. V. 13. mentem appellat principem animi partem. Idem Tusc. III. 5. dicit, menti totius animi regnum a natura esse tributum. Differt ab *animo*, cui motum impetumque tribuunt, atque huic vel iungitur tamquam ab eo diversa, (Virgil. Aen. VI. 11.), vel ipsi tribuitur tamquam singularis eius et nobilior vis, (Lucr de Rer. Nat. III. 615). Quod discrimen optimi scriptores fere semper observant. Mentis igitur ea vis et officium est, ut praesentia cogitet, et simul futura prospiciat, ut e praeteritis, quae recte meminerit, de instantibus iudicet, sic denique alia colligat ex aliis, ut actionum gubernet ipsiusque vitae cursum. *Bona* vero *mens*, quando dicitur, incorrupta et recta est, quae solida ubique et salubria spectat, quae non solum acute videt, sed et, quae viderit, his recte utitur, errata vero consilio meliore corrigit. Dicitur etiam sana mens vel integra. Iuven. Sat. X. 356. Horat. I. 31. 18. Atque hinc quandoque eadem est, quam recti conscia, Gratius in Cyneg. v. 456. Quemadmodum vero mens et animus diversa sunt; sic etiam a *bona mente* differt *bonus animus*, quo illa praecipue indicari videtur animi adfectio, qua rei bene gestae conscientia, aut spe aliqua blandiente deliniti, suaviter in rebus atque fortunis nostris acquiescimus, Plaut. Pseud. I. 5. 37.

Digitized by Google

eventusque earumdem, et hominum, locorum, temporum luculentam descriptionem continent, ut auctor est Gell. v. 18. Iosephus Scaliger in castigationibus ad Catulli Epigr. I. 6. minime inepte dicit, historiarum seu chronicorum scriptionem omne omnium gentium aevum; annales autem tantum unius nationis gesta in se complecti. Cic. de Orat. II. 12: Erat enim *historia* nihil aliud, nisi annalium confectio. Iuv. Sat. II. 102. seq.: Res memoranda novis *annalibus* atque recenti *historia*. Liv. tamen XLIII. 13: historiam suam vocat *annales*. Annales igitur omnino sunt, quod historiae sunt; sed historiae non omnino id, quod annales. Gell. R. Sed iudice Vossio de H. L. I. 5. haec distinctio non usquequaque observatur.

ANNVERE est capitis signo obsecundare, seu nutu aliquid, affirmare. Unde et pro concedere usurpatur, sicut *abnuere* et *abnutare* pro negare. *Innuere* est occultis signis aut verbis, sensa mentis aperire, seu nutu voluntatem indicare, sive affirmando, sive negando. Catull. de Sene tremulo Epigr. LXII. 163: Omnia omnibus *annuit*.

ANNVMERARE est in eumdem numerum referre, *allegare* est assumere ad augendum numerum. Goclen. R.

ANNVNCIARE est rem bonam nunciare, *Obnunciare* est rem malam nunciare. Unde augures dicebantur *obnunciare*, cum aliquid mali ominis saevumque vidissent (1) post comitia; et

(1) Augures, cum avium volatum observarent, meridiem spectabant, et tum ad sinistram habebant orientem, quem versus volantes aves faciebant ratum. Audimus tamen dextra omnia in bonis poni a Pythagoricis, sicuti laeva pro malis. Conf. Petr. Gualt. Chabotii Praelectiones ad vers. 18. Sat. 1. lib. II. Horat. Ast ii sunt vanissimi qui Lutarii ductu ex Statii III. Thebaid. v. 665. seq. (ubi verba ita sonant: Ventisque, aut alite visa Bellorum proferre diem) probare annituntur, augures a ventorum flatu futura solere cognoscere; nam apud praedictum poëtam v. 665. non ventis, sed venis, h. e. fibris, seu extis, quae augures oportebat studiose quoque inspicere proprie est legendum, quemadmodum ex MS. exemplari quodam diligenter observavit Barthius part. I. Animad. in specie ad h. l. p. 857., et ante eum, sine ope libri tamen, vir in hoc studiorum genere prae caeteris clarus ac eminens, Io. Meursius lib. III. Animadv. Miscell. cap. 14. Alias de auguribus, eorumque dignitate atque officiis vid. Alex. ab Alexandr. lib. v. G. D. c. 19. Polyd.

Digitized by Google

magistratus, quo comitia impedirent, ante *obnunciabant*, in campum Martium se de coelo servare. Ergo *obnuncio* malum imminens, quasi omen nuncio. Donat. R. Nam *obnunciatione* fiebat dies nefastus, et comitialis esse desinebat. Cic. Sext. XXXVII: Fretus sanctitate tribunatus, *obnunciavit* consuli. Suet. Caes. XX: Per edicta *obnunciare*. Ter. Adelph. IV: 8: Primus porro *obnuncio*. *Denunciare* minas ac tristia, et quidem cum importunitate, uti: *denunciare* alicui mortem, bellum, poenam. *Renunciare* incognita, v. g. mihi *renunciatum* est. *Enunciare*, quae occulte ab aliis tractantur.

ANNVVS, i. e. anni totius cursum complectens, v. g. *annuus* cursus, proventus, sumtus, *anniversarius*, idest stato tempore quotannis recurrens, v. g. *anniversaria* sacra, vicissitudo, solemnitas, quamvis *annuus* interdum etiam idem sit, quod *anniversarius*.

ANNVVS PROVENTVS est reditus, qui fit singulis annis; *census* vero est bonorum aestimatio et patrimonium dictus a censoribus, qui et de moribus urbis iudicabant et censum peragebant. De quibus leg. Paul. Manutii L. II. 3. Antiq. romanar. qui est de Senatu romano.

ANQVIRERE et INQVIRERE sunt verba forensia, quae hoc differunt, quod *anquirere* est accusare et postulare; *inquirere* autem est investigare crimina. Nam cum in ius ventum erat, si reus negasset crimen, petebat accusator a magistratu tempus inquirendorum criminum, et producendorum testium. Unde *anquisitio* est accusatio, *inquisitio* est investigatio criminum. Liv. XXVI. 3: Cum tribunus bis pecuniae *anquisisset*, tertio capitis se *anquirere* diceret. Erat autem anquisitionis formula his verbis consignata: Quando igitur haec et illa, quae dixi, fecisti, ob eas res ego mulctam tibi hanc dico, vel pecuniam hanc, sive perduellionem tibi iudico. Vid. Rosin. Lib. IX. A. R. c. 29. Varro L. L. v. 9. commen-

Virgil. lib. I. de Rer. Inv. c. 24. Casp. Peuceri Commentar. de praecipuis divination. generib. fol. 229. seqq. Edition. Servestanae. Io. Rosini lib. III. Antiqu. roman. c. 8. et in eumd. Thom. Dempsteri Additiones p. 145. seq. Edition. Colon. novae, Wolfg. Lazii l. III. Comment. Reip. rom. c. 12. p. 404. Edition. Operinian. Basil. ut et Io. Schildii Comm. in c. 19. Caligul. Svet. p. 430. col. b.

Digitized by Google

tarium indicat vetus *anquisitionis* Plin. Ep. v. 20: Inducti in Senatum *inquisitionem* postulaverunt, tum Valenus petiit, ut sibi quoque defensionis causa evocare testes liceret. Asconius in Orat. pro M. Scauro: Pacuvii accusatores in Scaurum *inquisitionem* in Sardiniam, itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt. Sed utrumque verbum ad alia etiam transfertur, et *anquirere* est cum cura et studio quid quaerere, quasi *am*, id est, circumquaque quaerere. *Inquirere* est intus quaerere. Cic. v. Tusc.: Studiose ab his siderum magnitudines et intervalla *anquirebantur*. Id. Amic. XXVII: Semper aliqui *anquirendi* sunt.

ANTE, CORAM, PRAE, PRO ita differunt. *Ante* respicit tempus, locum, personam et praestantiam; *coram* praesentiam alicuius; *prae* 1.° interdum quod ante, 2.° comparate ponitur, 3.° causaliter; *pro* 1.° commodum et utilitatem respicit, et sic ei opponitur *contra*, 2.° interdum normam, modum ac rationem, 3.° saepe etiam idem est, quod *in*, 4.° interdum notat *ante*, 5.° interdum negotium compensationis innuit, 6.° idem est, quod *propter*, 7.° idem quod *vice*, *loco*, 8.° comparationibus eleganter admodum inservit.

ANTEA significat tempus praecedens, ideoque idem est, ac quasi ante ea tempora. *Supra* rem antecedentem et de loco; ut *antea* ad te scripsi, quod alio tempore. *Supra* scripsi, quod in eadem epistola. Cuius rei exempla adiungerem, nisi essent infinita, et omnibus nota.

ANTECESSORES a *Togatis* distinguit Iustinianus § 3. const. de con. dig.: Iussimus, quos probaveris, tam ex facundissimis antecessoribus, quam ex iuris disertissimis togatis fori amplissimae sedis, ad sociandum laborem eligere. De antecessoribus Gesnerus ita: *Antecessores* Iustinianus in orat. de iuris docendi ratione vocat quos in eadem oratione professores et magistros legis appellat: ut etiam Theophilus in const. de emend. codicis, iuris doctor vocatur. Omnium optime rem illustravit consult. C. F. Walchius in iurisconsulto antecessore. Docuit in § 18 et 19, eos Ictos, qui causas orabant, et in foro legum scientiae, quam sibi adquisiverant, faciebant periculum, proprie *togatos* esse vocatos. *Antecessores* vero erant doctores iuris et legum. Nemo eorum in foro

Digitized by Google

caussas oravit. Differunt tamen *antecessores* a publicis professoribus, qui postea constituti sunt et solum iuventuti erudiendae operam dederunt.

ANTEHAC vel ANTE HOC TEMPUS, ad tempus loquentis refertur, v. g. si quis velit dicere: Tantum hodie didici, quantum *ante hac* numquam. *Posthac* vero idem est, ac post hoc tempus, ut: cave *post hac* his de rebus quicquam ex te audiam. H.

ANTIQVVM et PRISCVM est, quod patrum memoriam excessit quasi ante aevum, et notat tempus, quod definiri non potest, quia eius memoria non exstat; ita mores *antiqui*, *prisca* eloquentia dicitur. Nonnumquam etiam pro caro eleganter ponitur. Unde antiquum habere, vel antiquum esse alicui, idem est, ac carum habere, vel carum esse alicui; his enim duobus loquendi modis utebantur antiqui, cum quid sibi maxime curae esse designabant. Sic antiquior pro cariore, meliore ac potiore ap. Cicer. extat. Hinc antiquitas, quae tam pro ipsa vetustate, quam veterum moribus tropice usurpatur, et verbum antiquare, quod idem est, ac infirmare, vel abrogare et maxime de legibus, rogationibus et aliis istiusmodi rebus dicitur. Sed antiquarii dicuntur proprie homines, qui voces priscas, etiam diu desitas, sed nondum exoletas, curiose consectantur. *Vetus est*, quod iam habet aetatem sive quod multae est aetatis, et multorum annorum sentit utilitatem, ita ut veteres sint, qui superioribus temporibus vixerunt, etiam si ad senium non pervenerint. Potest autem eadem res esse *antiqua*, quia a maioribus accepta, et *vetus*, quod a nobis vel ab aliis, nostra aetate, olim usurpata sit. Plaut. Pers. I. 2. 1. seq.: *Veterem* atque *antiquum* quaestum meum alimoniae servo atque obtineo. Id. Mil. Glor. II. 1. 166: Quin tu isthanc orationem hinc *veterem* atque *antiquam* amoves. Id. Most. II. 2. 45: (1) Scelus, inquam, factum est iamdiu *antiquum* et *vetus*. Sic *antiquum* ius dicitur ius gentium, quod

(1) Interdum tamen *antiquum* et *vetus* confunduntur apud scriptores; quin et *veteres* distinguuntur subinde *recentioribus*, cum utrique sunt superstites, quando v. c. dicimus: Cives nostros hoic adesse omnes et *veteres* et nove in censum relatos. Aliquando tamen etiam *veteres* dici pro *senibus*, ut *vetulum* pro *senem* notissimum est.

Digitized by Google

una cum humano genere a natura existit. *Vetus* vinum, quod ante annum conditum fuit. Ulp. ad Sab. 23. L. 11. D. de Trit. Vino: *Vetus* accipitur, quod non est novum, id est, et anni prioris vinum appellatione veteris continebitur. Cui consentit Varro R. R. I. 65: Si *vetus* bibere velis, quod non fit antequam accesserit annus, anniculum proruito. Interdum tamen ista duo confunduntur apud scriptores, quorum locos heic adscribere inutilis esset diligentia. *Vetus* est, quod multorum annorum sentit utilitatem. Ita vinum mélius est, quo vetustius. *Senes* sunt homines vivi adhuc, sed aetate confecti, et morti vicini. *Antiquum* etiam plus est, quam *vetus*, unde si iungantur, illud posteriori loco ponitur, v. c. Plinio Ep. III. 5: Aes ipsum, quantum verus color indicat, *vetus* et *antiquum*. Ratione temporis bifariam distinguuntur, nempe *senes* sunt, *veteres* autem *prisci* et *antiqui* fuerunt. *Veteres prisci* et *antiqui* apud criticos sumuntur bifariam, modo pro illis, qui florente latinitatis aevo vixerunt, ad quorum auctoritatem provocant, modo pro illis, quorum aetas a primis et antiquissimis temporibus ducitur, quique ideo in stilo multa habent antiquata.

ANTIQVVS et ANTIQVIOR ut gradu, ita et intellectu distant. Nam *antiquum* significat vetus. Virg. Georg. II. 209: *Antiquasque* domos avium. *Antiquior*, melior. M. Tull. de Rep. I: Sed quoniam plurima beneficia continet patria, et est *antiquior* parens, quam si quis, ut aiunt, curaverit, maior ei, profecto, quam parenti debetur gratia. Non. R.

ANXIETAS et ANGOR non plane sunt synonyma. Cic. Tusc. IV. 12: Ut differt anxietas ab angore: neque enim omnes anxii qui anguntur aliquando, nec qui anxii, semper anguntur.

APERTE ad verba pertinet, non obscura: *Palam* ad praesentium multitudinem, et qualitatem frequentis loci. R.

APOTHECA est locus in quo res conditae adservantur, et distinguitur a *cella vinaria*. Videtur enim a *cella* differre, ut sit *apotheca* maius quoddam repositorium, et in superiore aedium parte, *cella* vero minus, ad usum scil. quotidianum. Columella I. 6. 9: Pars autem fructuaria dividitur in cellam oleariam, torculariam, cellam vinariam, defrutariam, foenilia, palearíaque, et apothecas, et horrea. *V.* OFFICINA.

Digitized by Google

APPARARE, ex mente Vallae magis ad pompam et ostentationem, quam ad necessitatem spectat. Dicitur enim apparatus convivii, nuptiarum, funeris ac belli. *Praeparare* est parare ea, quae sunt necessaria ad quidpiam agendum. Sic miles *praeparat* arma, orator argumenta, discipulus scripturus calamum et membranam. Dicitur et apparare fugam, et adornare fugam, sive migrationem. H.

APPARERE et VIDERI non sunt synonyma. *Apparet*, quod revera existit; *videtur*, quod speciem veri praebet. Corn. Nepos Attic. III: Sic enim graece loquebatur, ut Athenis natus *videretur*; tanta autem erat suavitas sermonis latini, ut *appareret* in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum. Sed differentia non est perpetua. Vid. Reitzii specimen pseudonymorum in miscell. observat. crit. Amstel. vol. X. t. 1. p. 134.

APPARET qui videtur, sive in conspectu est, ac speciem prae se fert. *Paret*, qui obsequitur. Agr.

APPETERE est cum affectu et cupiditate, ideoque idem est, ac avide cupere, unde appetitus est, qui hominem huc et illuc rapit. *Expetere* est vehementer petere, et fit cum ratione, prout locus aut res aut tempus postulant; nam cui domi non suppetit, quod expetit, is aliunde petat, quod sibi competit. *Illud* ad inhonesta et mala, incommoda et turpia; *hoc* ad bona et honesta pertinet. Cic. Off. I. 20: Nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut *expetere* oportere. Quamvis interdum dicamus, *appetere* bona. Id. Tusc. IV. 6: Ut bona naturae *appetimus*, sic a malis declinamus. Contra *expetere mala*. Id. Off. I. 8: *Expetuntur* divitiae cum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates. Plaut. Asin. III. 1. 23: (1) Ultro amas, ultro *expetessis*.

APPREHENDERE est alicui manum per vim iniicere; *deprehendere*, aliquem incautum aut inopinantem opprimere. Sic Ulp. Dig. IX, 2, 5: Apprehendere furem, *pigliare il ladro*. Cic. Verr. VII. 43: Deprehendere aliquem in manifesto scelere, *sorprenderlo sul delitto*. TH. VALL.

(1) Confunduntur tamen hae notiones interdum. Valla lib. V. 7.

Digitized by Google

APTVM est, quod ad aliquid accommodatum est sive a natura sive ab arte et disciplina. Sic *aptus* adipiscitur multa, redipiscitur etiam amissa aptitudine sua, adeptusque gaudet ob adeptionem. *Idoneum* est, quod a natura convenit, quasi ad id natum. Gell. I. 13: Esse magis *idoneum aptioremque* faciendo arieti. Itaque *aptum* loco venit et tempore, quod habet suam materiam. *Utile* usus fecit, ut prudentes litterae. *Idoneum* ut amicum per consilia dicimus, et ut servum in usu hominis. Fronto.

APVD praepositio ad personam, vel locum immo et tempus simpliciter refertur, et nudam detentionem et quasi custodiam denotat. *Penes* personam cum possessione, administratione, dominio ac potestate significat. Itaque *penes* dominum res est, quam omnino possidet. *Penes* te amplius est, quam *apud* te. Significat enim quasi intus vel intime apud aliquem esse. Nam *apud* te est, quod qualiter a te tenetur. *Penes* te est, quod quodammodo possidetur. Iavolenus Epist. XXIII. 9. D. de Usurp.: Quemadmodum eas solas et separatas ab aedificio non possedisti; sic nec *penes* te singulae, aut separatae fuerunt. Sed hanc differentiam plerumque confundi apud iurisconsultos et alios auctores animadvertimus. Ulp. ad Edictum 68. Lib. 10. de Tab. Exh. Si quis forte confiteatur, *penes* se esse testamentum, iubendus est exhibere. Rhet. ad Herenn. IV. 10: Ita petulans es atque vafer, ut ne ad solarium quidem, idoneus, sed *penes* scenam et in eiusmodi locis exercitatus sis.

AQVA dicitur in tranquillitate, cum aequata est. *Unda* nomen ab eundo, h. e. commovendo habens, est proprie globus aquae in tempestate, cum turbat atque fluctuat. Sic unda undosi fluminis, aut undabundi lacus, a ventis agitata, solet superabundare et exundare, vicinaque sata inundare. Plaut. Mostell. III. 2. 16: Tam placida est, quam est *aqua*. Quin et *aqua* interdum est minima collectio, ut, aquam manibus pedibusque dato. *Unda* semper denotat copiam et multitudinem. Unde translatitie Cic. Planc. VI: Illae *undae* comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt. Et Virg. Georg. II. 461. seq.: Si non ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit aedibus *undam*.

Digitized by Google

AQVATICAM *potionem* recte dicimus, quae aquam aliunde recepit; *Aquosum locum*, quod ex se aquam fundat. Agr.

AQVATILE est, quod degit in aquis, *Aqueum*, quod ex aquis colstat. H.

AQVILVS color est fuscus et subniger, a quo aquila dicta esse videtur, quamvis eam ab acute videndo dictam velint. *Aquilus* autem color ab aqua est nominatus. *Aquilo*, ventus a vehementissimo volatu, aquilae instar, appellatur. Fest. R.

ARAE victimis caedendis et precationibus erant destinatae, *Focus* autem igni domestico. Quare pro aris et focis pugnare idem erat, ac pro templis et domibus. Fuit tamen focus etiam penatium, et privata quoque sacra olim in foris fiebant. *Ararum* vicem obtinuerunt antiquissimis temporibus *Mensae*. Sed postea *aras* et *mensas* in sacris fuisse distinctas, ex lapide quodam vetusto apud Grut. videmus.

ARANEVM, quod textum est, *Aranea*, quae texit, Front.

ARBITER (1) est iudex a praetore datus, vel ex conventione litigatorum electus, in bonae fidei iudiciis, ut familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, et similibus; sed sub poena, ut, tamquam vir bonus sententia sua controversiis finem imponat. *Arbitrator*, qui sine poena ad hoc eligitur, ut totis animi viribus exploret ius controvertentium, et aequa compositione componat. L. I. D. de Iud. *Iudex* est, qui propria iurisdictione, aut summi magistratus imperio, causas omnes et iuris et facti diiudicat. *Ille*, liberum arbitrium habet statuendi quod aequius meliusque videatur; *hic*, sub formula actionum iudicat, a qua ne latum quidem unguem discedere potest. Senec. Benef. III. 7: Ideo melior videtur conditio causae, si ad *iudicem*, quam ad *arbitrum*, mittatur, quia *illum* formula includit, et certos, quos non excedat, terminos ponit; *huius* libera et nullis adstricta legibus religio, et detrahere aliquid potest, et adiicere, et

(1) Ab aliis ita breviter, apposite tamen, describitur, quod nimirum sit *Iudex* honorarius, quem utraque litigantium pars eligit, ut causam ex aequo et bono dirimat. Unde et *arbitrari* pro iudicare et litem arbitrio finire, immo constituere, modumque et rationem, quasique formam operis faciundi delineare atque praescribere ponitur.

Digitized by Google

sententiam suam, non prout lex et iustitia suadet, sed prou humanitas et misericordia impulit, regere. Similiter *arbitrium* et *iudicium* separat Cic. pro Rosc. Com. IV: *Iudicium* est certae pecuniae, inquit, *arbitrium* incertae. Ad *iudicium* hoc modo venimus, ut aut totam litem aut obtineamus, aut amittamus; ad *arbitrium* hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. Svet. Calig. XIV: Ius *arbitriumque* omnium rerum illi permissum est. *Iudex* cognoscebat de actionibus omnibus, maxime vero, quae erant stricti iuris. *Arbitri* ad diiudicandas causas bonae fidei et arbitrarias dabantur, horumque latior erat iudicandi potestas. Festus. *Arbiter* est, qui totius rei arbitrium habet, et potestatem.

ARBITRIVM est sententia, quae ab arbitro in bonum et aequum, et ex bona fide profertur, vel potestas arbitro data. Unde arbitrium recipere aut suscipere dicitur, qui iudicis partes suscipit, finemque se sua sententia controversiis impositurum pollicetur. Sunt autem duo *arbitriorum* genera: unum eiusmodi, ut sive aequam, sive iniquam sententiam arbiter de controversia tulerit, parere debeamus. Quod observatur, cum ex compromisso ad arbitrium itum est. Alterum ut ad boni viri arbitrium redigi iubeat, quod iure decernat. Haec Doletus. *Arbitrarium* est, quod apud arbitrum geritur, et quod in illius potestate est pro arbitrio iudicioque suo statuere, a quo arbitraria poena, et arbitrariae actiones, quae in arbitrium iudicis referuntur, de quibus multa iurisconsulti. Plaut. Amphitr. I. 1. 216: Hoc quidem profecto certum est, non est *arbitrarium*.

ARBOR omne lignum dicitur, et continentur huius appellatione plantae maiores et solidiores, quae simplici caudice ramisque, brachiorum more porrectis, assurgunt, cuiusmodi sunt olea, vitis, quercus et similes. V. PLANTAE.

ARBVSTVM et ARBVSTA sunt arbores multae ad fructum consitae, olivarium, pomarium, vel vites arboribus applicatae. *Arbutus* est arbor, fructum ferens in morem cerasorum, sive fragorum. *Arbutum* est fructus arbuti. H.

ARCERE idem est, quod vetare, ne accedant hi, qui veniunt,

Digitized by Google

et transfertur etiam a corporeis ad incorporea; *abigere* est loco fugare atque expellere.

ARCERE AQVAM est curare, ne influat, et libere manans noceat. Arcere enim proprie est a se prohibere, propulsare, abigere ac propellere. Sic hostis arcetur, dum arcto transitu coarctatur, aut e propugnaculis abarcetur. *Coërcere aquam* est continere sic, ne diffluat, vel dilabatur, ut quisque aqua uti possit. Cic. Mur. IX: Ille tenet, et scit, ut hostium copiae, tu ut aquae pluviae *arceantur*. Ulp. ad Edictum 70. L. I. D. de Font. Quo minus fontem, quo de agitur, purges, reficias, ut *aquam coërcere*, utique ea possis.

ARCVS, suspensus fornix appellatur ab arcendo, quod se ipsum contineat. *Arquus* est circulus in coelo quadricolor, graece ἶρις. *Arcum* facit arcuarius, et tunc est machinula, qua sagittas emittimus. *Arcum* arcuat murarius, et tunc est fornix in aedificiis. Sed *arcus* pluvius in coelo est pulchre arcuatus. Varro IV. de vita populi Rom. Quod *Arci*, quos summo opere fecerat, fessi pondere, diu facti celeriter corruissent. Lucret. VI. 537: Tum color in nigris existit nubibus *arqui*. Sed haec differentia a Nonio et orthographis tradita parum mihi quidem probatur. Nam vetus scriptura fuit *arquus*, ut oquulus, postea factum arcus et oculus, auctore Prisciano. Nec est necesse, diversas eiusdem vocis significationes scriptura decernere, praesertim ubi eadem origo, ut in his. Utrumque enim dicitur a rotunda forma.

ARDET domus, id est, uritur, flagrat. *Urit* ignis et urtica, id est, ardore laedit, Goclen. obs. 36.

AREA *V.* PLATEA.

ARGENTARII dicebantur, qui exercebant, seu faciebant argentariam, sive qui mensis, in foro sub tabernis, positis quaestum faciebant, aut collocandis foenori pecuniis, aut permutandis; inde argenti, sive nummorum permutatores a nonnullis dicti sunt. *Mensarii* erant curatores publicae pecuniae. *Illi* negotiationem privatam exercebant, *hi* rei nummariae publicae dispensationem habebant, et prout res ferebat, varie creabantur, ut primum ad dissolvendum aes alienum creati *quinqueviri* mensarii, deinde propter penuriam argenti *tribuni mensarii*, ut Livius testatur. Et haec quidem differentia fuit,

Digitized by Google

libera et florente republica. Nam, oppressa a Caesaribus libertate, desiit publicum munus mensariorum, et tunc privati negotiatores *nummarii* indifferenter fuerunt appellati, *mensarii*, *nummularii* et graecis vocabulis *trapezitae*, *danistae*, *collybistae*. Quamquam nummularios ab argentariis separat Paulus ad edictum 3. lib. IX. de Edend.: Et hi nummularii, sicut argentarii, rationes conficiunt, quia et accipiunt pecuniam, et erogant per partes, quorum probatio scriptura codicibusque eorum maxime continetur, et frequentissime ad fidem eorum decurritur. Cuius discriminis rationem illam ego fuisse crediderim, quod *nummularii* erant minutuli negotiatores, qui aliorum pecunias tractabant, quae custodiae causa apud ipsos deponebantur; *argentarii* vero erant ditiores, et suis, non alienis modo, nummis *argentariam* faciebant. Ad hoc praeerant auctionibus, et fideiubebant pro aliis, et constituebant, vendebantque res pretiosas, servos, gemmas, vasa caelata et alia huiusmodi. Quae omnia ex veterum iurisconsultorum fragmentis, ex Ciceronis oratione pro Caecina, ex Svet. Ner., aliisque possunt colligi.

ARGVERE est clarum facere, demonstrare, ostendere et patefacere. Virg. Aen. IV. 13: Degeneres animos timor *arguit*. Unde *argumenta* dicuntur, quae causam causae ostendunt, sive sunt indicia, quibus aliquid dubium potest demonstrari. Nonnumquam argumentum quamvis materiam ad scribendum destinatam, vel potius summariam alicuius scripti indicationem notat. *Coarguere* vero est coërcere. Agr.

ARGVMENTARI est argumentis uti ad rem probandam. Dicere, uti oratione perpetua ad delectandum commovendumque auditorem. Paedian. R.

ARGVMENTVM dicitur sola ratio, qua conclusio probatur; *argumentatio* vero et rationem et conclusionem comprehendit.

ARGVTVS callide, acute atque solerter arguit. *Astutus* astute simplicem hominem decipit. Sed qui multa percallet, fit plerumque *càllidus*, et agit *callide*, hoc est fraudulenter. Notandum autem, teste Isidoro lib. X. Orig. col. 235, veteres *callidum* non pro *astuto* tantum, sed pro astute docto posuisse, *versutumque*, quod animum cito vertat, etiam vocasse. H.

Digitized by Google

ARIES mas est non castratus, qui oves salit. Qui vero castratus est, et propterea inutilis veneri, *vervex* dicitur, quod in eo versa sit natura.

ARMA propria significatione ea tantum intelliguntur, quae ab armis sive humeris dependent, magis parata defendendi et tegendi, quam laedendi causa; vel *arma* generaliter considerata, sunt omne instrumentum, quo quis ad actiones suas instruitur; in specie vero dicuntur arma bellica. *Illa* asservantur in armario, h. e. quorumvis utensilium promtuario, quod arcae erectae formam plerumque repraesentat; *haec* autem, ut cetera armamenta, in armamentario. Hinc petitur armatura, qua inermes et semiermes armantur, ut in armilustrio compareant. Sed armati capti, ut et armatu abutentes, exarmantur. *Telum* proprie id appellatur, quod ab arcu mittitur, seu est omne missile, quo procul ferimus, dictum ab antiquo verbo *telo*, a quo *protelo* manet in usu, id est, expello et emitto, non a graeca voce τηλοῦ, quae *longe* significat. Sallust. Catil. LI: *Arma* atque *tela* militaria. Liv. X. 4: *Arma*, *tela* in muros congesta. Quandoque tamen utriusque vocabuli appellatione rarissime utuntur non modo iurisconsulti, sed ipsi quoque oratores, et historici. Nam L. 44. D. de Verb. Sign. *arma* vocantur omnia, quibus quis paratus instructusque est ad propulsandam, aut inferendam vim, ut sunt gladii, hastae, galeae, saxa, fustes: vel ad opus aliquod efficiendum, ut arma rusticorum, ligones, rastri, aratra, coquorum lebetes, patellae et similiter uniuscuiusque artis instrumenta. *Telum* autem, quidquid manu in aliquem mitti potest, appellatur, ut ensis, lapis, hasta, sagitta. Inde tela eadem sunt arma; at non contra. Cic. pro Caecinna: *Armatos* quos iure appellare possumus? Opinor eos, qui scutis *telisque* parati, ordinatique? Quid igitur, si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem praecipitem de fundo egerint?

ARMA tegunt corpora, *armamenta* navim. R.

ARMENTI appellatione intelligitur id genus pecoris, cuius praecipuus est usus ad arandum, ut bos. Valla dicit, *armentum* esse congregationem animalium pascentium, sed maiorum: ut, vaccarum, equorum, mulorum, asinorum, camelorum, elephantorum, et similium; *gregem* vero minorum,

Digitized by Google

qualia sunt, hireus, porcus, porca, capella, caper, capra, sus, horumque similia. Sed tamen videtur *grex* nonnumquam accipi pro armento, praesertim apud Virg. Ecl. vi. 55: Aut aliquam in magno sequitur *grege*. Atque Hor. in Epod. ii. 11. seq. Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes *greges*. Conf. eiusd. Hor. Od. ii. 16. 1. seq. quasi *grex* sit generalius nomen, *armentum* vero specialius, et illud sine apposito de pecoribus minutis intelligatur, cum apposito possit etiam ad maiora transferri; ut Cic. Phil. iii. 12: Fundit apothecas, cecidit greges armentorum. Valla iii. 42: *Iumentum* est, quod curru iungitur, veluti equus et mulus, ut tradunt consulti iuris, qui fere soli hanc differentiam observant, credo, ambiguitatis vitandae gratia. Alii auctores promiscue vocant *armenta* et *iumenta* maiora animalia, quae collo domantur, ut sunt tauri, equi, boves: *greges* (1) vero minora, oves, caprae, sues. Virg. Georg. iii. 286. seq. Hoc satis *armentis;* superat pars altera curae, Lanigeros agitare *greges*, hirtasque capellas. Ovid. Metam. iv. 15. seq. Mille *greges*, totidemque *armenta* per herbas Pascebant. *Armenta* ex mente Servii ideo dicuntur, quod haec animalia apta sunt armis, ut scutis bovum coria, equi proelio.

Armvs brutorum est, *humerus* ratione fruentum. R.

Arrham et Pignus Isidorus, Orig. v. 25. ita distingui iubet. *Pignus* est, quod datur propter rem creditam, quae dum redditur, statim pignus aufertur. *Arrha* vero est, quod pro re bonae fidei contractu emta ex parte datur, et postea completur. Est enim *arrha* complenda, non auferenda. Unde qui habet *arrham*, non reddit sicut *pignus*, sed desiderat plenitudinem. Est dicta arrha a re, pro qua traditur.

(1) Huic consentanea sunt, quae adfert Goclenius obs. 320. *Armentum* maiorum animalium est, *grex* vero tam maiorum quam minorum dicitur, ut Cic. dixit gregem equorum, Liv. gregem elephantorum, boum, Virg. gregem porcorum, Horat. gregem ovium. Val. Max. gregem piscium dixit. Pro Milone dicitur grex ancillarum, in Divin. grex oratorum, in Pis. grex novitiorum, in Lael. grex amicorum, in lib. I. de Orat. grex philosophorum. Itaque *grex* tam minorum, quam maiorum, tam animalium, quam hominum vulgarium, et rerum dicitur. R.

Digitized by Google

ARROGANS est, qui nimium sibi et temere tribuit, et vel ea quae non habet, sibi vindicat, vel, quae habet, in maius componit; *superbus* autem est, qui alios omnes prae se contemnit, et quasi super omnes homines se habet. Itaque maiore fastu tumet *superbus*, quam *arrogans*, ut maius vitium est *superbia*, quam *arrogantia* Et haec semper in rebus alienis est. *Insolentia* autem etiam est in alienis, sed praeter solitum, et non crebro usitatis. Est ergo *insolentia* quaedam rara et singularis *arrogantia*, et accipitur quoque in bonam partem; et sic accepta idem est, ac raritas, e. g.: quid tu Athenis insolens, id est, rarus? μέσον igitur ὄνομα est. Caesar in Anticatone: Unius *arrogantiae superbiae*, dominatusque. Cic. Off. I. 26: *Superbiam* fastidium, *arrogantiamque* magnopere fugiamus.

ARROGANS sibi tribuit nimis, *insolens* plus. R.

ARTERIAE sunt semitae spiritus vitalis, mixti cum sanguine. *Venae* sunt rivi sanguinis, confusi cum spiritu naturali. *Illae* suapte vi moventur, et pulsu suo accessiones remissionesque febrium demonstrant. Hae sunt immobiles, et sanguinis tantum demittendi causa explorantur, ut ex Libris Medicorum annotavit Gellius XVIII. 10. Cic. de Nat. Deor. II. 55: Sanguis per *venas* in omne corpus diffunditur, et spiritus per *arterias*. Interdum tamen *vena* pro *arteria* dicitur, non a vulgo modo per errorem, ut Gellius putat, sed etiam ab idoneis et primariis auctoribus. Cic. de Fato VIII: Si cui *venae* sic moventur, is habet febrim. Pers. Sat. III. 107: Tange miser *venas*, et pone in pectore dextram. Ovid. Trist. I. 7. 11. seq. Et tua sunt silicis circum praecordia *venae*, Et rigidum ferri semina pectus habet. Celsus III. 5: Si protinus *venae* conciderint, et saepius eodem die.

ARTIFEX artis, *opifex* operis est. R.

ARTVS medicis sunt membra ex corpore explantata, quae in manus et pedes dividuntur, et dicuntur partes corporis inter iuncturas, continentque ossa cum nervis et venis. *Membra* vel potius membranae, (membranis enim obteguntur membra, ceu partes corporis organicae, in corpore membratim) [illegible] sunt caro, et pellis, quae artus tegunt. *Viscera* sunt [illegible] sive membra interiora vitalia, ut, iecur, lien,

Digitized by Google

et alia id genus. Lucr. III. 152: Per *membra* atque *artus* nulla novitate cietur. Et IV. 846: Et lacerare *artus*, foedataque *membra* cruore. Gell. XX. 1: Quid enim videri potest efferatius? Quid ab hominis ingenio diversius, quam quod *membra* et *artus* inopis debitoris brevissimo laniatu distrahantur? Svet. Calig. XXVIII: Neque ante satiatus est, quam *membra*, et *artus*, et *viscera* hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset. Val. Max. VII. 2: Quapropter capta iam urbe complures inventi sunt, artus et membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes. Oliverius ad h. l. ita: Aut exegesis est, ut unum sit expositio alterius, aut artus nomine intelligimus membrorum coniunctiones, unde articuli; membra vero corporis partes sunt, ut humeri, brachia. Conf. Gesneri thes. v. artus. Sed interdum membra generaliter etiam *artus* et *viscera* appellantur.

ARVNDO crescit, *Hirundo* cantat, *Hirudo* fugit. R.

ARVVM et SEGES differunt. Varro de R. R. lib. I. 49: *Seges* dicitur, quod aratum satum est, *arvum*, quod aratum, nec tam satum est. Ita etiam Columella II. 9. Acron ad Hor. Ep. I. 16. 2: *Arvus* ager dicitur *segetis* ferax, et praeparatus frumento. De *segete* Festus: *Seges* dicitur ea pars agri, quae arata et consita est, a ferendo videlicet; v. Gesneri thes.

ASPER in moribus, et in signis. Agr. R.

ASPICIMVS sursum (1), *Conspicimus* palam. Quae aut conspicere, aut conspicari non possumus hebetibus oculis, adhibemus conspicilla, reddimusque conspectui nostro conspicua. *Respicimus* retro. Sed respectamus, quem respectu virtutis veneramur. Apud Latinos etiam dicitur respicere aliquem, pro contueri et demum iuvare. Item Respicere se, pro sibi prospicere, vel rebus suis consulere. *Inspicimus*, intus. *Aspicio*, negligentioris curae est, et quasi primoribus oculis delibare; *inspicio* diligentioris. *Aspicere* est, intendere, aut adiicere oculos ad aliquid, aut aliquo. *Cernere* est videre aut intueri, quo conieceris oculos. Vavass. R. Sic inspector mer-

(1) Alioquin circumspectus vir, quoties illi obvenit in aspectum aliquid, non obiter illud tantum *aspicit* uno aspectu, sed aspectat din, et circumspectat undique, ut de illo iudicare queat circumspecte, et cum circumspicientia.

Digitized by Google

cium inspicit res venales diligenti inspectatione, immo et introspicit, cum opus est.

Asportare aliquid, ut intereat; *Deportare*, ut mutet locum. *Illud* est alio transferre, portare, et notat motum ad locum; *hoc* aliunde transferre, portare, et notat motum de loco.

Asser vulgo idem esse creditur, quod *tabula*. Falso. Non forma tantum, sed et usu haec differunt. *Asseres* sunt perticae et trabeculae, quibus lecticae vel onera portantur, quibus et lateres testacei, sive tegulae imponuntur. Vetus Lex. L. G. *Asseres κοντοὶ, δεκοὶ, στρωτῆρες.* Svet. Cal. LVIII: Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium adcurrunt. Iuven. III. 245: Ferit hic cubito, ferit assere duro alter. Vitruv. IV. 2: Deinde insuper sub tegulas *asseres*, ita prominentes, ut parietes proiecturis eorum tegantur. Contra *tabulae* sunt arboreorum truncorum segmenta, longa et lata potius, quam crassa.

Asseverare, vel ut aurea aetate dixerunt, asseverare, plus est, quam *affirmare*. Est enim rem, ut certissimam etiam atque etiam affirmare, et inter probationes admiscere vim animi motumque. Cic. Attic. XIII. 23: Omni tibi adseveratione adfirmo. Goclen. obs. 322.

Assidvvs dicitur, qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedisse videatur. Alii *assiduum*, locupletem, quasi multorum assium, dictum putarunt. Alii eum, qui sumptu proprio militabat, ab asse dando vocatum existimarunt. Fest. R.

Assolet consuetudinis est, *Oportet* rationis. Donat. R.

Atriensis servus dicitur, qui praepositus est atrio (1), in quo apud antiquos nummi, imagines rationesque asservabantur. *Atriarius* vero est, qui custodiae causa ad limen atrii perpetuo excubat. *Ille* inter lautiores et ordinarios servos connumeratur; *hic* inter mediastinos non honestissimum locum servitutis tenet. Cic. Parad. v. 2: Ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur servi, sed tamen servi, *atrienses* ac topiarii (2). Ulp. ad Edictum 14. L. 1. D. Naut.

(1) Atria enim non solum templis, sed aedibus privatorum, profanis quoque, adiici quondam solitum, litterati haud ignorant.

(2) De hoc Ciceronis loco vid. Th. Dempster. p. 40. Paralip. ad cap. 13. Lib. I. Antiq. roman. Rosin.

Digitized by Google

Caup. Si quis opera mediastini fungitur, non continetur, utpote *atriarii* et furnarii, et his similes. In uno loco *atriarius* nominatur, uthinc suspicari non immerito quis possit, eumdem esse atriarium et atriensem. Sed cum *atriensis* esset ordinarius, et alios sub se vicarios haberet, qui atrium verrerent, atque limen observarent, si quis ipse hac opera fungeretur, et ideo mediastini locum teneret, ab Ulpiano distinctionis gratia, atriarium vocari.

ATRIVM et VESTIBVLVM perperam a nonnullis promiscue usurpantur. Illud enim est locus intra aedes, in quem universi tecti pluvia incidit, porticibus cinctus, et aream habens sub dio patentem. Hoc vero, locus non in ipsis aedibus, sed medius inter fores domus et viam, in quo qui dominum eius domus salutatum venerant, consistebant, antequam admitterentur. Vitruv. VI. 8: His qui communi sunt fortuna, non necessaria magnifica *vestibula*, nec tablina, neque *atria*. T. Liv. XXXIII. 48: Multitudinis, assuetae domum Hannibalis frequentare, concursus ad *vestibulum* aedium est factus. Cf. A. Gell. XVI. 5. TH. VALL.

ATRVM plus est *nigro*. *Ater* enim color dicitur, quasi ab anthrace, id est, carbone, et proprie est carbonis exstincti. Omnis ater niger est, sed non omnis niger est ater.

ATTAMINARE. Donatus ad Terentii Andr. prol. 16. verba *attaminare* et *contaminare* ita distingui iubet. *Contaminare* proprie est manibus luto plenis aliquid attingere, *attaminare* attingere est et polluere. Virg. Aen III. 61: Linquere pollutum hospitium, id est, contaminatum. Contaminari tangi polluta manu, ac per hoc foedari aut maculari. V. Io. Frid. Gronovii observ. lib. IX. p. 341. *Attaminamus* fere alios, praecipue autem virgines, et rem sacram; *contaminamus* nosmet ipsos, corpus quidem luto, animum flagitiis et sceleribus. Cic. pro Rosc. Amer. XL. Iustin. XXI. 3. 4.

ATTINGERE minus est, quam *tangere*. Donat. R.

AVCTOR et SVASOR differunt. Cic. Deiot. X: Cum vero exercitu amisso ego, qui pacis *auctor* semper fui, post pharsalicum autem praelium *suasor* fuissem. Svet. Tib. XXVII: Et rursus alium, auctore eo senatum se adiisse, verba mutare et pro *auctore suasorem* dicere coëgit. Torrentius ad h. l.

Digitized by Google

ita: *Auctor* dicitur, cuius consilium secuti sumus, neque quidquam a *suasore* differt, quam quod huius consilium non semper sequimur. Tum vero in *auctoris* nomine dignitas ac potestas consideratur, quum aut patres auctores fiunt, ut saepe de senatu Livius, aut tutor pro pupillo, aut pro uxore maritus, quorum nempe sine auctoritate nihil gerere illi possint. Item, cum auctore praetore aliquid factum dicimus. Et quoniam prudentum responsa iuris vim obtinebant, factum est, ut hi auctores adpellarentur l. 11. D. de orig. iuris. Unde natum puto elegantem loquendi modum, quum non defugere auctoritatem dicebant, pro eo quod esset non recusare auctorem, sequi aliquem.

Avdax, plus et ubi non est opus, *audens* quantum et ubi opus audet. *Fortis*, ubi decet, et cum laude, *temerarius* ubi non decet, et improvide audet. *Audax* in vitio, *fortis* in laude est. *Audens* vero etiam in bonam partem accipitur, ut: *audentes* fortuna iuvat. R.

Avdentia, si Non. Marcellum audiamus, est fortitudinis, et in laude est. *Audacia* vero temeritatis, et in vitio. Idcirco audax nihil relinquit inausum: saepe tamen, postquam audacter magna est ausus, non potitur ausis, ut Sallust. Cat. lviii: *Audacia* pro muro habetur. Virg. Aen. ix. 291: Audentior ito In casus omnes.

Avdire est auribus percipere seu vocem auribus illatam excipere. Varie autem usurpatur a Cicerone, et tam ad personam, quam ad rem refertur. Ut audire aliquem idem est, ac credere, seu fidem habere alicui. Audire praeceptorem, est praeceptori operam dare. Audire preces, pro quo barbari exaudire dicunt, est precibus annuere, et quod postulatur, largiri. Sed bene audire non dicitur de eo, qui liberas habet ad audiendum aures, sed qui bellum de se rumorem spargi percipit. Sic male audire, est rumorem de se malum audire. *Inaudire* est occulta audire, ubi notandum, ea, quae tantum inaudivimus, pro inauditis habenda esse. *Auscultare* est aures ad alicuius vocem admovere seu animum dictis adhibere, parereque. Cato apud Gell. I. 15: *Auditis*, non *auscultatis*, tamquam pharmacopolam. Nam eius verba *audiuntur*; verum ei se nemo committit, si aeger est. Pacuvius

Digitized by Google

in Chryse: Magis *audiendum* quam *auscultandum* censeo. Vid. quae in Henr. Stephani editione p. 241. ad versum hunc notata sunt. Plaut. Aul. II. 2. 88: Credo ego iam illum *inaudisse* mihi esse thesaurum domi. Cic. Fam. IX. 24: Consilia sunt inita de me, quae te video *inaudisse*. V. COMPERIO.

AVARVS semper in reprehensione est: *avidus* autem ab avendo, quod est etiam honeste cupiendo, et ab electione intelligi potest, ac per hoc aliquando bonis, aliquando malis adiungitur caussis. Virg. Georg. II. 375: Pascuntur aves, *avidaeque* iuvencae. Non. R.

AVE vox propria est salutationis matutinae, quae fere officii gratia potentioribus deferebatur, ut Graece χαῖρε! Sic Martial. Epigr. v. 52: *Ave* latinum, χαῖρε non potes graecum. Si fingere me istud putas, salutemus. *Salve* vespertina salutatio fuit, ut in Hadriano scripsit Dio, et omnibus dicebatur. Sen. de Benef. VI: Vulgare, ut publicum verbum, et promiscuum ignotis *Have* non, nisi per ordinem, mittitur. Mart. Epigr. I. 56. 6: Et *matutinum* portat ineptus *Ave*. Utroque autem verbo non tantum accedentes in primo congressu, sed etiam discedentes in fine sermonis salutabantur. Sallustius in fine epistolae Catilinae ad Q. Catulum: *Haveto*. Cic. ad Tironem: *Vale et salve*. Ausonius ad Probum: *Ave atque salve* plurimum. Quin etiam mortuos his verbis compellabant, quasi non videndos amplius, ut Varro in Logistoricis tradidit, et notavit Servius ad Virg. Aen. XI. 97: *Salve* aeternum mihi maxime Pallas, Aeternumque *vale*. Antiquae inscriptiones: Have . Thais . et . Have . igitur . mea . Hadriana. Hinc festive elusus Claudius Caesar, qui, Svetonio teste, in Claudio XXI, cum Naumacharii ipsum salutassent: *Ave* imperator, morituri te salutant; respondit: *Avete* vos; quod illi sic exceperunt, quasi salute dicta veniam dedisset. Vid. Ioan. Schildius in hunc Svetonii locum.

AVFERT (1) qui dedit, *adimit* (2) imperio coactus, *eripit*

(1) *Auferre* semper ablationem habet, et ponitur, vel pro impetrare, vel pro referre ad se, vel ad se recipere, vel asportare. Interdum ponitur pro extinguere, vel reprimere, aut tollere. Sed quando (uti h. l.) idem est, ac abripere, detrahere, vel adimere, tunc tantummodo ad res refertur.

(2) Si tibi quis aliquid adimit, non debes rursum per vim de-

Digitized by Google

qui plus valet. Itaque *auferre* possumus, *adimere* iubemur, *eripere* valemus. Fronto. Alias *auferimus* ea, quae cum fastidio cernimus, *ferimus* ea, quae cum honore tractamus. Donatus.

AVGVR sive AVSPEX aves solummodo observabat, *Aruspex* prodigia, fulmina, quicquid vel in extis, vel in ara, vel in coelo, vel uspiam locorum monstri existeret, interpretabatur. *Extispex* iudicabat solum de extis. R. *Augur* ex avium garritu et cantu, *auspex* ex earumdem pastu et volatu futura notabat.

AVGVRO h. e. divino, seu augurium ago, sive per augurium vaticinor, dicimus, quum praesagio mentis futura colligimus, ut Virgil. Aen. vII. 273: Si quid veri mens *augurat*. *Auguror* vero tunc, quum futura veris captamus auguriis, ut ex alitis volatu cantuque, aut e tripudiis vel e soniviis. Quam differentiam etsi tradit Servius, quo cum consentit Taubmanus in Commentar. ad Plaut. Cistell. IV. 2. 28, laudatque auctorem Plinium in libris dubii sermonis; tamen censeo haec verba unum idemque significare, neque plus differre, quam medito et meditor, demolio et demolior, aliaque multa, quae veteres indifferenter utraque terminatione protulerunt.

AVGVRIVM erat, cum observabatur garritus aut cantus avium, quas appellabant Oscines, quod ore futura praedicerent, ut corvus, noctua, cornix, quae Hor. Od. III. 27. 2. avis divina, hoc est, praescia imbrium imminentium dicitur. Ideoque dicitur ex avibus divinatio. *Auspicium*, quod idem est atque ex avium inspectu vaticinatio, in genere sumitur pro consilio de re capessenda. Erat, cum ex avium pastu vel volatu futura notabantur, quae si ante auspicantem se ferebant, vocabantur praepetes, et prospera nunciabant; sin retro, inebrae, quod coepta inhiberent. Ennius Annal. I: Dant operam simul *auspicio augurioque*. Plaut. Asin. II. 1. 15: Certe hercle ego quantum ex *augurio auspicii* intelligo. Quamquam *auspicium* etiam ex aliis rebus captabatur, atque, ut Servius

mere, multo minus ipsum interimere; sed adire eximium iudicem, qui controversiam dirimat aequa diremtione. Ille te eximet iniuria, et nisi adversarius comparuerit ad peremtorium terminum, illum, aut causam eius, perimet.

Digitized by Google

ait, omnium rerum erat: *augurium* vero certarum saltem, et *auspicari* ubivis, etiam peregri licebat: *augurium* vero agere nisi in patriis sedibus fas erat. Hinc *pedestre* auspicium ex quadrupedibus apud Hor. Od. III. 27. 2: Rumpat et serpens iter institutum. Si per obliquum similis sagittae Terruit mannos. Ego cui timebo providus auspex? *Auspicium*, avium inspectio, et quae ex volatu earum significatur et vocibus, *augurium* autem rerum omnium coniecturas prudenter et diligenter amplectitur. *Praetermine* ex terminis agrorum, cum ex agro romano in agrum peregrinum progrediebantur, ut tradit Victorinus de Orthographia: *Peremne* ex amnibus, cum vel magistratus in campum euntes, vel imperatores ducentes exercitum amnem aut aquam auspicato transibant; vel, ex acuminibus, si acumina spicularum, aut ensium splenderent. Cic. de Div. II. 36: Nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio *auspicantur*. Id. II. 3: Nulla *peremnia* servantur, nulla ex *acuminibus*.

Augusti (1) dicebantur hi, qui praeerant imperio romano; *Caesares* (2) autem erant imperatores designati, et futuri successores, quales olim principum filii, et qui nunc appellantur reges romani. Et haec quidem fuit horum nominum differentia iam declinante imperio, ut ex Ammiano, Lampridio, Spartiano, et ex rescriptis imperatorum, codici Iustinianeo insertis, apparet. Nam, florente imperio, omnes romani imperatores vocabantur Caesares Augusti, quod ex numismatis et antiquis inscriptionibus notissimum est.

Aula, a graeca voce *αὐλὴ*, est locus in aedibus subdialis; italice *atrio*, *cortile*. *Aulae* nomine donatur etiam domus

(1) Heic probe observandum est, Augustum ab augurando, quasi augurio felici consecratum, et neutiquam ab augendo dictum fuisse.

(2) Qui sic dicuntur a C. Iulio Caesare, dictatore, primo Romanorum monarcha, cuius parentes fuerunt L. Caesar, praetor, et Aurelia, C. Cottae filia, primariae dignitatis ac castae latinitatis foemina, ita ut, Theodoro Petreio in chronologica romanor. imperator. historia p. 3. scribente, nitide atque eleganter romane loqueretur; qua et ab infantia filium ita imbuit, vix ut ullum suo tempore superiorem, nedum parem, in scribendo loquendoque Caesar habuisse existimetur. Ideoque C. Velleius Paterculus II. 36. eum eloquendi facultate merito Ciceroni fecit proximum.

Digitized by Google

principum propterea quod complures *aulas* sive atria habere consuevit. Sed toto coelo errant qui *aulam* nominant quae Italis est *una gran sala*. Haec enim a Vitruvio aliisque latinis optimae notae scriptoribus *conclave maximum* appellatur. Virg. Aen. III. 353 :

Illos porticibus rex excipiebat in amplis;
Aulaī in medio libabant pocula Bacchi.

Senec. Ira. II. 33: Karissimam rem in *aula* consequi senectutem. TH. VALL.

AVARORVM tria sunt genera: *avidi, miseri, aridi*. Ter. Heaut. III. 2. 15: Sed habet patrem quemdam, avidum, miserum atque aridum. Avidum cum arido coniungit etiam Plaut. Pers. II. 3. 14: Nam id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos. Est vero *avidus*, undique corradens pecuniam. Ter. Eun. I. 2. 54: *Miser* est, qui quum habeat, uti non audet. Hor. Ep. ad Pis. 70: Quaerit, et inventis *miser* abstinet, et timet uti. *Aridus* est tenax nec ulli quidquam largiens. Plaut. Aul. II. 4. 18: Pumex non est aeque aridus, atque hic est senex. Id. Pers. I. 42: Nam tu aquam a pumice nunc postulas, qui ipsus sitit. V. Westerhovius ad Ter. Heaut. l. c.

AVIDVS a non videndo, propter nimiam cupiditatem, appellatur, sicut *amens*, qui mentem suam non habet. Fest. R.

AVIS est, quae pennas habet, et ova parit, ut ait Ennius in Epicharmo: Ova parere solet genus pennis condecoratum. *Volucris* est, quaecumque volat non avis modo, sed etiam insectum, ut apis, vespa, musca, et id genus alia. Sed haec differentia non semper observatur, praesertim apud poëtas, ubi volucris, tamquam genus, specialiter pro avi persaepe usurpatur. Varro R. R. III. 16, de apibus: Eas novisse *volucres*, quibus plurimum natura ingenii atque artis tribuit. Itaque eas melius me nosse, quam te, ut scias, de incredibili earum *avium* natura audi.

AVRIS est sensorium, quo sonus percipitur; *Auricula* vero cartilago circum aurium concavitatem, nec ossea, nec carnea. Si enim os fuisset, facile frangeretur; si caro, facile contunderetur, nec sonum repelleret. Sic aves habent quidem *aures*, sed non *auriculas*. Falsi itaque sunt viri eruditi,

Digitized by Google

qui duo haec vocabula, ut maius et minus differre, serio arbitrantur. Nam si ita esset, tristissimum illud: *auriculas* asini quis non habet? locum habere non posset. Scimus enim asinos auritos h. e. magnarum aurium esse, et ob id stupidum nulliusque iudicii hominem apposite denotare, etiamsi acutissime animalia ista audire dicantur. Conf. Barthii Lib. xI. Adv. c. 7. col. 522. Sic. Iustinianus Imp. a dicace, et semper querulo vulgo constantinopolitano ΟΝΟΣ, h. e. asinus quod auriculas ceteris maiores exstantioresque forsitan habuerit, per contemtum est cognominatus. Auritos lepores dicit Virg. Georg. I. 308, sed non primus. Secutus enim est Afranium, qui in prologo Priapi sub nomine ipsius Priapi haec sequentia profert: Nam quod vulgo praedicant, *aurito* me parente natum, non ita est. Vid. Macrobii Sat. vI. 5. Arrigere aureis, Ter. Andr. v. 4. 29. idem est, ac attendere, seu intellectum intendere. Sed aurem vellere, seu vellicare, veteribus erat admonere, sumtum ab illo ritu, quo in ius ducturi quempiam, aurem vellicabant, antestantes eum, quem quasi testem meminisse volebant.

Avscvlto tibi, est obedio, *ausculto* te, audio. R.

Avstervs (1) graeca consuetudine, *severus* (2) a saevo dicitur. R.

Avt, Sive, Vel, inter se differunt. *Aut* et *vel* diversis rebus interponitur, *sive* iisdem rebus diverso nomine explicandis, vel cum geminatur rebus indifferentibus. Porro etiam *aut* et *vel* habent aliquid discriminis. Licet enim utrumque diversis rebus interponatur, tamen *aut* proprie est διαζευκτικὸν, et contraria invicem opponit ita, ut alterutrum excludat,

(1) Graecis dictus αὐστηρὸς ab αὔω, sicco, proprie de sapore subacido, qui linguam contrahit, et fauces exsiccat, dicitur. Metaphorice vero morosum atque inhumanum hominem apposite designat.

(2) Severus non levis, sed seria alacriter agens est. Sic pater severus adhibeat disciplinae severitatem, non tamen nimis severe, et quod liberis asseverat faciendum esse, in eo ipsos perseveranter perseverare iubeat, sine qua perseverantia omnis asseveratio vana foret. Torvus autem est, qui torto vultu spectat, et de brutis ac bestiis proprie dicitur. Inde Virg. Ecl. II. 63: *Torva* leaena lupum sequitur. Dicitur et *homo torvus*, quando est horribilis, et aspectu formidabilis.

Digitized by Google

v. g. aut dies, aut nox; *vel* proprie est ὑποδιαζευτικὸν, et diversa, nihil excipiendo, coniungit, v. g. *vel* tu, *vel* uxor tua, *vel* e tua familia quispiam adfligetur. Hinc non satis recte dicitur: Ampullae scorteae fuerunt, aut fictiles, vel ex aere. Quam locutionem in Casaubono notavit Scioppius Iud. de Stil. Histor. p. 118 et in Thuano p. 120; quamvis, quod Scioppium fortasse latuit, haec distinctio non usquequaque a veteribus, praesertim a poëtis custodita fuerit, v. g. apud Martialem Epigr. IV. 78. 6:

Tunc ego, non oculos, sed ventrem pascere veni.
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

It. I. 92:

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Laeli:
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

At quid poëtis non licet, pro metri ratione? Sed apud historicos et oratores huiusmodi exempla similiter quamvis parcissime occurrunt. Si de praeteritis, et in praeterito loqueris, tunc *vel* rectius διαζευτικὸν est, et pro *aut* ponitur, v. g. Curt. III. 1. 18: Oraculi sortem *vel* elusit, *vel* implevit. Sin autem in praesenti vel futuro hoc efferendum foret, tunc *vel* locum habere, secundum linguae ἀκρίβειαν non posset, sed *aut* rectius substituendum esset, v. g. oraculi sortem *aut* eludet, *aut* implebit; quamvis nec desint, praesertim apud comicos, exempla, ubi *vel* etiam in praesenti tempore ponitur pro *aut*. Ter. Eun. II. 3. 27: Hanc tu mihi *vel* vi, *vel* clam, *vel* precario fac tradas. Haec vero differentia non videtur esse perpetua, vel usquequaque a veteribus custodita. Sunt enim nonnulla exempla in contrarium. Ita enim Cicero Off. III. 10: Pace *vel* Quirini, *vel* Romuli dixerim. Tacit. Annal. IV. 47: Nec multo post necessitas abiit, *sive* omissa simulatio.

Avtor proprie, qui aliquid inchoat, et perficit, et sic idem est, ac factor, Graecis quasi αὐτουργὸς, ab αὐτὸς, ideoque tantum per *t* scribi debet. Qui per *th* scribunt *author*, decipiuntur nominibus authentes et authenticus, quae Graecis sunt αὐθέντης, αὐθεντικὸς. Verum longe alia res est. Immo etiam *autor* est, qui autoritate sua approbat, ut aliquid agamus. Plaut. Aul. II. 2. 73: Impero *autorque* sum, ut tu me

Digitized by Google

cuivis castrandum loces. Unde tutores pupillorum *autores* vocamus, quorum autoritate illi faciunt omnia. Caeterum *autorem*, non tantum de personis, puta Deo, angelis, et hominibus dici, sed aliquando etiam intellectus expertibus tribui, multis exemplis corroborat Rud. Goclen. lib. I. Problem. Grammaticor. c. 31. p. 26. Sed *auetor* per *et* scriptus generaliter illum denotat, qui aliquid auget; specialiter vero, qui in auctionibus pretio aucto ius dominii in se transtulit. Itaque falluntur, qui autorem et auctorem unum idemque esse, ideoque duo haec vocabula indifferenter scribenda statuunt. H. (1)

Avxilivm fertur laborantibus, *subsidium* in necessitatem, *praesidium* custodit locum. *Auxilium* repentinum est; *subsidium* ad casus secundos praeparatur. Subest enim deficientibus. *Praesidium* ad custodiam collocatur.

Avxilia sunt milites alienigenae, qui ad augendum et firmandum exercitum accedunt, ut olim legionibus civium romanorum iungebantur auxilia sociorum, quorum numerus aut pro rei magnitudine a senatu decernebatur, aut arbitrio consulum, quibus id negotii datum erat, imperabatur. *Suppetiae* sunt copiae militares, quae ad subveniendum et succurrendum laborantibus, velut obsessis, mittuntur. Plaut. Epidic. v. 2. 12: *Auxilia* mihi et *suppetiae* sunt domi.

B

Bacca et Baca pro uno eodemque vocabulo haberi solent. Ita in Lex. Fabri p. 296. reperimus: Bacca (scribitur etiam baca) parvus fructus est lauri, olivae, corni. Aliter vero sentit Dempsterus in notis ad Rosini corpus A. R. p. 47. *Baccae* arboribus proprie congruunt, *bacae* de gemmis dicuntur. Emendavit hoc modo D. Auson. in Mosella: Tota Caledoniis talis pictura Britannis, Quum virides algas, et rubra corallia nudat Aestus et albentes concarum germina

(1) Haec omnia acute potius quam vere scripsit Hekelius. Namque in plerisque vetustioribus monumentis, atque in litteratis praesertim lapidibus legitur: *auctor*. Th. Vall.

Digitized by Google

bacas. Paulo post pergit: corrupti in hac voce et alii scriptores, quod eruditissimus Levinus Torrentius indicavit; et adde apud Hadrianum Iunium l. 6. animadv. c. 15. C. Petronium; quo margarita cara, tribaca, indica. Claudiani locum unum in paneg. de IV. Honorii consulatu. Et variis spirat Nereïa baca figuris; et alterum in paneg. de VI. Honorii consul. Substringitque comam gemmis, et colla monili Circuit et bacis onerat candentibus aures.

Bacca maiorum, *Acinus* minorum, *Grana* frumentorum. R.

Balbvs est, qui difficulter loquitur, in enunciando litteram aut syllabam praeterit, lingua haesitat, aut obscure loquitur. Balbus balbutit, quia balbuties loquelam impedit. Infans balbutit, quia nondum loqui potest. *Blaesus*, qui aliquam litteram, non quamlibet, sed certam decenter pronunciare et exprimere non potest, vel cui littera R, aut litterae sibilantes C, S, Z, molestae sunt, vitioseque pronuntiantur. L. 10. inf. ubi Gothofr. de Aedil. Edict. Budaeus. Sed scriptores interdum haec confundunt.

Balneae vel Balnea sunt primitus dicta publica; *Balneum* sive *balineum*, est domesticum et privatum (1). Itaque, quod erat unicum et singulare in aedibus *balneum*, ideo non habuit numerum multitudinis aetate M. Varronis, ut ipse testatur VII. 25. de L. L. Reprehendunt analogias, inquit, quod dicantur multitudinis nomine *publicae balneae*, non *balnea*; contra quod privati dicant unum *balineum*, plura *balinea* non dicant. Et mox: Domi suae quisque, ubi lavatur, *balineum* dixerit, eo quod non erant duo; *balinea* dicere non consueverunt. Sed posterior aetas *balnea* et *balnearia*, dixit tam privata, quam publica lavacra, ut constat ex Horatio, Martiale, Seneca et aliis.

Balnearivs dicitur homo, qui in balneo versatur, ut balnearius servus, et balnearius fur, qui vestimenta eorum,

(1) Balneum est unius domus, sed Svet. in Galba cap. X. Cels. I. 6. III. 27. Tacitus Agricol. XXI. 3. Val. Max. IX. 1. 1. Vitr. I. 3. habent; add. Phocas grammaticus p. 1706. Rhodius in notis ad Scribonii composit. 20. p. 59. Sed balneae, poëtis balnea, sunt totius civitatis, quibus praeest (cum toto balneari apparatu, ipsoque balneario) balneator.

Digitized by Google

qui lavantur, surripit. Catullus Epigr. xxxiv. 1: O furum optime *balneariorum*. *Balnearis* est res, quae balnei usibus deservit, ut balnearis ampulla, strigilis, solea. Scaevola Digestor. 17. L. ult. D. de Auro arg. Hoc amplius argentum *balneare*, quaesitum est, an etiam id argentum, quo diebus festis in *balneo* uti consuevit, legato cedat. Haec tamen aliquando confunduntur. Martianus Instit. 7. L. 17. D. de Instr. Dictum est *balneatorem* sic instrumento contineri balneario, quomodo instrumento fundi saltuarium. Ulpianus ad Edictum 70. L. III. D. de Rivis: Per quem vapor trahitur in *balneariis* vaporibus. Vetus Inscriptio: Ad lacum balnearium.

Balsamvm est ipsa arbor, *opobalsamum* succus collectus ex arbore, *xylobalsamum*, lignum ipsius arboris. Serv. R.

Baltevs est vinculum, cingulum, fascia militaris, quae ab humeris dependet, militis insigne; *Balteum* vero est cingulum e corio, ornatum bullis, ad quod alligatur gladius. Virg. Aen. XII. 941. seq. Conf. eiusd. Lib. 273. seq. et Lib. v. 312. seq. Infelix humero cum apparuit ingens *Balteus* et notis fulserunt cingula bullis. Liv. IX. Auratae vaginae, *aurata baltea* illis erant. Varro L. L. IV. 24: *Balteum*, quod cingulum e corio habebant bullatum, *balteum* dictum: Plin. in Libris dubii sermon. voluit masculino genere funiculum significare; neutro vero genere lora ad alligandum apta, cuius differentiae exempla, quod sciam, non exstant. *Balteus* ergo latius patet, quam *balteum*. Sed hanc ipsam differentiam non attenderunt auctores, ut Vossius L. I. de analogia, c. 36. observ. Recte igitur Servius ad lib. v. Aen. *Balteus* non dicitur tantum, quo cingimur, sed etiam abs quo arma dependent.

Barbam hominum (1), *barbas* plurali numero pecudum dices. Flav. Clarus et Serv.

Barbara *locutio* proprie peregrina est; sed *barbarismus* fit etiam in sermonis latini locutione. *Barbarismus* in singulis verbis est. Soloecismus in coniunctis. Corn. Fronto.

Barbarismvs contra linguae romanae puritatem, *soloe-*

(1) Puer est *imberbis*: cum pubescit, fit *barbatulus*, mox *barbatus*. Sed *barbus* piscis barbam habet geminam.

Digitized by Google

cismus contra grammaticae regulas impingit. *Barbarismus*, auctore Quinctiliano instit. orat. I. 9, est vitium, quod fit in singulis verbis; *soloecismus*, qui contextu vel complexu orationis accidit: vel, ut habet auctor ad Herenn. IV. 12, *barbarismus* est, quum verbum aliquod vitiose effertur; *soloecismus*, quum pluribus verbis consequens verbum non accommodatur: unde colligi potest, *barbarismum* vocibus inesse singulis, *soloecismum* coniunctis. Sed discrimen omne hoc non satis distincte propositum a magnis viris est; quippe non omnis error in vocibus coniunctis *soloecismus* est dicendus, sed ille dumtaxat, qui adversus structurae ἀναλογίαν, sive canones peccat, ut, pugio mea, profectus est Lutetiae. Quin etiam soloecismus committitur in singulis verbis, quae eam non habent formationem, quam grammatica inculcat, v. c. legebo. At non σόλοικα, sed barbara sunt, quae nexum verborum veteri Latio incognitum prae se ferunt, v. g. mendicare de domo ad domum. Isidorus Lib. I. orig. c. 31. barbarismum distinguit trifariam: quando in prosa vitium fit sermonis, *barbarismus* vocatur; quando barbara verba latinis eloquiis inferuntur, *barbara lexis*; quando in metro vitium committitur, *metaplasmus*.

Distinguendum est inter *barbarismum* et *vocabulum barbarum*. *Ille* est, qui ingenio linguae latinae repugnat; *hoc*, quod veteres ignorarunt, et nove confictum fuit.

Barbvs stultus a tarditate ingenii appellatur. *Bardus* gallice cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit, a gente bardorum. Fest. R.

Basterna et Lectica res sunt diversae. Vossius in etymologico: *basterna in eo a lectica differebat, quod illa ferretur a servis, haec traheretur a burdonibus*. At non satis caute dicit etiam Vossius, tractam fuisse a burdonibus; ab iis namque fuisse portatam, abunde demonstrant verba Salmasii ad Lampridii Heliogabalum c. 25. Quidquid ferendo est, βαστὸν est dictum; unde verbum βαστάζω: a basto igitur basterna, h. e. φορεῖον. Videmus igitur differentiam inter lecticam et basternam primam, quod *illa* portaretur ab hominibus, *haec* a iumentis; secunda est, quod *illa* esset vel clausa, vel aperta, *haec* semper clausa; *basternarum* enim ubi fit mentio, semper

Digitized by Google

clausa est intelligenda. Unde in epigrammate veteri: *aurea matronas claudit basterna pudicas*. Addam et tertiam, quod *basternae* ad solas pertinuerint mulieres, *lecticae* vero et ad viros et ad feminas; v. Alstorphius de lecticis vet. p. 310. *Basterna*, definiente Isidoro XX. 12, vehiculum est itineris, mollibus stramentis posita, a duobus animalibus deportata; v. Gesneri thes. v. basternae. De basternis copiose agit Schefferus de re vehiculari lib. II. c. 6. p. 115. s.

Bellvs contracte pro *benellus* ab antiquo *benus*, pro quo hodie *bonus*, est lepidus, commodus, iucundus. *Formosus*, qui decora specie, et apta totius corporis compositione excellit. *Pulcher* qui est egregia facie, aut splendido ornatu. Ita *bellus* commendatur venustate atque elegantia, qua allicere et delectare quemvis possit, ut bella puella, bella epistola, bellum convivium. *Formosus* apta corporis habitudine. Pulcher colore (1), vel ornatu cultuque, ut pulcher puer, pulchra vestis, domus etc. Confunduntur tamen interdum posteriora duo, ut etiam forma et pulchritudo. Virg. Ecl. II. 17: O *formose* puer, nimium ne crede colori.

Bellvm duorum populorum armis concertamen est, et significat totum hoc tempus, quo manet dissensio hostilis, etiamsi cessetur a conflictu, aut intercedant induciae. *Praelium* est, cum acies utrinque congrediuntur. Nam ut *bellum* finiatur, committunt *praelium*, praeliarique pugna praeliantur. Sed *pugna* et *certamen* fiunt etiam sine armis, nonnunquam nudis verbis. Ita *praelium* est pars belli. Cic. N. D. II. 28: Nec vero dii *bellis praeliisque* caruerunt. Liv. IX. 18: Quod populus romanus etsi nullo *bello*, multis tamen *praeliis* victus sit. Svet. in Aug. XXV: *Praelium* quidem aut *bellum* suscipiendum omnino negabat. Verrius Flaccus. IV. de Verborum Significatione: Ius *belli* proximo deinde *praelio*. Aliquando tamen *bellum* sumitur pro *praelio*, Virg. Aen. II. 438. seq. Heic vero ingentem pugnam, ceu caetera nusquam *Bella* forent. Varro L. L. VI. 3: Rorarii dicti a rore, qui *bellum* committebant ante. Veget. de re militari: Commisso *bello*

(1) Dicitur enim pulcher quasi πολύχροος, h. e. multicolor. Ideoque rectissime cum aspiratione scribitur.

Digitized by Google

prima et secunda acies stabat immota. Modius Iustini verba II. 6. *Erant inter Athenienses et Dorienses simultatum veteres offensae, quas vindicaturi bello Dorienses de eventu praelii oracula consuluerunt*, de eventu belli, non praelii legere iubet. Aliud enim longe est vincere bello, aliud vincere praelio. Illud prius est, de quo fere oracula consuli solent, quum victus praelio saepe victorem postea vincat, victus bello in victoris sit potestate. Sed non erat, quod lectionem vulgatam Modius sollicitaret. Praelium enim et bellum hic faciunt paria, quemadmodum bellum minime raro pro praelio Graecis et Latinis ponitur. Sic ipse Iustinus III. 6. 7. et I. 15. vid. Cortius ad Iul. Exsuperantium de B. C. c. 3 et Dresigius epistola, qua Iustinum quibusdam locis emendat, p. 7. Secuti omnino Graecos sunt Romani, apud quos πόλεμος et μάχη non raro confunduntur, quamvis inter se differant; v. Raphelii adnot. Polyb. p. m. 475. seq.

Bellator est, qui bellum gerit, vel per quem bellum geritur, ut Bellator Turnus, Aen. XII. 614, et Bellator equus apud Virgilium Georg. II. 145, et Aen. XI. 89. *Bellax*, qui belli gerendi studio delectatur, *bellicosus*, qui in bello excellit, et fortitudine praestat. Bellicosi enim populi, sive bellatrices gentes sunt bellatorio animo, gaudentque belligerare.

Bellvae sunt magnitudine excellentes ferae, ut elephanti. *Belluam* vocamus hominem belluinis moribus; sed belluosum oceanum, belluis marinis plenum. *Bestiae* et *ferae* generaliter appellantur omnes animantes rationis expertes, sive natura ferociunt, ut leones, tigrides; sive mediae inter feritatem et placiditatem naturae sunt, ut hirundines, apes, columbae; sive sunt mansuetae, ut equi, canes, oves, etc. *Bestiarum* nomine censentur quoque animalia venenata, quae Graeci vocant Θηρία, Cic. de Div. I. 7: Quae sint animadversa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus *bestiarum*.

Bellvm domesticvm et civile non sunt eadem. Dresigius animad. in Fabr. thes. contin. p. 3. scribit: bellum intestinum ac domesticum in Cic. Cat. II. 13. usurpatur pro bello civili. Quae quominus admitti queant, intercedit alter locus in Cat. III. 8. ubi bellum civile ac domesticum occurrit. Itaque quando Cicero civile et domesticum coniungit, sine

Digitized by Google

dubio diverso significatu posuit haec duo nomina. Et sane peculiari sensu orator bellum catilinarium adpellare domesticum videtur, quia illud domi gerebatur. Contra bellum, inter Pompeium et Caesarem gestum in Hispania, Africa et Graecia, civile quidem erat, sed non domesticum. Ergo bellum civile et domesticum pro synonymis simpliciter non sunt habenda.

Bene Vivere, est vivere honeste, et cum virtute; *Beate* vero *vivere*, est vivere quoque iucunde et feliciter. *Bene vivens* non semper potest *beate*, hoc est, iucunde atque feliciter vivere; sed *beate vivens* potest, si vult, etiam *bene* vivere. H.

Beneficentia et Liberalitas non sunt eadem. Cicero pro Deiot. ix: Fortem, iustum, severum, gravem, largum, beneficum, liberalem; hae sunt regiae laudes. Abramus bene distinguit: videntur haec esse propemodum synonyma. Cic. Off. ii. 16: Duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi dicuntur, alii liberales. Ita tamen possumus verbi causa distinguere, ut *largitas* quidem et *liberalitas* consistant in usu pecuniae; sed *largitas* sit quodammodo effusior, *liberalitas* restrictior: *Beneficus* autem dicatur, qui quocumque modo, sive opera, sive consilio, aliorum commodis servit. Cicero Offic. ii. 15: *Deinceps de beneficentia ac liberalitate dicendum est. Cuius est ratio duplex. Nam aut opere benigne fit indigentibus aut pecunia. Facilior est haec posterior, locupleti praesertim, sed illa lautior ac splendidior, et viro forti claroque dignior. Quamquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur.* Hildebrandus ad h. l. rem ita declarat: si quem doceas, defendas, consilio, lingua, manu iuves, *beneficus*, si pecunia indigentiam subleves, *liberalis* es; maius autem est opera prodesse, quam pecunia; illud enim est viri, virtute, eloquentia, sapientia praestantis; hoc cuiusvis opibus adfluentis, quae contemtissimo cuique ac turpissimo contingunt, et lenoni ac lanistae, cf. Senec. Ep. lxxvii.

Beneficiarii dicuntur milites, qui vacant muneris beneficio, e contrario *Munifices* vocantur, qui non vacant, sed munus reipublicae faciunt. Fest. R.

Digitized by Google

Beneficivm distinguitur ab *officio*, ut genus a specie. Plaut. Trin. III. 2. 12. et 13. R.

Bibere est modice, sobrie, et ad naturae necessitatem potum accipere. *Bibo bibit* valde, *bibulus* saepe, *bibax* nimis avide. *Combibones* solent combibere, sibi praebibere, pocula ebibere, et cum adbiberunt, iubilare. *Potare* est largius potionare seu affluenter et ad ebrietatem potione repleri. Ita *bibunt* sobrii, *potant* ebriosi. Plaut. Curcul. I. 1. 88. seq. *Bibite* festivae fores, *potate*, fite mihi volentes propitiae. Cic. Philip. II. 27: Domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum, totos dies *potabatur*, atque id locis pluribus. Ita fere usurpantur haec verba, quoties simpliciter et sine adiunctione ponuntur. Poëtae tamen, qui omnino vocabulorum differentias parum pensi habent, interdum hinc abeunt.

Bibliotheca et Apotheca distinguuntur lib. XII. § 34. D. de Instr. et instr. leg. Bynkerhoekius obs. iur. rom. III. 3. p. m. 153. ita. *Bibliotheca* a *librorum apotheca* distinguitur ita, ut *haec* sit receptaculum librorum, qui commercii aut alterius rei gratia habentur, non usus; *illa* vero, quae usus ergo est, quaeque praecipuo nomine bibliothecae adpellatur.

Bibliotheca significat locum, vel armarium, in quo libri adservantur. Ideoque idem est, ac librorum repositorium. Interdum etiam ipsos libros denotat; *Libraria* vero est taberna, in qua venales libri exstant. Gell. v. 4. Apud Sigillaria forte in *libraria* ego et Iulius Paulus, poeta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus.

Bini denotat numerum geminatum, id est, tot res illarum, quae distribuuntur, singulis competere. *Duo* numerum simplicem, id est, duas unitates, ut si dixeris: Lego Caio, et Titio *binas* tunicas, intelligemus unicuique competere duas tunicas; at si dixeris: Lego illis *duas* tunicas, singulis una est legata. Quamquam hoc non semper observant poëtae, et bina pro duobus singularibus accipiunt, ut trina, vel terna, pro unis tribus, et similiter octona, dena, centena. Virg. Aen. I. 313: *Bina* manu lato crispans hastilia ferro. Id. VIII. 168: Frenaque *bina*, meus quae nunc habet, aurea Pallas. Praeterea *bini* iungitur fere cum nominibus, quae singulari numero carent; *duo* vero his quae habent numerum singula-

Digitized by Google

rem, ut dicimus *binas* litteras, *binas* aedes, *duas* epistolas, *duas* domos. Sed, et *bini* dicitur de his, quae coniuncta sunt loco, tempore, re; *duo* etiam de illis, quae sunt diversa et separata, ut *bini* tabellarii, qui simul veniunt, *bina* aedificia, quae coniuncta sunt, quorum omnium exempla passim occurrunt.

BLANDITIAE, foeminis ac maxime meretricibus conveniunt; *Gratia* vero, quae potest in adolescentibus esse, sine infamia; *gratia* enim significat copiam amicorum. Paedian. R.

BOMBEX est lana, *bombyx* vermis, *bombus* sonus apum. R.

BONA in ipsis possessionibus, *fortuna* in fructibus eorum. Paedian. R.

BONI pro magnis, *honesti* pro divitibus, vetuste. Paedian. R.

BONI VIRI et BONI CIVES diversi sunt. Cic. Fam. IX. 28: Eumque, quem bonum civem semper habuisset, bonum virum esse pateretur. V. Gesn. v. bonus.

BONVS (1) et PROBVS differunt. *Ille* virtute, *hic* probitate laudatur. *Virtus* autem propria viri est, a quo nomen probitas hominis. Unde *bonus* vir, *probus* homo dicitur. Cic. ad Caesar. *Probiorem* hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. *Bonus* certa quadam et indubitata ratione honestatem amplectitur; *probus* naturali indole fertur ad ea, quae recta sunt. *Ille* magis peragit recta; *hic* magis ab astu et malitia alienus est. *Ille* plerumque res, facta, intellectum; *hic* sensum, voluntatem et sedatos nilque mali appetentes animi motus respicit. *Bonus* est (2) qui non noceat; *liberalis* qui etiam prodest; *bonus* qui non peccat in facto; *liberalis*, qui nec in verbis. Donat. ad Terent.

(1) *Bonus*, scribente Isidoro Orig. X. 237, a venustate corporis creditur dictus: postea et ad animum translatum nomen est. Eum autem dicimus *bonum*, cui non praevalet malum, eumque *optimum*, qui peccat minimum. *Benignus* autem est vir sponte ad bene faciendum paratus et dulcis alloquio. Non autem multum distat *benignus* a *bono*; quia et ipse ad benefaciendum videtur expositus. Sed in eo differt, quod potest *bonus* esse et tristior, et bene quidem facere et praestare quod poscitur, non tamen suavis esse novit consortio; *benignus* autem sua cunctos novit invitare dulcedine.

(2) *Bonus* opponitur malo, qui aliis usu: *commodus* aliis necessario utique prodest. Fr. R.

Digitized by Google

Bonvs Vir et Bonvs Homo non sunt iidem. Barthius advers. xxxvi. 13. observat, *bonos viros* de iureconsultis speciatim dici, qui sunt boni nominis, seu honestae et inculpatae vitae viri. *Bonus homo* autem est, cui mulier imperat. Conf. Westerhovius ad Ter. Andr. v. 4. 12. *Bonus* est hic *vir*. Sic *bonus homo* ille fuit, cui hoc monimentum ab uxore positum est: Aemilio . Valerio . Corintho . Homini . Bono . Qui . Vixit . Annos . xl . Defuncto . Honoribus . Aedilitiis . Antonia . Tortonia . Marito . Obsequentissimo . Vid. Phil. Caroli annot. Gell. p. 92.

Bonitas in omnibus generaliter rebus est; *aequanimitas* vero in spectando. *Bonitas* in probandis his, quae bona sunt; *aequanimitas* in ignoscendis vitiis et delictis. *Aequanimus* enim studet aequanimitati animitus, estque etiam unanimis et longanimis; *magnanimus* vero nihil timet; *pusillanimus* omnia, quem facile exanimare, h. e. semianimem reddere, queas. Immo et exanimatur terrore, ut exanimis, inanimique similis fiat. Id. Donat.

Brachia et Lacertos differre, adparet e Curtii viii. 9: *Brachia* quoque et *lacertos* auro coluni; viii. 1: *Lacerti* quoque et *brachia* margaritis ornata erant. *Lacertum*, os esse inter acutam gibbamque brachii partem, et manus vertebram, contra *brachium*, os esse inter humerum et lacertum, scribunt Vossius in lexico et Bartholus anat. iv. 1. minus recte. Lacertum enim pro brachii parte superiore, humerisque propinqua usurpant Ovidius et Tacitus. Ille Metam. I. 500: Laudat digitosque manusque, *Brachia*que, et nudos media plus parte *lacertos*. Procedit enim poëta ab inferioribus usque ad superiora membra, quibus pars illa corporis absolvitur; a digitis enim ad manus, a manibus ad brachia, a brachiis ad lacertos, dum Apollinis amorem, quo Daphnem prosequebatur, narrat, eumque omnia laudasse virginis, quae conspectui patebant, membra canit. Alias lacertum, si inter cubitum et manus vertebram esset, ultra cubitum tectum, deus videre non potuisset; sequitur enim: si qua latent meliora putat. Et quo nihil evidentius, Metam. xiv. 303. de sociis Ulyssis, formam humanam recipientibus: Erigimur, setaeque cadunt, bifidosque relinquit Rima pedes: redeunt

Digitized by Google

humeri; subiecta *lacertis Brachia* sunt. Hic germanorum feminas partem vestitus superioris in manicas non extendere narraturus, a brachiis ad lacertos, inde ad pectus ascendit, Germ. XVII. 5: Nudae *brachia* ac *lacertos*, sed et proxima pars pectoris patet. Plura Cuperus obs. LIV. 17. Pitiscus ad Curt. VIII. 9. Interdum tamen brachium totum illud nobilissimum corporis nostri instrumentum notat; si vero eam modo partem, quae est inter cubitum et manum, a *βράχυ* deduci debet: V. Gesneri thes. V. brachium et lacertus.

BRASSICA et CRAMBE differunt ut genus et species. Plin. HN. XX. 33: *Brassicam* in tres species divisere Graeci antiquissimi: crispam, quam *selinada* vocaverunt a similitudine apii foliorum, stomacho utilem, alvum modice mollientem; alteram *leam*, latis foliis e caule exeuntibus, unde *caulodem* quidam vocavere, nullius in medicina momenti; tertia est proprie appellata *crambe*, tenuioribus foliis et simplicibus densissimisque, amarior, sed efficacissima.

BREVIS opponitur longo, *minutus* et *pusillus* magno. *Pusillus* enim proprie idem est, ac parvus, ut pusio. Ita *brevis* oratio, via, dies, statura; *minutus* et *pusillus* homo, animus; *minuta* aut *pusilla* res. Varro in Epist. Quod et pueros *minutos* vides libenter, et maiores animadvertere non vis. Id. in Marcipore: Utri sunt maiores pueri, hi *pusilli* nigri. Cic. Fin. I. 18: Ecce autem mali, *minuti* et angusti et omnia desperantes. Id. Fam. II. 17: Illud vero *pusilli* animi, et ipsa malevolentia ieiuni atque inanis. Et alibi: *minutis* maculis, *minutis* interrogatiunculis. *Brevis* in natura, *pusillus* in corpore, ut *brevis* dies, *pusillus* homo. Sosip.

BVCCINVS ipse cantor; sed *buccina* erit tuba, aenea, flexuosa, qua signum dat buccinator. In genere est cornu recurvum, quod venatores, pastores, vigiles et alii huiusmodi homines inflare solent; Fl. Clar. *buccinum* genus conchyliorum ex quibus purpureus color inducitur (1) L. LXX. § 13. de leg. 3.

BVSTVM dicitur locus, in quo mortuus est combustus et

(1) Parum enim abest figura eius a nostratibus parvis buccinis; nec aliud referre ex inani testa extera possumus, sicuti patet ex Fabii Columnae opusc. de purpura v. 24. edition. Kilon.

Digitized by Google

sepultus (1); *ustrina* vel *ustrinum*, ubi combustus tantummodo, alibi vero est sepultus. Quare *bustum* est religiosum non minus, quam monumentum et sepulcrum. *Ustrinum* neque conseptum, neque religiosum est, et interdum monumento coniunctum, aliquando vetitum applicari, ut testantur antiquae inscriptiones Romae: Huic . monumento . ustrinam . applicare . non . licet. Varro LL. IV. 32: Locus ad *busta* gallica, quod, Roma recuperata, Gallorum ossa, qui possederunt orbem, ibi coacervata ac consepta. Svet. Ner. XXXIII: Denique *bustum* eius consepiri, nisi humili levique maceria, neglexit. Id. ib. XXXVIII: Ad monumentorum *bustorumque* deversoria plebe compulsa. Interdum tamen *bustum* appellatur locus, in quo mortuus crematus, non etiam sepultus est, ut notat Servius ad illud Virgilii Aen. XI. 200. seqq. Semiustaque servant *busta;* et Strabo v. scribit τὰς καύστρας, id est, *bustum* Augusti fuisse in Campo Martio, et ab eo diversum *mausoleum*, in quo cineres conditi. *Bustum* dicitur cadaveris crematio ipsa, ab antiquo buro, quod est a graeco πυρόω; *ustrina* locus dicitur, in quo crematur; operis exstructio est sepulcrum; inscriptio, monumentum; strues lignorum, rogus; ignis inflammatus, pyra; apparatus mortuorum, funus dicebatur. Farnab. ad Sen. Troad. v. 661. R.

Bvxvs arbor vel potius arbuscula semper virens ac tonsilis; *buxum* materia ipsa. Fl. Clarus.

C.

Caballvs, dictus a καβάλλειν, quod idem est, ac onera iniicere, fere usurpatur de magno et tardo, ut clitellario, vel pistrinario: *Equus* vero de praestanti et generoso. Lucil. ap. Non. I. 55: Succussatoris tetri tardique *caballi.*

Cadaver hoc modo a *funere* distinguit Isidorus Orig. XI. 3: Omnis mortuus aut funus est, aut cadaver. *Funus* est, si

(1) De combustionis initio, causa et quibus illa olim in usu fuerit, vid. Io. Kirchmanni lib. I. de funerib. Romanor. c. I. et 2. Martin. Geieri c. VI. de luctu Hebraeor. § 2. seqq. p. 106. seq. edit. poster. et Io. Andr. Quenstedii c. I. tract. de sepult. vett. p 7. et c. VII. p. 157. seq.

Digitized by Google

sepeliatur, *cadaver* si insepultum iaceat. Cui accedit Servius ad Aen. VIII. 508, monens, *cadaver* dici, quod careat honore sepulturae.

CADERE plus est quam *labi*. Cicero Phil. II. 21: Quum labentem et prope cadentem rempublicam fulcire cuperetis. Addo similem locum Livii v. 21, ubi haec habes: Convertentem se inter hanc venerationem, traditum memoriae, prolapsum cecidisse.

CADIT etiam in plano, (1) sed *decidit* ex alto. Corn. Fronto.

CAELATVRA est in auro, argento, aere, ferro. *Scalptura* autem, praeter haec ipsa, etiam lignum, ebur, marmor, vitrum ac gemmas complectitur, auctore Quinctiliano II. 21. Plin. HN. XXXV. 45: Plasticen matrem esse statuariae, scalpturae et *caelaturae*. Similiter *caelatum* est, quod in auro, argento, aere ac ferro elaboratum haeret, et aliqua parte prominet: *scalptum* vero est, quod ex his ipsis, ut ex ligno praeterea, ebore, vitro, gemmis, vel solidum integrumque corpus exstat, ut statua, vel in imo depressum dimidiatam effigiem exprimit, ut sigillum. Quamquam *caelatum* latius interdum accipitur, ut de ligneo poculo. Ita enim Virg. Ecl. III. 37: *Caelatum* divini opus Alcimedontis.

CAERVLVS naturae color est, *caeruleus* naturam fingit. *Alterum* est, *alterum* fit, ut tradit Fronto; cum tamen haec ut plurimum confundantur, apud poëtas maxime. Sic Ennius XIX. Annal. dixit: *Caeruleum* spumat sale conferta rate pulsum. Catullus LXV. 7: *Caerula* verrentes abiegnis aequora palmis; et Virg. Aen. X. 209. seq. *Caerula* concha Exterrens freta.

CALAMVS, CANNA et ARVNDO eamdem rem significant. Interdum tamen *arundo* magis proprie dici videtur, quae crassior et largior est, seriturque ad usum praecipue vinearum;

(1) Cadere enim proprie est corruere, vel praecipitari, vel labi; tropice vero pro debilitari, frangi, opprimi, perire, aut non recte rem gerere apud Cicer. passim usurpatur. Sic omnia, quae ab ordine et constantia vacillant aut degenerant, cadere quoque dicuntur, observante Barthio in Animadv. ad Claudiani v. 273. Lib. III. de Rapt. Proserp. p. 444. Cadere lasciviore intellectu a Plauto in Persa IV. 4. 104. usurpatum Ianus Dousa Par. Lib. IV. Plautin. Explanat. c. 11. p. 348. docet. Conf. Taubm. in praed. Plaut. loc. p. 1157.

Digitized by Google

calamus gracilis tenuisque et tibiis fere ac scripturae aptus; *canna* maior *calamo*, sed minor *arundine*, et semper fere sua sponte proveniens. Sed perpetuum illud discrimen non est. Quin in una fabula de Syringe Ovidius, qui more reliquorum poëtarum differentias non curat, Met. I. 706. sc. *cannas*, *arundinem*, *calamos*, de una eademque re dixit. Gesnerus in thes. v. *calamus*. Colum. VII. 9. 7: *Namque et id fecisse maxime per aestatem profuit, et dulces eruisse radiculas aquatilis silvae, tamquam scirpi iuncique et degeneris arundinis, quam vulgus* cannam *vocat*. Id. IV. 32, 3: *Cannae* similis, arundo gracilis. Discrimen indicat Ovid. Met. VIII. 337: Et longa parvae sub arundine *Cannae*. De arundine locum habes classicum apud Plin. H. N. XVI. 65.

CALAMISTRVM differt a *discerniculo*. *Discerniculum* seu acus ex auro crinalis erat, et inserviebat distinguendis et continendis capillis; *calamistrum* vero ex ferro paratum torquendis et vibrandis crinibus. Aperte Varro separat LL. IV. 29: *Calamistri*, inquit, quod his calefactis in cinere capillus ornatur: *Discerniculum*, quo discernitur capillus. Nec obstat, quod *calamistrum* acum maiorem Servius ad Aen. XII. 100, interpretatur, quae calefacta et adhibita intorquet capillos. Quia *calamistrum* et acum crinalem utrumque comendis capillis adhibebant mulieres, et quia crinali acu interdum vice calamistri utebantur, ideo grammatici ea instrumenta confundunt; v. Salmasius Exerc. Plin. p. m. 535. 2.

CALCEVS totum pedem vestit. *Solea* vel *crepida* basim tantum pedis tegit, italice *pianella*. *Diabathrum* est quoddam genus calceamenti graecanici, unde *la ciabatta degl'Italiani*. *Sandalium*, genus calceamenti altioris, elegantis, interdum auro et gemmis distincti, ansulis post talos adstricti, gallice *pantoufle*. *Caliga* est calceamentum constans solea coriacea, quod ferreis plerumque clavis muniebatur, habebatque ligamenta complura, quibus tum superiori pedis parti, tum imae tibiae circumdatis ligabatur. *Calceo* utebantur ingenui, *solea* servi, *diabathro* et *sandalio* foeminae, *caliga* milites gregarii. V. Plaut. Aul. III. 5. 38 et seqq., ubi memorantur *calceolarii*, *solearii*, *diabathrarii*, qui videlicet calceos, soleas et diabathra conficiunt. TH. VALL.

Digitized by Google

CALIGARIVS est, qui caligas (1) conficit; *Caligaris* aptus ad caligas. Ita dicitur caligarius artifex, clavus caligaris, auctore Charisio. Quae tamen differentia non semper observatur, et sine discrimine his utuntur scriptores, ut Plin. HN. IX. 33: Squamis conspicui crebris atque praeacutis, clavorum *caligariorum* effigie; et XXII. 46: Si enim *caligaris* clavus etc.

CALONES sunt ministri militum, liberi homines; *Lixae* vero servi eorumdem, teste veteri scholiaste Horatii Sat. I. 2. 44. (2).

CALVMNIA est dolus malus et iniuria, quae existit ex malitiosa et callida interpretatione, sive est callida quaedam fallendi ratio, cum malevolentia coniuncta. Alii malitiose de aliquo sparsum sermonem proprie nuncupant. *Cavillatio* est frivola atque iocosa calumniatio. Ciceroni genus est facetiarum, quod mentiendo in primis fit. *Dicacitas* est sermo mordax, cum sale et risu alios incessens. Ita *calumnia* maligna est, *cavillatio* frivola, *dicacitas* falsa. Cic. de Orat. II. 54: Cum duo sint facetiarum genera, alterum aequaliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve; superior *cavillatio*, altera *dicacitas* nominata est. Id. Off. I. 10: Existunt iniuriae saepe *calumnia* quadam, et nimis callida et malitiosa iuris interpretatione; Id. Att. IV. 3: Metellus *calumnia* dicendi tempus exemit. Svet. Vesp. XXIII: Et maxime tamen *dicacitatem* in deformibus lucris affectabat, ut invidiam aliqua *cavillatione* dilueret, transferretque ad sales. Sed *calumnia* proprie est accusatorum, et significat falsum crimen, quod intenditur in iudicio adversus innocentem, ut litibus vexetur ac frustretur. Unde *calumniam inferre* dicitur, qui per fraudem aliquem reum defert; et *calumniam iurare*, vel *de calumnia iurare*, est iureiurando profiteri se accusatorem, et non vexandi adver-

(1) Caliga olim erat tegumentum pedum militare, nunc pro femoralibus utimur, dicta quasi colliga, a colligando; *caligas* enim colligamus caligulari ligula, ut incedamus caligati.

(2) Longe aliter de hac re est elegantiorum sententia, qui statuunt, *lixas* liberos homines fuisse, qui exercitum quaestus gratia sequerentur, et cibos militibus coquerent venderentque, italice *vivandieri*; *Calones* vero fuisse militum servos, non ignaros omnino militiae, quique idcirco utilem interdum operam ducibus navarent. TH. VALL.

Digitized by Google

sarii, sed iuris persequendi gratia actionem instituisse. Coelius ad Cic. Fam. VIII. 8: *Calumniam* maximo plausu tulisse. Id. ibid. Cum *calumniam* iurasset, contendere ausus non est.

CAMELVS (1) pecus est, quod iumentorum usum praestat, eiusque fera natura est. Lib. II. § 1. ff. ad L. Aquil. *Camelum* (2) est funis ancorarius. *Camela* (3) poculi, seu vasis genus, quo in fastis uti solebant. De ea canit Ovid. Fast. IV. 777. seq. Dum licet, apposita, veluti cratere, *camella*, Lac niveum potes, purpureamque sapam.

CAMERA est fornix quilibet; *Lacunar* fornix caelatus, et picturatus; *Conclave* est secessus, seu separatior locus in interioribus tectis; *Cubiculum* in genere notat aedium partem instructiorem.

CAMPAGVM cum CALIGA confundit Capitolinus in Maxim. II. Nam quum esset Maximinus pedum octo et prope semis, calceamentum eius, id est campagum regium quidam in luco, qui est inter Aquileiam et Arziam, posuerunt, quod constat pede maius fuisse hominis fastigio atque mensura. Unde etiam vulgo tractum est, quum de longis atque ineptis hominibus diceretur, *caliga Maximini*. Campagos atque caligas non omnino fuisse similes inter se, declarat Trebellius, qui de Galliano c. 16. ait: Caligas gemmatas adnexuit, quum campagos reticulos appellaret. Tam caliga, quam campagus militare erat calceamentum; *caliga* nempe gregariorum militum, *campagus* ducum et imperatorum, postea ab iisdem etiam in pace usurpatum. Quod ergo discrimen inter utrumque? Non aliud, quam quod, quum utrumque de genere solearum vel crepidarum esset, id est, quae imam tantum

(1) Aliis est iumentum grande et gibbosum, quod onus excepturum ingeniculat. Et quamvis sit generis epicoeni; reperitur tamen, Valla attestante, qui camelos foetas legisse asseverat, nonnumquam foeminino genere adiunctum.

(2) Etiam in hoc sensu non neutrum, sed quoque masculinum est, et scribitur, quod sit funis nauticus et crassus, cui anchora alligatur, a similitudine cameli, animantis tortuosi, ita nuncupatus.

(3) Scriptura per unum *l* est vitiosa, probante Pollucis Σκαμίλλα. Dicitur et Camillus eodem significatu; sed alio puer est ingenuus patrimus matrimusque, qui cameliam, quam parens mittere solebat, in nuptiis sponsae cum mundo et iocalibus laetans offerebat.

Digitized by Google

pedis calcem tegerent, superiore nuda, et ideo utrumque habenis religaretur, hac differentia, quod *caliga* ultra pedem, *campagus* ad medium usque cruris habenas illas et retinacula extenderet, et ideo campagus a loris illis sive corrigiis, per crus decussatim implexis, et se reticulato opere intersecantibus; unde reticulos Gallienus appellat; v. Ferrarius anal. p. 120. Gesn. thes. v. campagus ita: Campagus vel campacus potius, est calceamenti magnifici nomen. Laudat Gesnerus Salmasii explicationem a Trebel. 16. Conf. etiam Rubenius de calceo senat. de re Vest. II. 1. et Balduinus de calceo antiquo p. 165.

Campvs est planities vel agrorum vel pratorum. Sic Cic. de Div. II. 46: Ut enim Aegyptii et Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes. *Ager* ipsum est subiectum. *Rus* omnis locus extra urbem. R.

Camvri sunt boves, qui conversa introrsum cornua habent. *Patuli* (1) qui cornua diversa habent, quorumque cornua terram spectant. His contraria *Licini*, qui sursum versum cornua reflexa habent. Serv.

Canalis, Fistvla et Tvbvs diversas res denotant. Non verissimam significationem voci *canalis* tribuunt, qui eam *συνεώνυμον* esse volunt nominis tubi, fistulae, siphonis. Distinguuntur haec a veteribus. Varro R. R. III. 5: In hoc tectum aquam venire oportet per fistulam, et eam potius per angustas canales serpere, quae facile extergi possint. Loquitur de ornithone, in quem aqua fistulis vel tubis immittitur; immissa vero canalibus, qui non clausi sed aperti sunt, excipitur, et potaturis avibus ministratur. *Canales* ergo sunt e quibus potum licet haurire et avibus et pecudibus. Confirmat hoc Virgilius Georg. III. 330; IV. 265. Varro eod. loco: Avibus aqua ministratur per canaliculam. Eodem l. c. 2. in eo perpetuo *canalis*, in quam et cibus ponitur iis (anatibus) et immittitur aqua; sic enim cibum capiunt. Vitruvius VIII. 7: Ductus autem aquae generibus tribus fiunt: rivis, per *canales* fictiles, aut fistulis plumbeis seu tubis fictilibus.

(1) Vid. quae ad vers. 188. Vitae Virgilianae a Mich. Barthio erudite descriptae p. 26. Edit. Cygn. breviter adnotavimus.

Digitized by Google

Hinc canales Columellae dicuntur, in quibus sal praebetur pecori, vI. 33. Medici vero ita vocant ligna excavata, quibus fracta crura et femora constringuntur, ut docet Celsus vIII. 10. 5. Ex superiore Vitruvii loco illud etiam discas, discrimen esse inter *fistulas* et *tubos*. Illae enim sunt ex metallo, hi ex ligno vel argilla. Hanc distinctionem formant Vitruvii reliqua verba: Multo salubrior est ex tubulis aqua, quam per fistulas. Itaque minime fistulis plumbeis aqua duci videtur, si eam volumus habere salubrem. Saporem quoque meliorem ex tubulis esse. Plinius quoque HN. xxxI. 6, eadem ratione tubos et fistulas discernit. Adde eumdem xvI. 42.

Cancellare litteras est eas cancellatim dispungere, seu transversis cancellis sive lineis, quasi inducere; *Expungere* vero est easdem illinere, vel delere. Rubr. et L. 1. pr. § 1. ff. de his, quae in test. del.

Cano voce, *Psallo* fidibus pariter et cantu (1). Cic. Catil. II. 10: Pueri tam lepidi ac delicati non solum amare et amari, neque *cantare* et *psallere*, sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt. Svet. Tit. 3: Ne musicae quidem rudis, ut qui *cantaret* et *psalleret* iucunde scienterque. Gell. xIx. 9: Desideravit (Antonius Iulianus, rhetor) exhiberi, quos habere eum adolescentem sciebat, scitissimos utriusque sexus, qui *canerent* voce, et qui *psallerent*. Arnob. L. 2. In coelo enim *cantatur* et *psallitur*. Spart. Hadr. xIv: *Psallendi* et *cantandi* scientiam prae se ferebat.

Cantvs est modulatio carminis, hoc est, ipsa actio. *Carmen* quod compositum est. Sed *Cantilia*, Doleto notante, a Latinis ponitur pro sermone dissipato aut saepius usurpato; sed eo tamen ridiculo et inani, qui vel publicus esse potest, vel inter privatos. De cantionibus amatoriis vid. Friderici Lindenbrogii observationes in vers. 32. sc. vII. act. Iv. Adelph. Ter. pag. 618. col. I. H.

Capillvs non quemlibet pilum, sed capitis in primis, pro-

(1) *Canere quatuor vocibus*, Ciceroni est symphonia, vel symphoniace canere. Sed *canere receptui* est signum dare militibus tuba, aut tympano, ut recipiant se e proelio in castra.

Digitized by Google

prie significat; nam barbae capillus non est, atque est coma paulo longior, ut muliebris, (1) et virilis etiam, cum promittitur. *Crinis* est brevis, et innexus discretusque vittis. Unde dictus *ἀπὸ τοῦ κρίνειν*, a discretione, quod vittis discernatur, auctore Festo et Isidoro. Sed *coma* sunt capilli promissi cum cura compositi, et ad mulieres plerumque pertinet. Qui conam gestat, necesse habet, eam comere, ut comtus sit; nimiis tamen comtus dedecet viros. *Crinis* tamen interdum pro capillo ponitur, Flor. II. 15. 10; III. 3. 17. Tac. Ann. II. 39; Germ. XXXI. 1. Varro I. de Vita Populi Rom. Maiores natu capite aperto erant, *capillo* pexo, vittisque innexis *crinibus*. Tertull. de Virg. veland. Vertunt *capillum* et acu lasciviore *comam* sibi inferunt, *crinibus* a fronte divisis apertam professae mulierositatem. *Caesaries* naturali quadam pulchritudine sese commendat, et virorum fere est.

Capio (2) id, cuius dominium acquisivi; *Accipio* id, quod teneor restituere. *Illud* fit propria auctoritate, *hoc* ex voluntate alterius. Ulpianus ad Edictum 49. L. 71. D. de Verb. Sign. *Capere* cum effectu accipitur; *Accipere* vero, si quis non sic accipit, ut habeat. Ideoque non videtur quis *capere*, quod est restituturus. Id. L. 20. Ut legatarii ceterique, quidquid in testamento *acceperunt*, careant his, quae sibi relicta sunt. Paulus ad Edictum 1. L. v. D. de Damno inf. Ut missus est in possessionem, etiam eam per longi temporis spatium in suum dominium *capere* possit. *Illud* iuris est, *hoc* facti.

(1) Mulieres integunt capillos suos capillari. Viri quidem non satis capillati ementiuntur capillitium capillamento.

(2) *Capio*, approbante Valla, interdum habet reciprocum quemdam usum, ut in eodem sensu nunc uni et eidem actio, nunc passio attribuatur. Cepi voluptatem, et voluptas cepit me, idem significant. Fit autem ista reciprocatio in paucis active, ut in hoc exemplo habito; sed in nonnullis passive, ut cepi delectationem et captus sum delectatione. Quando vero capio significat passive delectari, fere non resolvitur per activum, ut captus sum, vel capior amore, dulcedine, specie tua, specie honorum, id est, delector. Non amor, vel dulcedo, me cepit. Quando autem non significatur delectatio quaedam, fere active utimur, non passive. Sic capio dolorem, cepi molestiam et dolorem dicitur. Item, Cepit me taedium, oblivio et odium; at non cepi odium.

Digitized by Google

CAPI interdum significat fraudari, interdum etiam propitiari. Ita enim Lucr. II. 665: Nec bene pro meritis *capitur* nec tangitur ira. *Decipi* vero ludificari, seu verbo factove capi. Deceptor enim aliquem cum decipit, agit eum in decipulam astuta deceptione. Unde *captus* semper sentit damnum, vel incommodum. Sic mente captus minime potest capere captiones captiosorum. *Deceptus* aliquando utilitatem. *Illi* dolus malus et fallacia tenditur. *Huic* adhibetur bonus dolus, et solertia, ut cum medici aegrotos, nutrices infantulos decipiunt et illudunt falsa quadam specie cibi potionisque. Lucr. I. 937. seqq. Sed velati pueris absinthia tetra medentes Cum dare conantur, prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore: Ut puerorum aetas improvida ludificetur Labrorum tenus, interea perpotet amarum Absinthi laticem, deceptaque non *capiatur*; Sed potius tali tactu recreata valescat. Hor. Od. II. 13: 37. Quin et Prometheus, et Pelopis parens, Dulci laborum decipitur sono, id est, obliviscitur laborum, et abducitur, ut non sentiat.

CAPITALIS POENA est, qua capite plectimur, seu quae caput vel naturale vel civile aufert. Sic capitalis hostis, vel capitale odium, qui vel quod caput, hoc est, vitae exitium, petit. *Poena sanguinis*, quae tantum caput naturale.

CAPITIVM pectoris erat tegumentum. Ab eo dicitur, quod *capit* pectus, id est, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit. Varro LL. IV: *Fasciae* erant, quibus humerorum castigabant superfluum et quasi luxuriantem habitum, eosque ὁμαλοὺς, et aequos reddebant, cum contra in pugilibus sint torosi. *Strophium* est fascia brevis, quo tumorem papillarum cohibebant. Catull. LXIV. 65: Non tereti *strophio* luctantes vincta papillas. Non. R.

CAPRVM ab *Hirco* distinguit Martialis Ep. III. 24: Dum iugulas *hircum*, factus es ipse *caper*. Gesnerus in Thes. T. I. p. 739. *Caper* mas *caprarum* proprie castratus. Interim saepe *caprum* pro *hirco* poni videas. Virg. Ecl. VII. 7: Vir gregis ipse *caper*. At non soli poëtae permutant, qui differentiae adeo studiosi non sunt, sed solutae quoque orationis scriptores. Columella VII. 6.: Caper, *cui sub maxillis binae verruculae collo dependent, optimus habetur. Est autem mensium septem*

Digitized by Google

satis habilis ad progenerandum: quoniam immodicus libidinis, dum adhuc uberibus alitur, matrem stupro supervenit. Est igitur *caper* generis nomen, quod etiam patrem gregis complectitur, neque excludit castratum, qui nec aliter dici potest, cum hircus sit integer.

CARBO exstinctus, *Pruna* ardens est.

CARCER quasi arcer, ab arcendo, masculini generis nisi singulariter non dicitur, in quo homines coërcentur; pluraliter vero *carceres*, unde currus aut quadrigae effunduntur aut emittuntur ad certamina et spectacula. *Carcer* coërcet delinquentes sub custodia carcerarii. Sed *carceres* serviunt cursoribus. Fl. Clarus. Virgil. tamen Aen. v. 145. in singulari etiam utitur: Ruuntque effusi *carcere* currus. Ovidius Heroid. xviiI. 166: Ut celer Eleo carcere missus equus. Quin etiam ita usurpat vel in prosa auctor ad Herennium IV. 3, ubi intra carcerem stare dicit.

CARCHESIVM et PATERA differunt. Et carchesium, inquit Macrobius Saturn. v. 21, poculum Graecis tantummodo notum. Meminit eius Pherecydes in libris historiarum, aitque, Iovem Alcumenae, pretium concubitus, carchesium aureum dedisse. Sed Plautus insuetum nomen reliquit, aitque in fabula Amphytruone pateram datam, quum longe utriusque poculi figura diversa sit. *Patera* enim, ut et ipsum nomen indicio est, patens ac planum est; *carchesium* vero procerum et circa mediam partem compressum mediocriter, ansatum, ansis a summo ad imum pertingentibus. Asclepiades autem carchesia a naturali re dicta existimat. Ait enim, navalis mali partem inferiorem pternam vocari, at circa mediam fere partem τράχηλον, summam autem partem carchesium appellari.

CARITAS est pretii, *Inopia* vero paucitatis. Potest enim annona copiosa, et tamen cara esse. Res carae venduntur care, faciuntque caritatem. H.

CARPENTVM aliud vehiculi genus est, quam *Pilentum*. Distinguit Livius v. 28: Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut *pilento* ad sacra ludosque *carpentis* festo profestoque uterentur. De utroque agit Schefferus de Re Veh. II. 17 et 25.

Digitized by Google

CARPTIM *dicere*, non est, ut multis placet, *breviter dicere*, etsi Cellarius quoque iis adsentitur ad Plin. HN. VI. 22. 2. Nam et Plinius carptim dicta opponit contextis VIII. 4. 7. et carptim dicentem VIII. 14. 16. iungenti. Nec prior Plinii locus, quem Cellarius interpretatur, vulgari errori proprior est, ut Cortio videtur ad Sallust. Cat. IV. 21. Nam et ibi carptim nihil aliud est, quam inter se non contexta, per partes, particulatim, singillatim. Multum igitur inter se differunt *carptim* et *breviter*. Nam *carptim* dicit, qui singula, quamvis verbose persequitur, qui partes aliquas a caeteris avulsas exponit; *breviter*, qui paucis attingit singula.

CASTIGO verbis, *Punio* supplicio. R.

CASTRVM in singulari est domus, muro, aut vallo, aut fossis munita. *Castra* in plurali est locus, ubi manet exercitus et sua fixit tentoria. *Castrum* seu *castellum*, praemunitur procestriis sub custodia castellani. Sed *castra* ponuntur in campo castrensi arte. H.

CASTVS est purus atque integer, et non modo a luxuria et amore illicito, sed etiam ab avaritia et sordibus alienus; *Pudicus* vero est, qui se continet a libidine et voluptatibus corporis; sicut *castitas* (1) est sanctimonia quaedam et integritas morum, a turpitudine et sordibus abhorens. Sed *castula* est vestis, qua membra caste (in balneo praesertim) custodienda velantur. *Pudicitia* (2) est continentia a libidine. Itaque plus est *castus* et *castitas*, quam *pudicus* et *pudicitia*. Cic. pro Flacco: Equitem romanum, *castissimum* hominem atque integerrimum. Virg. Georg. II. 524: Casta *pudicitiam* servat domus. Lactantius: Difficile est imponere frenos voluptati, eamque vagam et errantem *castitatis pudicitiaeque* limitibus includere.

(1) Castitas et pudicitia paria deputantur, cum sit pudicitia ab iniuria turpium libidinum libera, castitas, et ab his continens et remota: praeterea, et religiosa munditia, et puritas. Virg. Aen. lib. VII: Praeterea castis adolet dum altaria taedis. Atque ideo plus est pudicitia, quod par sit cum aliis ceteris castitas. Non. Castitas corporis, castimonia animi. R.

(2) Proprie idem est, ac ob turpitudinem erubescentia. Pudibundus enim, cum vel alios videat impudenter agere, illum sua pudicitia mox pudore suffundit. E contrario *impudens*, quia semel depuduit, tanta impudentia est, ut numquam pudefiat.

Digitized by Google

CATASTA et EQVVLEVS nonnullis synonyma sunt. Gesnerus in thes. voc. *catasta* ita: Est et catasta, machina ad torquendum parata, quae vulgo equuleus dicitur, aut eidem non dissimilis. Catasta equuleum genus poenae. Isidorus glossis: Catasta, lectus ferreus. Id. Sed contrarium tuetur Gallonius apud Magium de equuleo p. 361. f. Accipe Gallonii verba: Permiscuit Sigonius, confuditque equuleum cum *catasta*, nec non genere illo compedum, quo rei in carcere positi, iniectis ad quartum vel quintum foramen pedibus, ad iugem cruciatum sic detinebantur. Quam ob rem merito reprehendendus videtur. Siquidem catasta, ut ex his constat, quae habet Iac. Pamelius in notis ad ep. S. Cypriani martyris 33, locum vel maxime ac proprie significat eminentiorem, quem vulgo *paltum* dicimus, in quo vel de reis, vel de christianis martyribus sumebatur supplicium. Ad quam quidem significationem proxime accedit Cyprianus et Prudentius pariter perist. XIV. 466: Audite cuncti: longe clamo, ac praedico, emitto vocem de catasta celsior. Ad haec designat *catasta*, licet non ita proprie, machinam quamdam, longae magnaeque compedis formam habentem, qua servi detenti venum exponebantur. Praeterea non proprie significat etiam ipsamet torquendi instrumenta; quocirca Prudentius perist. 2. de Laurentio martyre sic cecinit: Postquam vapor diutius recoxit exustum latus, ultro et catasta, i. e. e crate ferrea, iudicem compellat affatu brevi: converte partem corporis, satis crematus iugiter. Idem peristeph. hymn. I. Verbera post vim crepantum, post *catastas* igneas. Quum igitur *catasta*, veluti pluribus in notis ad praedictam Cypriani epistolam demonstravit Pamelius, locum praecipue editiorem significaret, in quem cruciandi homines, ut illorum tormenta ab his, qui aderant, adspici possent, elevabantur; sequitur, confudisse Sigonium, in equulei definitione assignanda, ipsummet equuleum cum *catasta*. Cellarius ad Prud. perist. I. 66. *catastas* explicat machinas ad torquendum paratas, in quibus craticula, ut torqueri et simul amburi homines damnati possent.

CATERVA et *Cohors* peditum, *Turma* equitum, *Copiae* equitatus. R.

Digitized by Google

Cavere est sibi prospicere a periculo quocumque modo et ratione. *Vitare* est declinare corpore et effugere ea, quae nocitura videantur, ut solent gladiatores declinatione corporis, adversariorum petitiones vitare et excedere. *Cavemus* ante pericula, *effugimus* ipsis ex periculis. Idcirco nostrum calculum merito illis adiicimus, qui dicunt, *cavere* et *effugere* h. l. specialiora esse; *Evitare* vero (immo et simplex vitare) generale, et utrique inservire tempori. *Evitamus* enim incumbentia aeque ac praesentia. Goclen. Itaque generalius est *cavere*. Lucil. Satyr. xxvI: Quid tibi *vitandum* censes, quid *cavendum* maxime. Plaut. Sticho I. 2. 64. seq. Qui potest mulieres *vitare*, *vitet*; ut quotidie Pridie *caveat*, ne faciat quod se pigeat postridie. Cic. Verr. IIi. 15: Nam eum, qui palam est adversarius, facile *cavendo evitare* possis. Confunduntur nihilominus interdum, ut Plaut. in Curcul. II. 3. 19: Proinde se domi contineant, *vitent* infortunia. Petronius hunc in modum loquitur in Satyrico: Ponere iussit arma, et malo *cavere*. *Caveo* tibi, pro eo quod est, periculum, ut amicus, averto: *Caveo te*, pro, fugio ut hostem. R.

Caverna et Spelvnca differunt. *Caverna* est cavum terrae, vacuum atque obscurum. Cic. N. D. II. 25: Quod magna vis terrae cavernis contineatur caloris, eaque hieme sit densior. Id. ib. II. 60: E terrae cavernis ferrum elicere. Sed *spelunca* est rupes excavata. Virg. Aen. vI. 237: *Spelunca* alta fuit, vastoque immanis hiatu, Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris. Cic. Tusc. I. 36: Per *speluncas*, saxis structas asperis; v. Gesneri thes.

Cavpona primo dicta *copona* est taberna, in qua ad victum necessaria parantur, distrahunturque. Grammatici pro muliere ipsa, quae tabernae praeest, etiam poni tradunt, sicut copo, vel caupo, ipse tabernarius est; *taberna* vero est, in qua cibaria, vel etiam merces venduntur, ut *taberna cauponia*, vinaria, argentaria, purpuraria, et similes. Ita omnis *caupona* est *taberna*, sed non contra.

Cavsa et Res saepe iunguntur, quae ita differunt, ut totum et pars. Nam *res* totum negotium significat; *causa* vero negotii pars est, quae praecipue agitur, nihil enim fit sine *causa*. Sed *causam*, cuius causa litigatur, defendit causidicus

Digitized by Google

dum excusat, quem alter accusat; ut *res* est: Clodius occisus, rex Alexandrinus restituendus. *Causa*: Milo, eius necis auctor, Lentulus restitutionem regis ambiens. Cicero pro Caecin.: Multa, quae sunt in *re*, quia remota sunt a *causa*, praetermittam. Id. ad Lentul. Quid *res*, quid *causa*, quid tempus ferat; et ad Curionem: Nunc tibi totam *rem* atque *causam* commendo. Iurisconsulti haec vocabula plerumque indifferenter usurpant, et ob *causam*, ob *rem* datam promiscue dicunt, ut ex ipsorum responsis liquet in titulo de condictione *causa* data.

Cavsa (1) docet factum, *ratio*, quae hoc loco idem est, ac vis cogitandi causis innexa, solvit obscura. Corn. Fronto.

Cavsam appellant rem positam in disceptatione rerum, et controversia. *Quaestionem* autem rem positam in infinita dubitatione. Cic. Orat. II. *Causa* est, de qua agitur, *patrocinium* quod accommodatur, *oratio*, quae loquitur. Corn. Front. R.

Cavtio (2) significat nudam promissionem, quum verbis tantum aut chirographo, securitas creditori praestatur; *Satisdatio* fideiussoris idonei dationem; licet aliquando *cautio* accipiatur pro *satisdatione*, quando nimirum lex exigit *cautionem idoneam*, vel rectam; tunc enim fideiussoribus, aut pignoribus cavendum est, et *satisdationis* nomine nuda *cautio* intelligitur, si hoc contentus fuerit is, cui *satisdatio* debebatur, ut est in Libris Iurisconsultorum L. LIX. § ult. D. Mand. L. LXI. D. de Verb. Sign.

Cedere actiones est easdem transferre; L. f. in pr. C. de Iur. Dot. *Mandare* vero absque translatione committere, L. III. C. de Novat. Sic *actionem eximere* iudex dicitur ab Ulpiano, cum per dilationem eius effectum est, ut iam agi lege non possit. Id quod eodem modo dictum est, quo eximere diem,

(1) *Causa* specialius, *ratio* generalius. *Causa* ea est, quae nos impingit ad aliquid faciendum, *ratio* autem, qua utimur in faciendo. Serv. R.

(2) Quae alias active et passive sumitur, Ciceroni est prudentia atque diligentia. Inde *cautionem habere* apud eundem res dicitur, vel in qua *cautioni* relictus est locus, vel in qua multa cavenda sunt. Quae significatio, si quibusdam forte videatur passiva, equidem nihil repugnamus; activus tamen effectus est.

Digitized by Google

vel diem tollere, dicimus. Appellatur quoque actio exemta, cum desiit agi posse. Huic contrarium est actionem restituere. Actio autem iis restituitur, qui formulis ceciderunt, aut captiunculis forensibus circumscripti, aut inconsulta simplicitate lapsi sunt, aut culpa advocatorum, aut cognitorum iniuria, aut conniventia gratiosa aut sordida, aut alia demum culpa, in fraudem peremtae litis aut desertae, inciderunt.

Cedit dies debiti, quando pecunia debetur, licet nondum exigi possit. *Venit dies*, quando non tantum debetur, sed etiam peti et exigi potest. Goedd. ad L. ccxnI. de V. S.

Cedo (1) tibi idem est, ac do locum tibi, et habet in praeterito cessi, et in supino cessum; sed *caedo te* idem est, ac flagello et violenter vulnero, vel occido te, et habet in praeterito cecīdi, in supino caesum. H.

Cedere est de loco se movere; *Secedere* et *Discedere* est pristinum locum deserere, *Recedere* est locum occupatum dimittere, *Succedere* est locum ab alio relictum occupare, *Accedere* est appropinquare. R.

Celare est tegere et abscondere, seu, ne quid resciatur, curare. Celamus enim quod volumus occultum habere. Ter. Andr. I. 1. 105: Bene dissimulatum amorem et *celatum* indicans. *Caelare* (2) vero, insculpere. Virg. Aen. I. 640: *Caelataque* in auro Fortia facta patrum. Non.

Celare et Tacere distinguit Cicero Off. nI. 12: *Celamus* ergo proprii commodi caussa, non autem *tacemus*.

Celebrare et Recolere differunt inter se, Cic. de Or. I. 1: Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, *celebrandas*, interque nos *recolendas*. Strabaeus ad h. l. ita: *Celebrantur*, quando frequentantur, et saepius tractantur; *recoluntur* autem, quum mente repetuntur, ac iterum coluntur.

Cella est locus in aedibus secretus, ubi aliqua ad usum

(1) *Cedo* sibi poscit, et est immobile: *dat*, qui non finire facit datum. Corn. Front. R.

(2) Caelat caelator caelo, h. e. caelandi instrumento, quod alias caestrum dicitur, varias caelaturas, etiam caelata pocula.

Digitized by Google

familiae reconduntur atque adservantur. In templis vero dicuntur *cellae* partes illae, in quibus veteres Deorum simulacra, christiani altaria locare consueverunt, vel Deo vel cuipiam ex beatis caelitibus dicata. Italice: *le cappelle di una chiesa.* Itaque *cella* differt a *sacello* vel *sacrario*, quod est Italis *un oratorio*, *una chiesuola*, tamquam pars a toto. Cic. Senect. XVI: Semper boni adsiduique domini referta est *cella* vinaria. Cic. Verr. IV. 28: Cum suo tempore (candelabrum) in *cella* Iovis optimi maximi poneretur. Th. Vall.

Cellarivm est paucorum dierum; unde et in cella dicitur importatum frumentum. *Penus* vero longi temporis; Serv. Quicquid enim longae usionis gratia reconditur, ex eo quod non in promptu est, sed intus et penitus habetur, dicitur *Penus*. Conf. Perotti Cornucop. Epigr. I. 72.

Censio, Recensio, Recognitio equitum; *census* autem populi dicebatur lustratio, uti senatorum lectio, recitatio senatus. Ita distinguere docet Poeschelius in not. ad Polyb. de Milit. Rom. p. 24. Festus: Censionem facere dicebatur censor, quum mulctam equiti irrogabat. Sed Varro de LL. IV. 14: Censor, ad cuius censionem, id est, arbitrium censeretur populus. Cel. Kappio in diss. de annua equit. transvect. *census*, *censura*, *censio*, *probatio*, *cognitio*, *recognitioque* equitum sunt *ἰσοδύναμα*, ita tamen, ut ab hac probatione differat transvectio, quippe probatio viritim, transvectio tributim facta est, teste Livio, II. 42.

Censor est, qui censuram gerit. *Censet* enim facultates civium iusta censione ad colligendum publicum censum. *Censorius* vero, qui *censor* fuit. *Hic* tempus praeteritum respicit, *ille* praesenti inservit. *Censere* nunc significat putare, nunc suadere, nunc decernere. *Censio* hastaria dicebatur, dum militi mulctae nomine ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret. *Censui* agri a censendo proprie appellantur, qui et emi, et venire iure civili possunt. *Censores* dicti, quod rem suam quisque tanti aestimare solitus sit, quantum illi censuerint. Fest. R. H.

Cernere hereditatem frequentissime et solemniter apud Ictos est decretum suum adeundae haereditatis verbis declarare, ut iam non deliberare, statuere significet; sed con-

Digitized by Google

silium suum adeundae haereditatis verbis sollemnibus, actu legitimo declarare. Unde *crevisse* saepe notat haereditatem adire; v. Gesnerum thes. v. *cerno*. Aliud tamen est *cernere haereditatem*, aliud *pro haerede gerere;* Ulpianus tit. XXIII: Nota veterem differentiam cernendi, et pro haerede gerendi. Qui cernebat, excludebat inferiorem, qui pro haerede gerebat, in partem admittebat substitutum.

CERNERE plus est, quam *Videre*. Nam *Cernere* est formas atque imagines rerum visu internoscere seu discriminare. Proprie vero est evidenter separare, et in specie inutilia a frumentis separare. Sed si ad animum conferatur, animadvertere atque attendere denotat. *Videre* est radios oculorum in res ipsas emittere, vel aciem oculorum aliquo intendere. Plin. HN. XI. 54: Animo autem *videmus*, animo *cernimus*: oculi, ceu vasa quaedam, visibilem eius partem accipiunt atque transmittunt. Gell. v. 16: De *videndi* ratione, deque *cernendi* natura diversas esse opiniones philosophorum animadvertimus. Cic. Tusc. I. 20: Ne nunc quidem oculis *cernimus* ea quae *videmus*. Usus tamen haec confundit, et promiscue usurpantur.

CERTATIO est velitatio atque congressio levis, et plerumque ex provocatione, ut certationes Xysticorum apud Svet. Aug. XLV. *Certamen* vero est conflictus inter duos pluresve, vel contentio gravis et seria. Ter. Adelph. II. 2. 3. seq. Nunquam vidi iniquius *certationem* comparatam, quam haec hodie inter nos fuit. Ubi Donatus haec ita distinguit: *Certamen* est res ipsa, de qua certatur, velut uter columbam feriat sagitta, uter prior decurrat ad metas. *Certatio* est ipse actus contentioque certantium. *Certatio* ex sententia Cornel. Frontonis est administrantium, *certamen* operis. *Conflictatio* est tactus corporum invicem et collisio. Donat. R.

CERTE affirmat, *certo*, *certum* non dubitat. R.

CERTVM recipit praepositionem, et fit incertum, certumque vel pondus, vel rei pretium. Sed *certus homo* ut plurimum passive nuncupatur, estque *homo* consulto et necessario missus, vel cui recte tutoque aliquid committere tradereque possumus, ut in literis dandis negotioque imponendo. Et hoc in sensu utitur Virg. Aen. I. 576. seq. Equidem per littora

Digitized by Google

certos Dimittam, et Libyae lustrare extrema iubebo. Vel, *certus homo*, est homo ita notus, ut nominatim possit designari. *Verum* opponitur falso; sic verus amicus demonstrat veritatem amicitiae vero amore, estque verax, cogitat et loquitur de amico veraciter. Corn. Fronto.

CERVIX cum numero singulari dicitur, collum, praesertim vero posteriorem eius partem, in qua sunt nervi, significat; sed *iugulus* anterior pars colli est, unde halitus exit (1); si plurali, superbiam ostendimus, ut Cic. Verr. VII. 42: Frange cervices. Serv.

CESSAT h. e. nihil agit otiosus et desidiosus; *Requiescit* fessus. *Hoc* in bonam; *illud* vero in malam partem accipitur. Donatus.

CESTVS sine diphthongo est balteus Veneris: in specie vero notat acu pictum cingulum, qualia olim virgines gestabant. *Caestus* cum diphthongo est genus clavae, pilas plumbeas, loris bubulis appensas habens. Et hoc digladiabantur veteres quondam. Ita enim Virg. Georg. III. 19. seq. Cuncta mihi, Alpheum linquens, lucosque Molorchi, Cursibus et crudo decernet Graecia *caestu*. Servius dicit, posteriorem hanc vocem esse singularis numeri tantum; priorem autem etiam pluralem habere. H. (2).

(1) Contradicit Dormeierus de vitioso Cic. imitatore. Legerat Popma, inquit, apud Ciceronem cervices frangere, quod est, superbiam alicuius infringere, atque his lectis constituit, vocabulo cervicis in plurali superbiam significari, in singulari collum. Eumdem errorem Servius erravit ad lib. II. Aen. 707. Secutus itaque est Popma Servium, sed errantem, nam veteres pluralem tantum habuerunt utroque significatu adhibitum, et primus Hortensius, Varrone teste, singularem addidit, quem recentiore aetate sive argenteo saeculo cum plurali promiscue posuerunt. Enimvero diu ante Hortensium usus est singulari Pacuvius, quamquam differentia notata omnino neglecta sit; vid. Gesnerus v. *cervix*.

(2) Stoeberus in animadv. ad Feithii antiq. Homer. p. 75. hunc in modum: Si pro ipso loco hanc vocem accipere velis, tutius foret legere *cestus*, quod a graeco κεστὸν cingulum deducit Scaliger. de Re Poët. p. 34.; sin minus, et instrumentum pugilum, quo quis caeditur, intelligas, legendum utiquae *caestus*, et latina tum ipsi origo est: hoc vero discrimen non semper obtinet, v. Festus h. v. et Rigaltius ad Onosandri stratag. p. 31. Gesnerus in thes. v. *caestus* verba Rigaltii prolixiora exhibet, illisque adsentitur, qui eiusdem originis et significationis putant cestum Veneris, et caestus pugilum.

Digitized by Google

CHARTA est materia lintea, expolita ad usum scribendi, seu membrana scriptoria ex quacunque materia. *Papyrus* planta aegyptiaca, seu arundo ad ripam Nili crescere solita, unde charta olim praeparabatur, ut hodie ex panniculis lineis, cannabinisque contritis et maceratis. *Membrana* vero est tenuior animalium pellis, quae derasis pilis, chartae usum praestat. Lucan. IV. 136: Conseritur bibula Memphitis cymba *papyro* (1) Ulp. ad Sabin. 24: Librorum appellatione continentur volumina, sive in *charta*, sive in *membrana* sint, sive in quavis alia materia. Et paulo post: *chartis* legatis neque *papyrum* ad *chartas* paratum, neque *chartae* nondum perfectae continebuntur. Hodie tamen chartam vulgo vocamus papyrum.

CHILONES dicuntur homines labiis crassioribus, seu qui labra prominentia habent, et ob id Labeones aut Labieni, a nostris dici possunt a graeco Χείλος. *Cilones* autem, quorum capita oblonga et angusta sunt, vel quibus frons in medio eminet, ac dextra sinistraque velut recisa videtur, quos Graeci interpretantur προκεφάλους. Unde Iunius Cilo nominatur a Tacito Annal. XII. 21, et Fabius Cilo ab Ulp. in L. de Officio Praefecti urbis. Declamator in Sallust. VI, pro hominibus nequam improbisque accepit: Quicquid, inquiens, impudicorum, *cilonum* (2), parricidarum, sacrilegorum, debitorum in tota urbe fuit.

CHIROGRAPHVS est privata scriptura, manu cuiusque subscripta, seu scripta manu propria; *Syngraphum* (3), quod si-

(1) Papyrus h. l. (et quidem ex Farnab. in notis marginalib. ad hunc loc.) est frutex palustris, unde Aegyptii navigia contexunt, sicuti ex libro eius vela, tegetes, funes, vestes et similia.

(2) Hanc vocem duplici *LL* h. l. rectius scribendam esse, Petr. Crinitus de Hon. Discipl. lib. VII. c 8. diligenter observavit, quando scribit, Ciceronem, quum Crispum Sallustium in gregem cillonum, sacrilegorum atque impudicorum connumerasset, nihil aliud intellexisse, quam cinaedum hominem ac turpiter ceventem, h. e. posteriora moventem, canum marium prurientium instar. Cillere enim apud veteres motitare atque agitare erat. Unde cillones dicti qui pudore vendito ceventes se effoeminant. Ex quo apparet, locum hunc nequaquam huc commode trahendum esse.

(3) In syngraphis enim contra finem veritatis pactio venit, et

Digitized by Google

mul plures subscripserunt. Haec duo vocabula parum inter se differre, Marius Nizolius, allatis quibusdam ex operibus Ciceronianis exemplis, omnino prudens comprobat. In *illo* tantum, quae gesta sunt, continentur. In *hoc* etiam pactiones veniunt, ut in elegantissimo illo syngrapho apud Plaut. Asin. I. 3. 77. seqq. inter adolescentem, amicam et lenam plurimae leges dictae in viginti minarum donatione referuntur. Svet. in Iul. XXIII: Cuius pacti non dubitavit a quibusdam iusiurandum, a quibusdam *syngraphum* exigere. Id. Aug. LXIV: Nihil aeque elaboravit, quam ut imitarentur *chirographum* suum.

CIBI ACVTI idem paene sunt, qui et *acres* dicuntur. Differunt tamen aliquid. *Acres* enim sunt vehementiores, *acuti* mitiores, ut acetaria, salsamenta et condimenta quaedam; Plinius HN. VII. 5: Ut enim, si coenam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque miscerem, ut obtusus illis et obl[illegible]tus stomachus his excitaretur. V. Gesneri thes. voce *acutus*.

CIBVS est esca qualiscumque, seu dicitur de quocumque alimonio delicato aut vili. Sic delicati cibi variaque cibaria serviunt cibatui divitum; pauperes cibantur cibario pane, dummodo suppetat. *Victus*, de tenui et arido (1). Et *cibus* est esca, quae ore manducatur; sed *victus* nomine etiam potus continetur. Gell. v. 6: Quoniam *cibus victusque* antiquissimus querceus capi solitus sit. Iurisconsulti hoc amplius sumentes, *victus* appellatione intelligunt omnia, quae esui, potui, cultuique corporis, quaeque ad vivendum homini necessaria sunt, ut vestimenta, stramenta et caetera, quibus tegendi curandive corporis nostri causa utimur, ut auctor est Ulpianus. Sed alii auctores victum et vestitum separant. Cic. Quint. XV: *Victus vestitusque* necessarius sub praecone subiectus est.

non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria hominum voluntate. More institutoque Graecorum, et ceterae tabulae ab una parte servari solent; syngraphae signatae utriusque manu, utrique parti servandae traduntur. Paedian. R.

(1) Cibus partis, victus totius et sine obsonio nomen est; nam et potum complectitur. Victus aridus est, qui sine ullo obsonio est. Obsonium dicitur stipendium, vel quidquid cibo praeter panem et vinum adiicitur. R.

Digitized by Google

Cidaris, qua reges orientis caput ornabant et alias *tiara* vocatur, diversa est a *diademate*, licet cum eo interdum coniungatur. Philo de vita Mosis III: κιδάρει οἱ τῶν ἐώων βασιλεῖς ἀντὶ διαδέματος εἰώθασι χρέεσθαι. Reges orientis cidari pro *diademate* uti solent. Quam cidarim Armenii, Persae *tiaram* vocabant, nec cidaris, nisi nomine a *tiara* distincta fuit. Sed errant Budaeus in pand. et Pancirollus lib. I. var. c. 9. censentes, *cidarim* idem fuisse, quod *diadema*. Huic opinioni refutandae vel unicus sufficit Curtii locus III. 3. 19: Cidarim Persae regium capitis vocabant insigne. Hoc caerulea fascia, albo distincta, id ipsum est diadema, circuibat. V. Pirisc. ad Curtii l. c. Solerium de pileo p. 191. apud quem Cyrum cum diademate circa *tiaram* seu cidarim conspicuus est, et Gesneri thes. v. *Cidaris*.

Cingvlvm inter et *Subligar* differentiam latere puto, ait Pitiscus lex antiq. R. T. III. p. 432. ut videlicet zona sit *cingulum* quod ad prehensiones ponitur, *subligar* ad velanda turpia. Martialis III. 87. 3: Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris: Si pudor est, transfer subligar in faciem.

Cilicia et Centones non sunt eadem. Solinus in polyhist. Ipsa autem tentoria cilicia sunt; ita enim recte legitur, iudice Salmasio. Nam sequitur: ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta. Asconius cilicia texta de pilis esse in usum castrorum atque nautarum interpretatur, quod ex Virgilio habet; ut Avienus in ora maritima: Hirtae heic capellae et multis incolis caper, dumosa semper intererrans cespitum castrorum in usum, et nauticis velamina productiores et graves setas alunt. Virgiliana haec sunt: Setasque comantes Castrorum in morem, et miseris velamina nautis. Sed quem in usum castrorum cilicia? Servius dicit, quia de ciliciis poliuntur loricae, et teguntur tabulata turrium, ne iactis facibus ignis possit adhaerere. Confundit cilicia cum centonibus magno errore. Nec enim de pilis caprarum coactilia aut centones fieri possunt, nec fiebant. Polite verbum est fullonum. Ex lana coactili et centonibus tunicas ac tegmenta sibi parabant milites ad tela vitanda. Centonibus quoque non ciliciis tegebantur tabulata turrium, et puppium turres, ut igni resisterent. Nam centones ex lana erant coacta, qui non

Digitized by Google

solum ferro, sed etiam igni resistebant. Plin. HN. IV. 73: Lanae et per se coactae vestem faciunt, et si addatur acetum, etiam ferro resistunt: immo vero etiam ignibus. At cilicia laxe suspensa obtendebantur ad telorum iactum. Aperte Sisenna ciliciorum et centonum usum separat his verbis, quae ex libr. IV. hist. eius apud Nonium; Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspenso cilicia obtenduntur. Omnino legendum, perpetua ac laxe suspensa. Plura v. apud Salmasium exerc. Plin. p. 347. a.

CINCTVS est virorum, *cingulum* vero mulieribus attributum. *Cingulo* nova nupta praecingebatur, quod vir in lecto solvebat. Fest. R.

CIRCITER (1) ad numerum refertur, *circum* ad locum, ideoque describitur, quod sit nota situs rei, rem aliam undique ambientis. *Circa* ad tempus, quod est. Ergo dicimus, circumiisse muros, non circuisse. Fl. Clarus.

CIRCVMPEDES sunt servi a pedibus, seu ipsa obsequia servorum, *antipedes* amicorum. Agr.

CIRCVMSPICIMVS praesentia, *prospicimus* futura. Est enim *prospicere* proprie aliquid eminus aspicere, in specie vero futurum aliquid praevidere. Donatus.

CIRCVMSTARE est circumdare; *Circumsistere* vero est undique aggredi, terrendi nonnumquam alia causa. H.

CIRCVS est planities rotunda, ut circuitus. Praesertim vero notat arcam illam rotundam, quae Romae quondam exhibendis ludis curulibus erat parata. *Globus* soliditas undique versum rotunda, ut est *sphaera* et staminum *glomer*. Cic. Nat. Deor. II. 18: Cumque duae formae praestantissimae sint, ex solidis *globus* (sic enim σφαῖραν interpretari placet), ex planis, aut *circus* aut orbis. Non Marcell.

CIVES, qui erant ante coloniam deductam; *coloni*, qui deducti sunt. R.

CIVITAS, est populi sive civium multitudo, iure et legibus sociata et unum in locum congregata. *Urbs* sunt ipsa moenia

(1) *Circiter* non solum ad numerum, sed etiam ad locum atque tempus commode referri posse, grammatici nonnulli exemplis demonstrarunt.

Digitized by Google

et aedificia. Cic. Offic. II. Id enim est proprium, ut supra dixi, *civitatis* atque *urbis*, ut sit libera, et non solicita sua rei cuiusque custodia. Id. De Rep. I. 26: Quam cum locis manuque sepsissent, eiusmodi coniunctionem tectorum oppidum, vel *urbem* (1) appellarunt, delubris distinctam, spatiisque communibus. Omnis ergo populus, qui est talis coetus multitudinis, qualem exposui, *civitas* est, omnisque *civitas* est constitutio populi. Id. ad Dolabellam: Liberasti igitur et *urbem* periculo et *civitatem* metu. Porro pro Sulla: In qua *civitate* res tantas gesserim, memini, et in qua *urbe*, intelligo. Et in Philipp. Cum ne vestigium quidem Asiae, *civitatum* atque *urbium* relinquitur. Sed haec frequentissime confundunt optimi scriptores, quorum testimonia nihil attinet heic adscribere.

CLADES, quia clamatur, *vitium*, si tonat tantum, *calamitas* si tonat et grandinat simul et etiam fulminat. *Clades* proprie arborum, *calamitas* segetis et agrorum est. *Clades* a *calamitate* differt, ut efficiens ab effecto.

CLAMOR et CONVICIVM non sunt synonima. Cicero Verr. v. 11: Erant autem convivia non silentio illo praetorum atque imperatorum, neque eo pudore, quo in magistratuum conviviis versari solet, sed cum maximo *clamore* atque *convicio*. Convicium a multis vocibus dictum est, quod Ulpiano videbatur, et ex orat. pro Sextio quodam insigni loco cap. LV. intelligitur. Hotomannus sic millies convicium apud veteres. Phaedrus Fab. I. 6: *Clamorem* ranae sustulere ad sidera: *convicio* permotus quaerit Iuppiter. Ovidius de ranis: raucae

(1) Accuratiori enim criticorum censura inter urbem et oppidum, quod in auctorum classicorum scriptis pro aequipollentibus ea usurpantur, nil pene esse discriminis, praeceptor noster ὁ πάνυ, M. Iacob. Thomasius, philosophus celeberrimus § XVII. Disput. Politicae de civitate A. C. MDCLXI. d. XIX. Ian. Lips. publ. habitae, optume nos docet, apposite addendo, urbem et oppidum vulgo differre, ut maius et minus, ita ut *urbium* nomine eae saltem veniant, quae sunt maiores et ampliores; *oppidorum* vero minora atque obscuriora illa. Sic multi quoque *urbis* nomen uni Romae, sicuti Ἄστυ Athenis, et Πόλις Alexandriae, olim tribuebant, cetera oppidorum nomine appellantes. Conf. Ioan. Limnaei lib. VII. de I. P. Imp. Rom. c. 1. n. 1. seqq.

Digitized by Google

convicia linguae. Bene monet. cel. Gesnerus in thes. convicium esse clamorem plurium, aut etiam unius repetitum clamorem, quasi esset convocium. Festus et Nonius vocem a vicis, Valla a *vitio* vel a *vitando* derivat. Esse convicium repetitum clamorem unius, patet ex Quinctiliani epistola ad Tryphonem: Efflagitasti quotidiano *convicio*.

Clara vox differt ab *alta voce*. Vox clara est, quae ab omnibus auditur; Liv. XLII. 25: Qua voce eum accensum restitisse atque voce clara denunciasse sibi, ut triduo regni sui decederent finibus. Svet. Vit. XIV: Quosdam et de plebe ob id ipsum, quod venetae factioni clare maledixerant, interemit. Aliud est alta vox, id est, superba; v. Westerhovius ad Ter. Andr. IV. 4. 15. Enimvero altam vocem etiam claram significare, docent loci Senecae et Catulli. Sen. Troad. 192. Haec fatus alta voce diem dimisit. Catull. XLII. 18: Conclamate iterum altiore voce, id est, quae magis exaudiri possit. Sed responderi potest, poëtas discrimina vocum raro curare.

Claritas tam luminis, quam perspicuitatis et eruditionis. *Claritudo* vero generis. *Prius* splendoris, ideoque pro splendore, amplitudine, nominisque celebritate, ut et altitudine fortunae atque gloriae apud Ciceronem passim usurpatur; *posterius* nobilitatis est. Fronto. Sed haec differentia mere arbitraria est.

Clava necat, *clavus* iungit, servat ostia *clavis*. R.

Clavis et Gvbernacvlvm ita differunt, ut Servius putat, quod *clavus* sit fustis *gubernaculi*, hoc est lignum oblongum, quo flectit ac reflectit *gubernator* navem. Ansa appellatur a Vitruvio. R.

Clemens est circa recte agentes, *placidus* etiam circa delinquentes, *clemens* animo, *placidus* vultu. *Clemens*, quod parcere pronus, nullum laedit. *Placidus* arridet omnibus; agit enim placide, suaque placiditate alios, etiam irritatos, facile placat, si sunt placabiles. Sed *implacidus*, qui nullo placamine ad placabilitatem promovetur, ut se placatum ostendat, videat, annon implacabilem Deum quoque sit experturus. Donatus. Rarissime haec differentia insuper habetur.

Clemens est princeps active; *Gratiosus* subditus passive. R.

Clibanvs est furnus aeneus portatilis, seu parvus furnus

Digitized by Google

et mobilis, ferreus vel testaceus, in quo panis olim, nunc placentae, farcimina, et alia dulciaria decoquuntur. *Furnus* est magnus et immobilis, constatque ex lapide et calce; alias describitur, quasi sit pistoris fornax, in qua panes furnaria arte hodie coquuntur. Unde clibanites panis alius a furnaceo apud Athenaeum nI. Sic Plin. HN. xix. 3 : Cortices quoque decussi lini *clibanis* et *furnis* praebent usum. *Fornax* fere hypocaustorum et metallorum liquefaciendorum est.

Clypevs significat militare scutum. *Clypeum* est expressa corporis effigies humerorum tenus ex auro, argento, lapide, ecc. sicut imago e cera, ita dictum, quod sit rotundum (1) instar militaris clypei. Trebellius Pollio in Claudio, iI: Illi *clypeus* aureus, vel ut grammatici loquuntur, *clypeum* aureum senatus totius iudicio in romana curia collocatum est. Sed poëtae et historici indistincto genere utuntur in utraque significatione, ut de effigie dixit Svet. Calig. xvI: Inter reliquos honores decretus est ei *clypeus* aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent. Id. Domit. xxviiI: Scalas etiam inferri, ut *clypeos* et imagines eius coram detrahi, et ibidem solo adfligi iuberet. Liv. xl. 54 : *Clypeaque* de columnis et signa militaria affixa demsit. De scuto Virg. Aen. iI. 734: Ardentes *clypeos* atque aera micantia cerno. Id. ix. 709: Dat tellus gemitum, et *clypeum* (2) superintonat ingens. Quare Plinius in secundo librorum, quos dubii sermonis inscripsit, haec non tam genere, quam scriptura et etymologia differre censuit, esseque clypeum (3) a clepere, quia corpus celet; *clupeum* vero imaginem a cluendo, quod posterius etymon rursus valde improbavit (studio veritatis, aut memoriae lapsu, a se ipso dissentiens)

(1) Sic ob rotunditatem quoque antiqui clypeum corium bovis appellarunt, in quo foedus Gabiorum cum Romanis fuerat descriptum. Vid. Sext. Pompeii Celsi lib. iII. de Verb. Vet. signif.

(2) Vocabulum hocce in genere neutro h. l. esse positum, testatur Erythraeus in Ind. Virgil. fol. 41. fac. 2. col. b.

(3) *Clypeus* non dicitur παρὰ τὸ κλέπτειν, (quod raro in bonam partem accipitur) h. e. a celando, vel abscondendo, sed potius παρὰ τὸ γλύφειν, h. e. a sculpendo, quod in eo imago et facies cuiusque redderetur. Conf. Perotti Cornucop. Epigr. xxiiI. col. 763. lin. 15. seqq.

Digitized by Google

HN. XXXV. 4: *Scutis* enim, inquit, qualibus apud Troiam pugnatum est, continebantur *imagines*. Unde et nomen habuere *clupeorum*, non, ut perversa grammaticorum subtilitas voluit, a cluendo. Alii dicunt, *clupeum ἀσπίδα*, *clypeum* ornamentum dici. R.

CLYPEVS est rotundus, cavus, et totum protegit pectus. *Scutum*, proprie *clypeum* coriaceum notans, est oblongum, quadratum, et totum munit corpus. *Illum* Graeci vocant *ἀσπίδα*, *Hoc θυρεὸν*. et quidem hanc ob causam, quod forium similitudinem referat, quae longiores, quam latiores esse solent. Virg. Aen. III. 637: Argolici *clypei*, aut Phoebeae lampadis instar. Id. VIII. 662: *Scutis* protecti (1) corpora longis. Liv. VIII. 8: *Clypeis* antea Romani usi sunt, deinde, postquam facti sunt stipendiarii, *scuta* pro *clypeis* fecere. Serv. ad Aen. IX. ait, *clypeos* esse peditum, *scuta* equitum, cum tamen Livius scribat, militibus primae classis, id est, praestantioribus, arma imperata, galea, *clypeus*, ocreae, lorica, omnia ex aere; secundae vero classis arma imperata, *scutum* pro *clypeo*, et praeter loricam omnia eadem. Et Cic. Philipp. II. 42: Cum gladiis agmine quadrato sequuntur *scutati* milites. Unde intelligitur, *scuta* tam peditum, quam equitum fuisse, sed *illorum* longiora, *horum* vero breviora.

COARGVERE est coërcere et compensare: *Arguere* ostendere et patefacere. Virg. Aen. IV. 13: Degeneres animos timor arguit. Unde argumenta dicuntur, quae causam causae ostendunt. Agr. R.

CODICES et TABVLAE quantopere ab *adversariis* differant, Cicero docet pro Rosc. Com. II: *Quod si eamdem vim, diligentiam auctoritatemque habent* adversaria, *quam* tabulae; *quid attinet* codicem *instituere? conscribere? ordinem conservare? memoriae tradere litterarum vetustatem?* Et paullo post: *Quid est, quod negligenter scribamus* adversaria? *quid est, quod diligenter conficiamus* tabulas? *qua de causa? quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae; haec delentur statim, illae servantur*

(1) Protecti, et non porrecti, (quod editores auctoris nostri nequaquam observarunt) rectissime legitur in emendatissimis huius poëtae editionibus, Frelloniano-Lugdunensi imprimis, et in illa Erythraei, quae supra merito est laudata.

Digitized by Google

sancte; haec parvi temporis memoriam, illae perpetuae existimationis fidem, et religionem amplectuntur; haec sunt delecta, illae in ordinem confectae. Itaque adversaria *in iudicium protulit nemo; codicem protulit, tabulas recitavit. Adversaria* itaque dicuntur tabulae ad quotidianum usum paratae, in quibus cursim et negligenter ea scribimus, quae postea curatius in certas et perpetuo mansuras tabulas ordine ac disposite perscribimus, deductaque ex eo adpellatio videtur, quod ibi statui soleant, ubi nobis adsidue observantur: quasi adversus nos posita, inde etiam adversarii dicti; quasi in quos perpetuo incurramus, vel qui se nobis adsidue opponant; hoc enim proprie adversarium significat. Haec ex Hotomanno notat Verburgius.

Codicilli voce nihil Romani denotabant aliud, quam scripturam quamdam ad alios missam. Hinc saepe *codicillos* pro *epistolis* ponit Cicero epist. ad Fam. iv. 13; vi. 18. ad Quint. Fratr. ii. 14. Praecipue tamen id nomen tribuebatur epistolis ad praesentes missis, italice: *viglietti*. Unde Seneca ep. lv: Video te, mi Lucili, quum maxime audio, adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non *epistolas* sed *codicillos* tibi scribere. Unde recte colligas codicillos, quos deinde imperatores tamquam ultimae voluntatis genus adprobarunt, nihil aliud fuisse quam epistolas scriptas ad haeredes de eo, quod post mortem suam scribentes ab haeredibus fieri vellent. Heineccius lib. ii. A. R. p. 543.

Coena est vespertinum epulum, a κοινὴ, quod idem, ac communis, dictum, quia post diurnas operas tota familia congregata simul pascitur. *Prandium* est cibus meridianus, quem omnes milites mox pugnaturi apud veteres prae caeteris sumere solebant. Inde est illud ducum alloquium: prandeamus tamquam ad inferos coenaturi. Leg. Stukii Lib. I. Antiqu. convival. c. 8. fol. 20. fac. a. Et hanc ob causam prandium nonnulli dictum esse volunt, quod iterum ad opus essent illico parati, sicuti docet Iul. Caes. Scaliger Poet. l. 5. *Prandium* erat cibus levis et simplex; *Coena* vero largior atque copiosior. Vid. Fulv. Ursini Appendix ad Ciaconii Lib. de Triclinio p. 76. Athenaeus Lib. I. Deipnos. refert ex auctoritate Philemonis, veteres non solum usos fuisse coena

Digitized by Google

atque prandio, sed etiam merenda ac ientaculo, ita, ut ientaculum, quod Festus idem cum prandio fuisse et aliter *silatum* nuncupatum esse asseverat, fuerit cibi degustatio matutina. Deinde sequutum sit prandium, quod mense februario sumebatur hora fere septima, ut patet ex Svet. Cal. XLVIII, et erat semper brevissimum. Post prandium ponebatur merenda, quam Isidorus cibum fuisse dicit, qui, declinante die, sumeretur, quasi esset post meridiem edenda, et proxima coenae. Unde et antecoenium quibusdam vocabatur. Hanc consequebatur coena (1), cui hora attributa erat aestate nona, hieme vero decima, uti ex Cic. epist. Fam. IX. 26. ad Paetum facile intelligitur, in qua ita scriptum est: Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Conf. Mart. Epigr. IV. 8. H.

COENACVLVM (2) est locus in superiore parte aedium, in quo Romani olim cibum sumebant, et homines pauperiores atque inquilini etiam habitabant. Nos Subalpini appellamus *le soffitte*. Antiqui enim palam et in commune vescebantur, nec ulli convivium singulare erat, ne in occulto deliciae luxuriam gignerent. Leg. Stukii II. A. C. 14. fol. 197. fac. b. Ideoque Isidorus coenaculum sentit dictum a communione. Unde et coenobium, sc. congregatio, aliis est. *Coenatio* seu coenatiuncula, est locus ad coenandum in imo domus, laute et magnifice instructus (3). Plaut. Amph. III. 1. 3: In superiore qui habito *coenaculo*. Sen. Ep. XC: Qui versatilia *coenationum*

(1) Coena apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium. Vesperna, quam nunc coenam appellamus. Fest. R.

(2) *Coenacula* dicuntur, ad quae scalis ascenditur. Fest. R.

(3) Demum vocabulo a Graecis mutuato appellabatur triclinium quoque. Ita enim Cic. Attic. ep. III. 50: Cum secundis saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa militibus, ut vix triclinium, ubi coenaturus ipse Caesar esset, vacaret. Quo magis est mirandum, Servium eruditum quippe grammaticum, in commentar. ad Virg. Aen. I. 698, temere negare, triclinium ipsum coenationem significare. Ita enim scribit: Antiqui stibadia (a similitudine Sigmae litterae graecae, quae hac forma scribebatur C, Sigmae appellata) non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur. Unde triclinium sterni dicitur. Sic et Cicero sterni triclinia, et in foro sterni iubebat. Unde apparet, errare eos, qui triclinium [illegible] ipsam basilicam, vel coenationem. Haec ille.

Digitized by Google

laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, et toties tecta, quoties fercula mutentur. Svet. Ner. XXXI: *Coenationes* laqueatae tabulis eburneis versatilibus, ut flores; fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur.

COGITARE ex mente Nonii Marcelli est dubitare; *Deliberare* vero est confirmare. Unde Turpilius: Quaeso cogita ac delibera (1). It. Certum ac deliberatum est, me illis obsequi.

COGNITOR est, qui praesentis causam novit, et eius defensionem suscipit. *Procurator*, qui absentis nomine auctor est, vel agit. Deinde *cognitor*, et quidem ex Asconii mente, est, qui causam alicuius novit familiariter, et praesentem defendit; *Procurator* autem, qui absentem. Advocatus praesentiam suam commodat in iudicio, et ius suggerit. Patronus verba facit. Cicero Divinat. in Verr. IV: Me simili defensorem calamitatum suarum, me ultorem iniuriarum, me *cognitorem* iuris sui, me actorem causae tutius esse voluerunt. Hor. Sat. II. 5. 38. (2): Sis cognitor ipse. Licet aliquando *cognitor*

(1) Sed cogitare scelus minus est, quam suscipere scelus. Hoc est facti atque operis; illud vero animi. *Bechmannus* de O. L.L. p. 7. reiicit, quod Cicero et alii utrumque longe aliter capiant. Gesnerus thes. v. *cogito*. Interdum sane, qui *cogitare* se dicit, nondum constitutum sibi certi quidquam fatetur. Sed non est perpetua haec differentia. Nam *deliberare* saepe dicitur qui consilium petit, et *cogitat* de profectione, qui proficisci iam ante constituit.

(2) *Cognitor* secundum Asconium divinat. 4. est, si praesentis causam novit, et sic tuetur ut suam. Festus ita: *Cognitor* est, qui litem alterius suscipit coram eo, cui datus est. Antiquissimus eorum usus, at, quo tempore dari primum coeperint, nemo indagabit. Vetera Romanorum iura quando quis pensitaverit accuratius, quibus permissum non erat, ut alterius nomine quis ageret, aut per extraneam sibi acquireret personam, mox ille sentiet, cognitorum usum nullum in foro esse potuisse. Postquam autem populus in dies politior fieret, magisque respiceret aequum bonumque, cognitores Roma vidit, quod me docet insignis locus auctoris ad Herenn. II. 13: Ex aequo et bono ius constat, quod ad veritatem et utilitatem communem videtur pertinere; quod genus, ut maior annis LX et cui morbus causa est, cognitorem det. Vides concessos cognitores, at non promiscue olim omnibus, verum sexagenario, et quem morbus excusabat a strepitu forensi, cum olim ex Leg. XII. Tab. aegrotis iumentum daretur, secundum illa Tab. I: Si morbus aevitasve vitium escit, qui in ius vocabit, iumentum dato, si nolet, arceram ne sternito. Sequiore aetate maior eorum usus, cum re-

Digitized by Google

est, qui aliquem cognoscit, et ut se nosse dicat, pro testimonio producitur. Cic. Verr. vii. 65: Ubi neque noti esse iis, quo venerunt, neque semper cum *cognitoribus* esse possunt.

cederent paullulum Romani a rigore antiquissimae legis, quod docet Paulus sentent. lib. I. tit. 2. partim lex 7. cod. Theodos. de cognit. et procurat., quo loco Theodosio cognitor litis appellatur minister. Adde interpretationem Visigothicam, ubi cognitor est, cui sine mandato causam suam agendam praesens praesente iudice litigator iniungit. Etenim ea intercedit inter cognitorem et procuratorem differentia apud antiquos, quod ille praesentis, absentis hic causam agat, uti probant loci supra allati, et Cicero pro Rosc. Comoed. xi. Observo, virum doctissimum differentiam inter cognitorem et procuratorem hanc facere. 1° quod *cognitor* in status controversiis, procurator in reliquis causis locum habuerit. At nihil habet, quo probare posset sententiam. Locus enim vulgatus apud Donatum longe aliud vult, repugnantque ea, quae data sunt ex auctore libri ad Herennium, et illa pro Rosc. Comoed. c. xi: Panurgum hunc servum communem Q. Flavius Tarquiniensis quidam interfecit. In hanc rem, inquit, me cognitorem dedisti, quo loco alter ex sociis *cognitor* factus, ut percussorem iudicio persequeretur. Idem in divinat. l. c. me defensorem calamitatum suarum, me ultorem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem totius causae esse voluerunt. At hic sermo de iudicio repetundarum. Locum tamen urgere nolo, cum cognitoris vox hic alio trahendo aliis videri posset. Idem Oration. pro Caecina v. cognitoris viduarum facit mentionem, quae loca omnia nihil de status controversiis, uti et verba leg. 7. cod. Theod. cit. tit. nihil etiam ibi interpres, cuius tamen ego auctoritatem magni non facio. In primis consulendus esset Paullus l. c. apud quem tamen nemo inveniet, quod faceret ad stabiliendam viri docti opinionem. Quando vero, quae est secunda differentia, cognitores cum aliqua solemnitate, procuratores autem sine eiusmodi per mandatum fuisse constitutos autumat V.cl. iterum dubitationi locus relictus, utrum haec probari possent idonee. Equidem putat, hoc erudite suo more demonstrasse Gothofredum ad cit. leg. ult. cod. Theod., cuius ego tibi verba dabo: *Propter solemnem quippe actum procul dubio aliquem, qui in cognitoribus coram iudice constituendis interveniebat, cognitorum quoque mentio a Triboniano sublata fuit.* Videant alii, num demonstraverit hic Gothofredus. Ego de hac ipsa solemnitate nihil apud antiquos invenio, atque observo, tacere Ciceronem Orat. pro Rosc., ubi tamen cognitoris, atque cognitoriae operae mentio frequentissima. Coniunge cum Cicerone Quinctiliani verba Instit. iii. 6: Non licet tibi agere mecum, cognitor enim fieri non potuisti; et declamat. 361: Meae pecuniae accessio ad me pertinet. Quid si enim cognitor meus, quid si procurator hoc idem respondeat? quorum priora

Digitized by Google

Interdum etiam, qui quaestiones publicas exercet, id est, quaesitor. Unde cognitura pro *cognitoris* quaestu. Svet. Vitell. II: Sectionibus et *cognituris* uberius compendium nactus.

COGNOSCO *V.* AGNOSCO.

COHORTES et MANIPVLI erant peditum, *Turmae* vero et *Decuriae* equitum. R.

COHVM est lorum, quo temo buris cum iugo colligatur, a cohibendo dictum. *Cohum* poëtae coelum dixerunt, a Chaos, ex quo putabant coelum esse formatum. Fest. R.

COLAPHVS digitis compressis et in pugno contractis capiti corporive reliquo infertur (1); *Alapa* est percussio in faciem manu deducta et explicata, ideoque hoc vocabulum videtur prorsus a sono facto.

forte explicanda ex Paulli sentent. lib. I. tit. 2. §. 1. et leg. 6. et 7. codic. de procurator. Certe si quis est locus, qui Gothofredum, virumque doctissimum idem statuentem iuvare potest, non erit alius magisque accommodatus, quam quem vidi apud Theophilum instit. tit. per quos agere possum § 1; ibi enim de procuratore disserens: *Procurator*, inquit, *sic constituitur, si cui mandem, ut pro me litiget, nec ulla certorum verborum praescripta forma opus est.* Et postea: *quibuscumque enim verbis procuratorem constituere possum*, quibus innuere mihi videtur inter cognitorem atque procuratorem differentiam et quod quaedam in constituendo cognitore observanda fuerint solemnia. Haec utrum Tribonianum moverint, quod Gothofredus voluit, ut omnem cognitorum mentionem in digestis atque codice negligeret, an aliud quid sollicitaverit, affirmare non audeo. Pomponii iam aetate, testante leg. 1. ff. de procurat. et defens., inventi sunt, qui cognitorem in re speciali tantum, in generali vero procuratorem constituendum, pronunciarunt, atque sequentibus temporibus cum vetera tractandi iura ardor evanuisset, cognitorum vox, ultimam redolens antiquitatem, vix audita est; quod forte movere potuit iuris nostri conditores, ut vocabulum eiicerent, cuius vim eius aevi paucos cepisse existimo. V. Io. Dan. Ritteri pr. de cognitoribus L. 1735.

(1) Dicitur autem colaphus a Graeco verbo κολάπτειν, quod idem est, ac tundere, quia plerumque simul fit tundendo. Unde Plautus in Persa II. 4. 22. Colaphis in terram aliquem defigere nequaquam nepte dicit. Apud Ter. in Adelph. II. 1. 46. legitur, quingentos colaphos alicui infringere, et quidem (quod placet nobis addere) cum nitu et fragore quasi. Sic Sc. seq. eiusd. Act. v. 37. dicitur, colaphis rubrum esse totum caput. Quid autem Plauto loc. cit. . 2. 65 fit colapho aliquem icere leg. Taubm. Commentar. in praed. c. et Scioppii lib. III. Suspectar. Lection. Epist. 1. p. 163. seq.

Digitized by Google

COLERE et OBSERVARE differunt. Cic. Ep. Fam. XIII. 78: Me praeter caeteros et colit et observat et diligit; Att. II. 49: Colimus et observamus diligenter Caelium. Interdum *observare* et *diligere* tantum coniungit lib. v. ep. 8: Publius me ut alterum parentem, et observat, et diligit. Itaque qui alterum observat, plus facit quam qui colit et qui diligit, praestat eum, qui alterum observat.

COLLACTANEVS, Graecis dictus *συγγάλακτος*, sive *ὁμογάλακτος*, est iisdem mammis educatus; *Collacteus* vero, qui uno eodemque lacte est educatus. Critici accuratioris iudicii duo haec vocabula, quorum prius Ulpianum, posterius vero Iuvenalem *γνήσιον* parentem agnoscit, promiscue usurpanda esse etiamnum clamitant. Front.

COLLATIONEM inter et *Tributum* discrimen obtinet. *Collatio* enim libera, *tributum* non item, vel collatio est liberae voluntatis, quamvis imponatur; veluti quum imperatur certus modus pecuniae alicui corpori, nec definitur, quantum cuique conferendum sit; sed hoc integrum iis, qui conferunt, relinquitur. Vid. Suet. Calig. XLII; Tit. VII. Schildius ad posteriorem locum sic commentatur. Collationes idem esse, quod Gallis *tailles*, alibi notamus ex Budaeo in pandectas. V. Fabri lex. et Gesneri th. v. *collatio*. Collatio est veluti voluntarium tributum.

COLLEGAS efficit unum officium, *Consortes* eadem fortuna, *Socios* labor idem. R.

COLLEGIA et SODALITIA, sive SODALITATES, diversa esse ostendit Marcianus Institut. 3. L. 1. D. de Colleg. Mandatis principalibus praecipitur, praesidibus provinciarum, ne patiantur esse *collegia* sodalitia, neve milites *collegia* in castris habeant. Hoc autem differunt, quod *illa* erant maiora et artificum opificumque omnium genera distincta habebant, ut collegia fabrorum, figulorum, pistorum, aurificum, cerdonum, coriariorum, lictorum, viatorum et similium; ex quo apparet collegium nihil aliud fuisse, quam certorum hominum, praesertim sacerdotum, praetorum et studiosorum conventus. *Haec* autem erant minora, sed magis honesta (1), in quae

(1) Etiamsi sodalitia alias in re leviore sunt, non aliter, ac so-

Digitized by Google

etiam clari et honorati viri adscribebantur, ut testatur Cato apud Cic. de Senect. XIII: *Sodalitates* autem, inquit, me quaestore constitutae sunt sacris Idaeis, Magnae Matris acceptis. Epulabar igitur cum *sodalibus* omnino modice. Et Q. Cic. in Libello de Petitione Consulatus numerat sodalitates, in parte amicitiae: Qui sunt amici (inquiens) ex causa honestiore cognationis, aut affinitatis, aut *sodalitatis*, aut alicuius necessitudinis.

COLLIS est monticulus sive sit per se, sive pars montis. *Clivus* est proclivitas illa et pronitas a vertice collis. H.

COLONIA et MVNICIPIVM ita differunt, ut *illa* ex civitate alio traducatur; *Municipes* vero aliunde in civitatem veniunt, suumque ius proprium habent (1). H.

COLONIAM DEDVCERE, fiebat auspicato; *adscribere coloniam* in locum aliquem dicebatur, si quaedam modo familiae recipi debebant ab hac illave colonia, auspicato facta. Cic. Phil. II. 40: Coloniam novam deduci negavi, adscribi posse rescripsi. R.

COLONVS (2) est, qui praedium rusticum colit, sive in civitate, sive in villa; *Inquilinus* vero, qui conductis aedibus habitat in villa, vel civitate. Non enim locus facit aliquem *colonum*, aut *inquilinum*, sed materia, quae conducitur. Marcianus ad Formulam hypothecariam: Convenit ut is, qui

dales, qui eiusmodi familiares proprie denotant, quibuscum saepissime versamur, ludimus, edimus ac bibimus. Tales autem fratres serio vitandos esse praecipit Martialis Epigr. XII. 34. 8. seq. Si vitare velis acerba quaedam, Et tristes animi cavere morsus, Nulli te facias nimis sodalem. Gaudebis minus, et minus dolebis.

(1) *Coloniae* fuerunt civitates ex civitate romana quodammodo propagatae. *Municipes* sunt cives romani ex municipiis, legibus suis et suo iure utentes. Praesertim *municipes* dicebantur, qui cum suffragio populi recepti erant; qui vero sine suffragio, praecipue nominabantur Caerites. *Praefecturae* appellabantur in Italia, in quibus ius dicebatur, et nundinae agebantur, et erat quaedam res publica, neque tamen magistratus habebant, in quas legibus praefecti mittebantur, qui ius dicerent. *Provinciae* appellantur, quod populus romanus eas provicit, i. e. ante vicit. Fest. R.

(2) Colonus novae coloniae, h. e. urbis ab illo coli caeptae, accolit fluvium, aut circumcolit montem, aut incolit urbem, cuius sit incola, vel accola, recipitque *inquilinos*, quos vult.

Digitized by Google

formulam hypothecariam dedisset; pro *colono* in agro; in aedibus autem pro *inquilino* sit. D. acq. Poss. L. 27.

Colorare plus est quam *inficere*, differuntque plane, ut Sen. Ep. LXXI: Animum non coloravit, sed infecit.

Colvmbae quae mansuetae fieri possunt, et domibus assuescere, ideoque dicuntur aves domesticae, culmina tectorum incolentes; *Palumbes*, ferae, arboribusque et sylvis saxisque inhabitantes. Agr.

Colvs et Fvsvs differunt. Plinius HN. VIII. 48: Lanam cum *colo* et *fuso* Tanaquilis in templo Sangi durasse, prodente se. Inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus comta et fusus cum stamine. Ovidius Met. IV. 229: Et colus et fusus digitis cecidere remissis. Est autem colus instrumentum muliebre, quod pensa continet, a quo fuso fila ducuntur; fusus autem, quo inter digitos circumacto et proiecto fila ducunt mulieres, et in quem ea primum glomerant. V. Gesn. thes.

Coma proprie de intonso crine dicitur, itaque feminarum erat et puerorum, usque ad annum aetatis septimum; tum enim romani pueris comam detondebant, et ex hoc tempore capillus usque ad ephebiam nutritus, *cirrorum* nomine veniebat. Puberes iterum tondebantur, et tum subnascens capillus, si nutriretur, prolixiorque evaderet, *caesaries* adpellabatur. Poëtae tamen etiam feminis caesariem tribuunt. Virg. Georg. IV. 337. de nymphis: Caesariem effusae nitidam per candida colla. Male igitur cirros, intortos calamistro capillos quidam interpretantur; hi enim *cincinni* sunt. Vid. Lex Fabr. p. m. 577.

Comedo esuriens, *sed commissatur* asotus. R.

Comedvs, *di*, qui bona sua consumit, antiqui dixerunt; *comedo*, *donis*, recentiores. Fest. R.

Comes iter facit, et est quicumque aliquem sequitur studii aut officii gratia; ut qui magistratus in provincias euntes comitabantur, ipsorum comites erant. *Comes* viae in comitatu est; *comes* autem comitaturus regem, ne incomitatus sit, venit e suo comitatu, comitatus quoque a suo famulitio. De cuius dignitate vid. Paschal. Lib VIII. Coron. c. XXII. p. 643. *Socius* est, qui cum altero societatem coivit, et generaliter,

Digitized by Google

qui aliquid cum alio communiter possidet, aut pari opera et consilio curat. Itaque cum *socium* quaeris, vide, ut tibi sociabilem associes, qui societatem sincere colat, et sua bona et mala tecum habeat socia, nempe in socialibus illis rebus, in quibus sociati estis. Requiritur autem ad socialitatem singularis paritas. Nam insociabiles, si sociantur, vel consociantur, necessario iterum dissociantur. *Socius* agentem adiuvat; *comes* vero sequitur euntem. Caesar de B. C. III. 80: Cum se victoriae Pompeii *comitem* esse mallet, quam *socium* Caesaris in rebus adversis. Cic. Fam. XIII. 74: Et *comes* meus fuit illo miserrimo tempore, et omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum *socius*. Id. pro Fonteio XVII: Tum enim vitae socia virtus, mortis comes gloria fuisset. Ex Frontonis sententia, *comes* est, qui iter facit; *sodalis* vero nomen adolescentiae; *assecla* sequitur potentiorem; *cliens* implorat opem ac fidem. Ita *comes* tutus, *socius* aequalis, *assecla* officiosus, *sodalis* amicus, *cliens* submissus.

Comicvs est, qui condit comoedias, uti Plautus, Terentius et alii. Sed *comoedus* est histrio, qui agit gestu et voce comoediam conditam. Ita *tragicus* auctor est tragoediae, ut Seneca; *tragoedus* vero actor. H.

Cominvs et Eminvs Frontoni de iaculis ita dicitur, ut *illud* a manibus non recedat; *hoc* vero e manibus emittatur; quam differentiam omnino vanam atque ridiculariam esse, inde probamus, quoniam *cominus* non idem est, ac coram manibus, sed potius coram minis, quando minae videlicet cuniculos, vel fossas subterraneas circa urbem denotant. Sic *eminus* quasi e minis dicitur. *Hoc* notat locum e longinquo; *illud* vero ex propinquo, sive proximo. *Eminus* utimur armis quibusdam, ut sagittis; *cominus* quibusdam, ut gladiis.

Comissationem inter et Convivivm discrimen intercedit. Distinguit Cic. pro M. Cael. V: Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, baias actas (i. e. compotationes in actis sive litoribus celebratas) convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia, iactant. Distinguit Livius XL. 7.: Huius rei ignarus Demetrius, quin, comissatum, inquit, (e convivio) ad fratrem imus, et iram eius, si qua ex certamine residet,

Digitized by Google

simplicitate et hilaritate nostra lenimus? Perseus ianuam observari iubet, et ex parte superiore aedium, versisque in viam fenestris, comissatores tamquam ad caedem suam venientes, aditu ianuae arcet. Demetrius, per vinum, quod excluderetur, paullisper vociferatus, in convivium redit. Id. ib. 9.: Perseus ad Demetrium fratrem: convivam me tibi committere ausus non sum? comissatorem te cum armatis venientem recipiam? Distinguit etiam Tertullianus de poenitentia, p. 560. Nullis conviviis celebres, nullis *comissationibus* congreges. Cel. Chr. Gottl. Schwarz in diss. de *comissationibus* veterum, Alt. 1744, iudicat, *comissationem* quidem compotationem intempestivam, et cum luxuria coniunctam etiam esse *convivium*; at *convivii* nomen omnino latius patere, nec semper in vitio poni, quum etiam moderata et honesta fuerunt *convivia*, nec coenae semper cum comissationibus immoderatis, et lascivis compotationibus, immo aliquando ne cum mensis quidem secundis coniunctae. Sic ipse Cicero Fam. IX. 23. commendat *convivia*, neque ea in universum ad voluptatem refert; sed ad communitatem vitae atque victus, remissionemque animorum; quae maxime sermone efficiatur familiari, qui sit in *convivis* dulcissimus, ut sapientius Romani, quam Graeci: hi συμπόσια aut σύνδειπνα, i. e. compotationes et concoenationes; Romani *convivia* vocarint, quod tum maxime simul vivatur. Conf. Cic. de Sen. III, et XIV. Domitianum imperatorem frequenter convivatum esse sine *comissatione*, narrat Svet. in vita eius XXI.: Lavabat de die prandebatque ad satietatem, ut non temere super coenam, praeter Matianum malum, et modicam in ampulla potiunculam sumeret. Convivabatur frequenter et large; sed paene raptim: certe non ultra solis occasum, nec ut postea comissaretur. Si quando igitur *comissationes* etiam ad *convivia* symposia referuntur, nomina haec laxius sumuntur; ut etiam nocturna illa et immoderata atque lasciva *convivia* denotentur. Non pauci auctores *convivas* ita separant a comissatoribus, tamquam convivae ad *convivium* coenamque sint vocati, comissatores vero post coenam venerint. Brevius dicam: *convivium* et *comissatio* hoc differunt, quod Graecorum εὐωχία et κῶμος. *Comissatio* quoque a *prandio*, et ambo haec a *coena* differunt.

Digitized by Google

Comitia erant coetus universi populi, a magistratu legitime convocati, ut aliquid suffragio suo vel iuberet, vel vetaret. Alias ita describuntur, quod nimirum fuerint ipsa congregatio, in qua populus de regni negotiis praeclare consultabat. *Conventus* erat, cum in urbe a magistratibus, iudicii causa, per praeconem populus convocabatur, vel in provinciis a praeside in aliquam civitatem edicto homines provinciales evocabantur, certo eius rei die ante praedicto; *concilium* (1) vero erat cum populi (2) pars in certum aliquem locum contrahebatur, atque ex ea sorte eligebantur viri ad iudicandum, Romae quinque senatores et totidem equites romani, in provincia viginti recuperatores, qui cives quoque romani erant, cum quibus praetor, vel consul, dicebatur concilium exercere, praebereque. Et *comitia* quidem celebrabantur, *conventus* et *concilium* edicebantur, aut indicebantur. Liv. XLIV: Nec *comitia*, nec *conventum*, nec *concilium* ullum. Id. ib. Siculorum civitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybaeum indicitur *concilium*. Praetor romanus *conventus* agit, eo imperio evocati conveniunt.

Comitia in numero multitudinis sunt conventus populi; *Comitium* est ipse locus. Goclen. R.

Commendare est alicuius fidei, hoc est diligenter et honorifice aliquid mandare. *Committere* (3) est alteri tradere, ut agat in re tradita, quicquid ipsi videatur. *Committimus*, quae cum magno periculo volumus esse servata. Donat. R. Cic. pro Domo LVI: Vobis ergo meam dignitatem, studium et iudicium non modo *commissum*, verum etiam *commendatum* esse *arbitrantur*. Id. pro Quintio: Tibi se, tibi suas omnes

(1) Haec differentia inter concilia et comitia non anxie a scriptoribus observata est, imo saepius reperitur alterum vocabulum pro altero positum. R.

(2) Ad concilium enim conciliantur populi, ut factiosis conciliabulis excitatae lites concilientur, animique reconcilientur.

(3) Cum particula *ut*, etiam ponitur in hunc modum: Non committam, ut me negligentiae nomine iure postea accusare possis. Aliquando quoque in malam partem capitur, et idem est, quod delinquere, vel scelus admittere. Re ita comparata, diligenter videamus, ne quid *committamus*, ob quod oculos demittere, vultuque demisso incedere necesse habeamus.

Digitized by Google

opes fortunasque *commendat*, tibi *committit* existimationem ac spem reliquae vitae. Ter. Eun. v. 2. 46: Ego me tuae *commendo* et *committo* fidei. Ubi Donatus; *commendamus* nos cognitis, *committimus* ignotis. Quae differentia nihili est. Itaque Heineccius praedicto Terentiano loco singularis explicationis instar indocte illam annexuit. Sic ex Frontonis sententia *committimus* consilia, pecuniam vero *credimus*.

COMMENTARIVM libri, *commentaria* voluntatis. R.

COMMEREO vel COMMEREOR fere in malam partem accipitur; est autem committere, delinquere, peccare. Ovid. Fast. I. 362: Quid bos, quid placidae commeruistis oves? Quid differat inter *commerere* et *merere* V. *Mereor*. TH. VALL.

COMMISCERI proprie dicitur, quod non mutatur in aliam speciem, sed priorem retinet, ut si fuerint commixtae massae argenti, aut vina, frumenta etc. Nonnullae enim sunt natura mixtiles, quae facile possunt *commisceri*. Aliae sibi aliquid *admisceri*, aut *immisceri*, vel *intermisceri*, nedum *permisceri*, minime patiuntur. *Confundi* (1), quod alii iunctum, sive adiectum, novam generat speciem, ut vinum et mel confusa propriam pariunt speciem, scilicet mulsum. Ulp. ad Edictum 16 Lib. XXXI. § 2. D. de Rei Vend. Si quid, quod eiusdem naturae est, ita *confusum* est atque immixtum, ut deduci ac separari non possit.

COMMISSVS respicit voluntatem, *permissus* potestatem. Cic. pro Fonteio XIV: Frugi igitur hominem, iudices, videtis positum in vestra fide ac potestate, atque ita, ut *commissus* sit fidei, *permissus* potestati. R.

COMMITTIMVS consilia, *credimus* pecuniam. Corn. Front. R: *Illud* est mandati, auctoritatis, iubentis; *hoc* fidei, favoris, atque amicitiae mutuae.

COMMIXTIO proprie dicitur de rebus aridis, *confusio* vero est rerum liquidarum. R.

COMMODATVM et UTENDVM DATVM hoc differre Antistius

(1) *Confundi* de mineralibus proprie dicitur. Metallorum fusor enim fundit in fusorio, et confundit mineras, e quibus fusis ceteri fusores varia fusilia in fusoriis refundunt, ac transfundunt. Nonnumquam etiam tropice idem est, ac pudefieri, quod in pudore sanguis *confunditur* saepissime.

Digitized by Google

Labeo L. I. D. Commendat. existimavit, ut genus et speciem. *Commodari* enim rem mobilem, non etiam soli; *utendam dari* etiam soli. Contra Ulp.: Proprie, inquit, commodata res dicitur ea, quae soli est, idque Cassius existimat. Vivianus amplius etiam habitationem commodari posse ait. Quam opinionem confirmat Auct. ad Herenn. Cuidam aedes maximas ad nuptias commodasse. Unde apparet, haec nihil omnino differre, et idem esse commodare (1), quod rem utendam dare, ut finito usu, in quem data est, eadem ipsa restituatur sive sit mobilis, sive immobilis, sive corpore carens. Sed inter commodare et mutuum dare hoc interest, quod *commodamus* ea, quae redduntur eodem numero et specie, ut vasa, vestes, libros, iumenta. *Mutuum damus* recepturi non eamdem speciem, quam dedimus, sed idem genus, i. e. tantundem eiusdem ponderis, quantitatis, qualitatis, numeri, ut pecuniam, vinum, frumentum. Agraet. *Mutuidatio* enim consistit in his rebus, quae numero, mensura et pondere constant, ut scribunt Iurisconsulti L. 2. D. de Reb. cred. Quare Cicero abusus est verbo commodandi, cum in Verr. vI. 9, dicit: At publice commodasti, non sine magno quidem provinciae Siciliaeque detrimento, tritici modium sexaginta millia.

Commodvs esse quis potest et alieno tempore supervenire. *Opportunus* malum etiam adventum habere potest. *Commodum* in homine, *adventus* in eius facto. Donat. R.

Commonemvs praeterita, *Admonemus* praesentia, *Praemonemus* futura. Agr. R.

Commorari non esse *Habitare*, patet ex hoc loco Ciceronis de Senect. xxiiI: Ex hac vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam e domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi, dedit. *Commoramur*, ut in hospitio, ad tempus; *Habitamus*, ut in domo. *Commorari* Graecis dicitur παροικεῖν, sed *habitare* κατοικεῖν. H.

Commvne esse dicitur, quod ad plures aeque pertinet, seu cuius usus omnibus est expositus, et proprietas occupanti

(1) Accommodare se tempori, commodum est; sed commodare alteri pecuniam plerumque est incommodum. Multis enim ea res vere incommodavit.

Digitized by Google

cedit, ut aër, aqua profluens, mare, littora maris, lapilli, et gemmae, caeteraque, quae in littore inveniuntur. Sic communia bona communiter curari debent. De his quandoque communicamus, h. e. communia facimus iis, qui extra communitatem sunt. Contra vero eos, qui illis indigne communicant, h. e. communia habent, a communione removendo excommunicamus. *Publicum* est, quod in communi populo, aut civitatis alicuius usu, et dominio est, nec occupanti conceditur, ut forum, theatrum, basilicae, via, itinera publica. Publicae res sunt, quarum quidem usus omnibus et singulis ex populo patet, proprietas vero ad populum pertinet. R. Sic *commune* ius (1) dicitur ius gentium, quo omnes gentes utuntur; *Publicum* vero, quod populus quisque sibi constituit. Ter. Phorm. il. 3. 64: Num iniquum postulo? Anne hoc quidem adipiscar ego, quod ius publicum est? Sed interdum *commune* sumitur pro *publico*, ut cum dicimus commune ius, quo omnes eiusdem civitatis cives utuntur, respectu singularis et proprii iuris, quod non in universos cives, sed in singulos constitutum est, et appellatur privilegium, ut commune bonum, malum, communis res atque communis salus passim apud classicos scriptores.

COMMVNITAS a COMITATE differt. *Communitas* rebus magis et iure, tamquam verissimis aequalitatis characteribus, et praecipua sui ipsius nota; *comitas* autem verbis ac morum facilitate, in vulgus cum primis, quod externa tantum aestimat, spectatur. Sane *communitas* potest tristior paullo ac severa esse, *comitas* vero iucunda semper et delectabilis est; illa ius suum, haec decus prensat. Tantum apud principem virum, potissimum in molli aditu fandique copia spectatur, atque tum bonis scriptoribus prorsus solemnis comitas esse consuevit. Ita *comem* cum dicimus, facilem quidem et humanum, et φιλάνθρωπον, et affabilem dicimus, non item eum, qui talem se omnibus et promiscue praebeat. Potest enim *comis* esse etiam, qui tantum erga pares, aut paucos humanus est. *Communis* autem sive κοινὸς eum, saltem interdum, designat,

(1) De communi romanorum civium iure vid. Manutii lib. I. Antiq. Rom. qui est de legibus p. 51.

Digitized by Google

qui nemini praecludit aditum, sed aequalem se omnibus exhibet, et infimis etiam ac humillimis quodammodo parem facit.

COMMVNITAS (1) est communicandi voluntas; *Communitio* vero undique munitio. Fronto.

COMPARATIONEM inter et *Collationem* Scaliger. Poët. III. pag. 322. hanc observat differentiam: *comparatio* statuit rem notam, cui comparetur id, de quo sermo est, isque transitus adpellatur a Graecis ἐφάρμοσις, i. e. convenientia, ut: Qualis in Eurotae ripis, aut per iuga Cynthi exercet Diana choros, talis erat Dido. *Collatio* vero e contrario rem ponit priore loco, quam conferat sequenti, quae connexio dicitur προαπόδοσις. Habent vero aliam quoque differentiam. *Comparatio* semper habet similitudinem, *collatio* dissimilitudinem. Enim vero hoc discrimen magis ad res, quam ad linguam pertinet.

COMPENDIVM utique ad pondus pertinet, *dispendium* detexitur in ponderibus, *damnum* dat omnibus, *detrimentum* usum tritum, *iactura*, quod iacitur ex onere navis. Front. R.

COMPERIO est ab alio cognosco, seu certum reperio, sive deprehendo. *Comperior*, ipse colligo. *Illud* fit investigatione, ideoque idem est, ac explorando cognosco. Quicquid igitur sic comperimus, expertique ex voto sumus, habemus pro comperto, fretique experimentis nostris atque experientia inexpertos quoque docemus. *Hoc* opinione et coniectura. Ter. Andr. I. 1. 63. seq. Quaerebam, *comperiebam* nihil ad Pamphilum Quidquam attinere. Sallust. in Iug. XLIX: Metellum magnum et sapientem virum fuisse *comperior*. Id. ib. CXVI: Sed ego *comperior* Bocchum magis punica fide. Tac. Ann. IV. 20: Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse *comperior*. Cic. Fam. v. 5: Ex multis audivi; nam comperisse me non audeo dicere. Ital. *L'udii da molti; chè non oso dire di saperlo di certo.*

COMPLVRA solum de maiore numero; sed *plura*, de duobus saltem commode possunt dici. *Hoc* (cuius superlativus

(1) An autem haec vox, quae alias Ciceroni iustitia civilis est, apud classicos scriptores quoque in sensu hoc sumatur, hanc ob causam dubii sumus, quoniam ne ullum quidem exemplum, diu licet in illud inquisitum, reperire potuimus.

Digitized by Google

plurimus), comparativi gradus est; *illud* vero, singulari numero carens, positivi. Non dicitur autem complurimus aeque ac commultus; quod quidem romanarum venerum studiosissimis optume est notum. H.

COMPLVVIVM est locus, in quem aqua pluvia de diversis tectis confluit. *Impluvium* est locus sine tecto sub dio, quo imber impluit, seu aqua deiecta accipitur. *Alterum* sursum est ad tectum; *alterum* deorsum ad terram. Varro de L. L. IV. 33: Si relictum erat in medio, ut lucem caperet deorsum, qua impluebat, *impluvium* dictum; sursum qua compluebat, *compluvium*. Ter. Phorm. IV. 4. 27: Anguis per impluvium decidit de tegulis.

COMPTVM, genus libaminis, quod ex farina conspersa faciebant: *comptum* Afranius pro ornatu et cultu posuit. Fest. R.

CONCERTATIO ipse actus. Ter. Adelph. II. 2. 3: Numquam vidi iniquius *concertationem* comparatam. *Certamen* res ipsa, de qua certatur. Virg. G. II. 530: Velocis iaculi *certamina* ponit in ulmo. Donat. R.

CONCILIABVLVM, et FORVM separat Liv. XXV: Qui ultra quinquagesimum lapidem in plateis *forisque* et *conciliabulis* omnem copiam ingenuorum inspicerent. Et alibi: Decemviri supplicationem in biduum valetudinis causa in urbe, et per omnia *fora* et *conciliabula* edixerunt. Hoc autem interest, quod *conciliabulum* erat locus in agris, aut vicis, ad quem rustici frequentes emendi aut vendendi causa conveniebant certis nundinarum diebus, ideoque conventiculum temerariorum hominum nequaquam inepte dicitur. *Forum* praecipua urbis area, rebus vendendis et emendis destinata; et erat locus in provinciis, sive oppidum, sive vicus, in quo magistratus ius dicebat, et de privatis controversiis cognoscebat. Unde *forum* agere dicebatur qui provinciae praeerat, cum conventum iuris dicundi causa habebat; et forum indicere, cum tempus et locum iuris dicendi designabat. Quamquam interdum etiam in *conciliabulis* ius dicebatur, et quaestiones extraordinariae exercebantur. Unde C. Gracchus orationem habuit et inscripsit, cum circum *conciliabula* iret. Liv. XL: Veneficii quaestio ex C. quod in urbe propiusve urbem decem millibus passuum esset, commissum C. Claudio, praetori,

Digitized by Google

qui in locum T. Minutii erat suffectus: ultra decimum lapidem per fora, *conciliabulaque* C. Menio, priusquam in Sardiniam provinciam traiiceret, decreta. In lege Manilia: Magistratus qui in ea colonia municipio, praefectura, foro, conciliabulo, iuri dicundo praeerit.

Concinnare est apte componere et quidem capillos proprie. Nam qui cinnos concinnos vult habere, discat capillos concinnos concinnare, atque, si eorum concinnitas turbata est, reconcinnare. *Concinere* vero est convenire, unde concentus est sonorum in cantu congruentia. Festus.

Conclave. *V.* Avla.

Concoctio et Digestio differunt, ut maius et minus. *Digestio* via est ad *concoctionem*. Nihilominus pro ipsa quoque *concoctione* sumtam digestionem esse cognoscimus. Capitolinus in Vero iv: Somni fuit permodici, digestionis facillimae.

Concvbina est, quae cum coelibe consuevit, et uxoris loco sine nuptiis domi vivit. *Pellex* est, quae corpus miscet cum eo, qui uxorem habet. Pellex autem sic dicitur, quod maritum ab uxore fraudulenter pelliciat. Pellicere enim est in fraudem aliquem allicere. Nonnullis dicitur a pellendo, quod legitimam uxorem a suo marito fere pellit. *Illa* extra poenam legis Iuliae et sine infamia olim habebatur; *huic* poena erat a Numa Pompilio constituta hac lege (1): Pellex aram Iunonis ne tangito. Si tanget, Iunoni crinibus demissis, agnum foeminam caedito. Arnob. iv. adv. Gentes p. 141. seq. edition. Batavo-Lugdunensis Thysianae: An uxore contentus (sc. Iupiter) haud una *concubinis*, *pellicibus*, atque amiculis (2) delectatus impatientiam suam spargebat passim, ut babecali adolescentes solent, salax Deus et canus ex finitis corporibus flaccescentium voluptatum restituebat ardorem. Similem ferme locum habemus apud eumdem Arno-

(1) Exstat autem haec lex apud Manutium lib. I. Antiquit. Romanar. qui est de Legibus, p. 125. Apud Gellium vero lib. iv. c. 4. his verbis consignata est: Pelex. Asam. Iunonis. Ne Tagito. Si. Taget. Iunoni. Crinibus. Demissis. Acnum. Feminam. Caidito.

(2) Has Graeci ἐρώμενας vocant, easque ab uxore legitima haud inique separant. Vid. Defid. Heraldus in Animadv. ad h. l. p. 170. praelaud. edition.

Digitized by Google

bium eodem lib. p. 150. ubi verba ita sonant: Ipse ille Iupiter, cuius vos nomen effari non sine metu decuit, et totius corporis concussione, amasio captus ab uxore, describitur confiteri culpas suas, et veluti demens ac nescius, quas amiculas coniugi, quas uxori anteposuerit pellices, obduratus inverecundia publicare. Sed *pellex* apud antiquos significavit concubinam, quam Graeci vocant παλλακὴν, ut iurisconsulti annotarunt L. 144. D. de Verb. sign. Et sic Iustinus dixit Cyri pellicem, ut et Curtius de Alexandro Regis pellicem. Quibus in locis Valla et Budaeus bene reponunt pallacam, qua voce, ut latina, utuntur Plin. HN. xxxv. 36 (1), et Svet. Vesp. xxI.

Condicere *alicui ad coenam*, vel *coenam condicere*, vel etiam absolute *condicere* alicui, aliud est ac *promittere ad coenam*. *Promittit* ad coenam invitatus; *condicit* qui prior et ultro denunciat se apud alterum coenaturum, quod nisi familiarissimi non faciunt. Torrentius: *condicere* apud Ictos est denunciare. Hinc *condicere* coenam, cum quis alteri denunciat, se cum eo coenaturum, ut convivae, non convivatoris sit. Svet. Claud. xxI: Velut ad subitam condictamque coenulam invitare se populum dixerat; qualis nimirum amicis, qui se ipsos invitant, adponitur. V. Taubmannus ad Plauti Stich. IIL. 1. 128. Mutuum tamen aliquid intelligitur, et consensus eius, cui condicitur. Vid. Gronovii obs. l. I. p. 18. et Gesneri thes. v. *condico*.

Condonare est remittere, *Donare* est dono dare. R.

Condvcere est inquilini; *Locare* est possessoris. R.

Confertvm significat densum et constipatum; *Refertum* idem

(1) Ubi editiones veterum pro pallaca, pallacia falso substituunt. Illa autem pallaca, cuius h. l. fit mentio, Campanpe nominabatur, deamabaturque ab Alexandro M. Macedonum rege. Cum autem Apelles nudam illam ob admirationem formae, regis iussu pingeret, eumque Alexander pari captum amore sentiret, illi dono dedit eam. Quo de facto Plinius subtiliter atque magnifice (loc. cit.) disserit: Magnus, (inquiens) Alexander nempe, animo: maior imperio sui: nec minor hoc facto, quam victoria aliqua. Quippe se vicit, nec torum tantum suum, sed etiam affectum donavit artifici, ne dilectae quidem respectu motus, ut, quae modo regis fuisset, modo pictoris esset.

Digitized by Google

est, quod plenum, sicut *confarcire* est condensare, *refarcire* est opplere. Sic fartor facit fartilem anserem farraceis farturis, et postquam satis fartus est, mactat illum, farcitque denuo farturis pomorum, vel aliis, atque sic fartum assatumque imponit mensae. Similiter facit fartor ex effartis intestinis farcimina, quibus suffarcinatus prodit in forum hominibus refertum, vel differtum, exponitque venum confertim, quibus voraces rursum effarciunt viscera. Caes. B. G. v. 16: Ut numquam conferti, sed rari, magnisque intervallis praeliarentur. Cic. ad Q. Fratr. II. 15: Litteris refertis omni officio. Id. pro Sextio XXXV: Meministis tum, iudices, corporibus civium Tiberim repleri, cloacas referciri. Varro RR. III. 16: Quo facto, non modo non desistunt pugna, sed etiam conferciunt se.

Confidentia interdum in bona, interdum in mala significatione. *Fiducia*, semper in bona accipitur. Haec Ciceroni diversis in locis pactum est cum conditione redimendi, redhibendique quod venditum est. Donat.

Confines sunt, qui iisdem finibus se invicem attingunt; ita *confinium*, ubi limites agrorum concurrunt. *Vicini*, qui in eodem vico habitant, aut in proxima vicinia, sive qui sunt loco proximi. Ita confines dicuntur agri, praedia confinia, vicini homines, vicinae aedes. Cic. Offic. II. 18: Vicinitatibus et confiniis aequum et facilem. Sallust. Iug. CCXV: Uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebatur. Paulus ad edictum 23. L. IV. § 10. de Fin. reg. Hoc iudicium locum habet in confinio praediorum rusticorum, urbanorum displicuit; neque enim *confines* hi, sed magis vicini dicuntur, et ea communibus parietibus plerumque disterminantur.

Confiscare est principis fisco bona adiudicare, seu in fiscum principis cogere. *Publicare* est venale in publicum deducere, et ad aerarium populi referre. Sallust. Catil. XCII: Censeo publicandas eorum pecunias. Svet. Aug. XV: Devictisque his et confiscatis promissa veteranis praemia solverentur. Confunduntur tamen haec duo interdum maxime apud auctores posterioris aevi, quo ad fiscum principis (singulari cura fiscarii, qui diligenter, quae bona confiscanda erant, cognoscebat), omnia redibant. Paulus ad edictum 32.

Digitized by Google

L. XXII. § 5. D. Mandat.: Publicatis bonis, quidquid postea adquiritur, non sequitur fiscum. Sext. Rufus in Epitom. Histor. Rom.: Tanta fuit penuria aerarii romani, et tam ingens fama opum cypriarum, ut, lege lata, Cyprus confiscari iuberetur.

CONFITERI est contra se fateri. Unde *confessio* definitur qualiscumque contra se pronuntiatio. *Profiteri* pro se edere. *Illud* plerumque fit coacte; *hoc* ultro et palam, publice ac solemniter. Interdum quoque est publice et apud acta aliquid enunciare, ut cum magistratui deferimus, quantum rei alicuius a nobis possidetur, hoc est, ut vulgo dicitur, designamus possessiones earumque fructus, vel bonorum nostrorum magnitudinem. Sic ex provinciis decedentes, quondam imperatores profitebantur intra certos dies. Antiqui quoque liberos natos sibi profitebantur apud acta. Sic enim Iuvenalis Satyr. IX. 84. seqq. Tollis enim, et libris actorum spargere gaudes Argumenta viri. Foribus suspende coronas; Iam pater es. *Profiteri* etiam idem est, ac quod disciplinam artemve aliquam tenere se significare. Cic. pro Caecin. IX: Confitetur atque ita libenter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri videatur. Id. pro M. Tullio: Hoc ego non solum *confiteor*, verum etiam profiteor. Honestius profiteri, quam confiteri. R. Sic *confitemur* delicta, *profitemur* censum, artem, iudicium. Sallust. Iug. CCV: Multis hortantibus, et imprimis, Albino consule, iudicium profitetur. Tac. Annal. VI. 3: Et summum supplicium parabatur, ni professus iudicium foret (1).

CONFITETVR, qui de se tantum et qui invitus. *Indicat* is, qui de se volens aliquid, et de aliis etiam prodit. Donat. R.

CONFLIGERE differt a CONCERTARE. *Illud* publice fit, et cum hoste; *hoc privatim*, et cum inimico tantum. Cic. pro leg. Manil. X: Qui saepius cum hoste *conflixit*, quam quisquam eum inimico *concertavit*.

CONFVTARE proprie de olla fervente dicitur, et idem est, ac illam, affusa aqua frigida, compescere: tropice vero, ar-

(1) *Confiteor* quod dicere pudet; *fateor* coactus et reus; *profiteor* aperte et sponte. TH. VALL.

Digitized by Google

gumenta solvere atque refellere denotat, et est redarguere verbis. *Refutare* est reprimere aut facto, aut verbis. *Repudiare* est repellere, vel reiicere, et consequenter non admittere; quod plus est, quam *confutare*. Sic sponsus aliquando repudiat sponsam, aut ipse accipit repudium, fiuntque repudiosae nuptiae. Ter. Phorm. III. 1. 13: *Confutavit* verbis admodum iratum patrem. Cic. pro leg. Manil. XVII: Obsolevit iam ista oratio, re multo magis quam verbis *refutata*.

CONGERIES lapidum est, *Strues* proprie lignorum. R.

CONGIARIVM est dictum a congio. Est autem congius mensurae nomen, sex capax sextariorum, ut Priscianus auctor est. *Congiarium* ponitur pro munere imperatorio quod populo datur. *Donativum* pro eo, quod militibus erogatur. *Donaria* sunt munera sive dona, quae Deo offeruntur, sive templorum aerariis consecrantur, *ἀναθήματα*. R.

CONIECTVRA est rei latentis indicium, quae per rationes et signa veritatem exquirit: unde et pro ipsa opinione, divinatione, auguratione atque argumento probabili accipitur. *Suspicio* est de re incognita tenuis dubitatio, vel scientia incerta, quae subito incidit. *Haec* levis est, et ut plurimum falsa; *illa* firmior et verisimilior. Cic. de Lege Agr. I. 6: Haec a me suspicionibus et coniectura coarguuntur.

CONIVRARE malorum, *Conspirare* interdum bonorum est. Acron. ad Horat. R.

CONIVRATIO est, quae iureiurando firmatur, ut coniuratio Catilinae in rempublicam, de qua Sallustius XXII: Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. *Conspiratio* fit solo consensu, unde et *conspiratio* nonnumquam quoque consensionem, seu ipsum consensum denotat. Immo et pro ipsa coniuratione a Cicerone et Livio passim usurpatur; ut conspiratio in Caesaris necem, de qua loquens Svetonius Iul. Caes. LXXX, haec duo confundit, ut: Quae causa *coniuratis* maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Rursus ib. *Conspiratum* est in eum a sexaginta amplius, C. Cassio et D. Bruto principibus conspirationis.

Digitized by Google

CONLVCARE ARBORES, est decidere ramos, officientes lumini, et locum luce implere; *Sublucare* est ramos supputare, et veluti subtus lucem mittere, ut interpretatur Festus Lib. III. et Lib. XVI. Conf. Simonis Schardii Lexicon Iuridicum, p. 240. col. b. Columella Lib. II. 22: Neque terram aperire, neque arborem conlucare. Paulus v. Sententiar: Arbor, quae in alienas aedes, vel in vicini agrum imminet, nisi a domino sublucari non potest, isque conveniendus est, ut eam sublucet. Utrumque in profano loco olim licebat, non item in sacro nisi facto piaculo, ut tradit Cato de Re Rust. CXXXIX.

CONQVERI et LAMENTARI differunt inter se, ut facile quisque perspicit, et ex Ciceronis Tusc. II. 50. intelligi potest: *conqueri* fortunam adversam, non *lamentari* decet. *Conqueri* igitur in gradatione minus, *lamentari* maius quid significat.

CONSCIVS et SCIVS hoc differunt, quod *scius* secum, *conscius* cum alio scius est, licet *conscium* indifferenter positum legerimus. Non. R.

CONSCRIBERE est multa simul scribere. *Exscribere*, quod ab aliis scriptum sit, transferre. *Transcribere*, cum ius nostrum in alium transit; sic fundum alicui transcribere, est iure cesso tradere. Ponitur et *transcribere* pro eo, quod vulgo super alium onerare, dicunt. Nonnumquam quoque idem est ac in aliud exemplum aliquid scribere, italice: *copiare*. *Inscribere* accusationis est, vel occasionis. *Adscribere* significationis. *Describere* dictionis, vel ordinationis. Agr.

CONSECRARE est e profano sacrum facere, non verbis modo solemnibus, sed etiam manu. *Dedicare* est Deo dicendo dare atque dicare. Itaque *consecratio* prior et religiosior est, quam *dedicatio*. *Dedicatio* plus habet religionis, et a pontifice tantum, *consecratio* etiam a tribuno plebis, alioque ritu fiebat. *Dedicatio* magnam habet religionem. Cicero pro domo sua. R. Alii hanc differentiam hunc in modum exprimunt dicendo: *consecrare* idem esse, ac mancipare, et ad res referri; *dedicare* vero, seu dicare, denotare proprie aliquid dicendo deferre, atque obsequio dare praestanti cuidam numini, inque perpetuum aliquid constituere. Cic. pro domo XLVIII: An consecratio nullum habet ius, dedicatio est religiosa? Quid

Digitized by Google

ergo illa tum obtestatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid prisca verba voluerunt? Sic olim *consecrabantur* reges et imperatores mortui, cum in Deorum numerum referebantur magnificentissimo apparatu, quem describit Herodianus; item loca profana et bona damnatorum, quae religione obstringebantur; rursus aedes sacrae, arae a magistratu, pontifice praeeunte, dicendo dedicabantur. Vid. Schardius loc. cit. p. 240. col. b. Cic. in Consolatione de morte filiae: Teque omnium optimam doctissimamque, approbantibus Diis immortalibus ipsis, in eorum coetu locatam ad opinionem omnium mortalium consecrabo. Id. de Lege Agr. Tum ipsam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Africanus nudatam tectis ac moenibus suis, ad notandam Carthaginiensium calamitatem, sive ad testificandam nostram victoriam, sive ad oblatam aliquam religionem ad aeternam hominum memoriam consecravit. Et pro domo: Cum suis dicat se manibus consecrasse, quae tua fuit consecratio?

Consequimur et Adsequimur studio, voto et desiderio, quae fuere per laborem proposita, ita tamen, ut *consequamur* fere quae solis nobis et soli causae nostrae serviunt; *adsequimur* autem aliquid tum nostra tum aliorum causa, ideoque consequi idem est ac adipisci atque obtinere. Nonnumquam quoque pro *adsequi* eleganter ponitur. Sic ex reipublicae causa gloriosam victoriam consequi apud Ciceronem pro Coelio invenies. *Obsequimur* officio; *Persequimur* iniuria; *Prosequimur* adfectu amoris, et ordine; *Adsequimur* voto. Agr.

Conserere manum dicimus cum hoste, *asserere manu* libertatem comprehendimus. *Conserere manum* in iure significat, de qua re disceptatur in re praesenti, sive ager, sive quid aliud est, cum adversario simul manu prendere, et in re solemnibus verbis vindicare. Priore tempore fiebat praetore insimul abeunte et praesente, sed sequentibus temporibus alter alterum ex litigantibus ad conserendum manum in rem vocabant, atque terrae aliquid ex eo, de quo litigabant, ad praetorem deferebant, atque in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicabant. Gell. Noct. Attic. xx. 10. R.

Distinguendum est inter *manum in iure conserere*, quod de correptione manuum coram praetore in re praesenti facta di-

Digitized by Google

cebatur, et inter *manuum consertum*. Ita habet Stephanus ad Gellii L. XX. c. IX. Idem sentit Ursatius de notis antiq. in Graevii thes. T. XI. p. 693. *ex iure vocare*, cum illud non coram praetore fieret, sed abeuntes e iudicio in fundum arcessita gleba vel festuca denuo ad iudicem reverterentur. Illa locutio ex XII tabulis, haec vero ex iure praetorio est derivanda.

CONSERVAMVS parta, *quaerimus* nova, *parcimus* omnibus. Donat. R.

CONSIDERATIVS est proverbium ex cognomine; *Considerantius* ex participio. Fronto.

CONSIGNARE est signo impresso occludere; *Obsignare* est testificandi gratia signum imprimere seu impressione signi sui testari et confirmare. Alias *obsignare* verbum est antiqui iuris, quod ad iniurias propulsandas, dum alicuius bona publice possidentur, pertinet. Unde *consignari* dicuntur litterae, *consignari* pecunia, quod in sacculo lino, traiecto signisque cerae impressis olim deponebatur; *obsignari* item litterae, testamenta, quum testium subscriptione et annulis signatoriis firmantur; *obsignari* bona, praedia, aedesque, tabulis signatis obligantur, vel in publicas tabulas referuntur, ut ab apparitoribus fieri solet. Plaut. Bacch. IV. 9. 11 (1): Has tabellas *obsignatas*, *consignatas*, quas fero. Confundunt tamen haec scriptores, ut *consigno* pro *obsigno*. Cic. pro Quint. VI: Tabulae maxime signis hominum nobilium consignantur, a quo consignationes appellantur testationes, in tabulis obsignatis perscriptae. Quintil. XII. 8: Promittit enim litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes. Rursus *obsigno* pro *consigno*. Cic. pro Flacco XVI: Laudatio obsignata erat creta illa asiatica, quae fere est omnibus nota nobis. Id. pro Cluent. XVI: Pecuniaque obsignata, quae ad eam rem dabatur, in manibus Scamandri deprehenditur.

CONSILIVM in bonis animi, *Res* in potestate fortunae. Donat. R.

CONSILIVM videtur coetus prudentum et paucorum (2), *Concilium* multitudo τῶν τυχόντων. R.

(1) Conf. IV. 7. 4; IV. 8. 83.
(2) Utrumque saepe confundi, observat Gronovius ad Liv. XLIV.

Digitized by Google

CONSTANS innuit soliditatem, *Perpetuus* durationem temporis. R,

CONSTERNERE et CONSTERNI corpore, *Consternari* animo dicitur. R.

CONSTRVCTIO de tota orationis compositione dicitur, praesertim quae ornatus causa fit, et alias a Cicerone vocatur etiam verborum comprehensio, item collocatio conformatioque verborum; *Consecutio* autem de grammatico ordine, quo casus et partes consequuntur certa ratione. Quae tamen differentia non est perpetua. Ipsi Ciceroni consecutio idem notat, quod constructio, i. e. tota orationis compositio, et elegantior vocabulorum positus; ita enim Partit. Orat. Numeri quidam sunt in coniunctione servandi, consecutioque verborum.

CONSVESCIMVS BONA; *Insuescimus* mala; *Assuescimus* utraque. Agr.

CONSVETVDO est ius quoddam non scriptum, tacito consensu populi, et voluntate utentium introductum. Apud Ciceronem ponitur quoque saepissime pro intima quadam familiaritate, sive amicitia. Plautus autem consuetionem pro *consuetudine* sive *assuetudine*, h. e. assuescentis habitu haud infrequenter usurpat. *Mos* autem, quod a *modus* per syncopen deducitur, est ipse actus et usus inveteratus, ex quo *consuetudo* induci solet. Iulio Festo de Verbor. Signif. *Mos* est institutum patrium pertinens ad maiorum religiones atque ceremonias. Cic. pro Cluent. XXXV: Non *mos consuetudoque* servata. Id. Offic I. 32: Ad eorum *consuetudinem* moremque deducimur. Id. ib. 44: Contra morem *consuetudinemque* ci-

2. ubi multa auctorum loca corrupta emendat, docetque, *consilium* dici I. de consilio publico senatus, II. consilio militari, III. praetorum, IV. regum; *concilium* autem interdum significare I. comitia seu conventum populi cuiuscumque, II. communem rempublicam coniunctorum populorum, III. congressum secretum, coitionem, seu coetum conspirantium clanculum, unde Livius coniungit interdum concilia coitionesque, IV. conventum legatorum ab diversis populis sociis. Dict. Cretensi concilium, et consilium eadem res est, observante Bartgio. De permutatione horum verborum egerunt etiam Drackenborchius ad Sil. VIII. et Burmannus ad Ovid. Met. I. 767. Caeterum conf. Gesner. in Thes. h. v.

Digitized by Google

vilem fecerint. Arnob. II. Fiet enim familiaris e more *consuetudo* in naturam versa. Etsi haec frequenter confunduntur, maxime ab auctoribus iuris, apud quos *consuetudo* factum nudum denotat, et *mos* ius non scriptum: cuius rei exempla ex ipsorum libris plurima depromi facile possunt. Inter *consuetudinem* et *exercitationem* eleganter distinguit Muretus. Est diligenter, ait, animadvertenda vis vocum, ne, ut quidam, errore ducti idem esse consuetudinem et exercitationem putemus. Etenim in *consuetudine* saepius idem fit, at in *exercitatione* usque ad aliquem modum paullatim adsidue aliquid additur. Itaque *consuetudine* fit, ut idem semper facere velimus: *exercitatione*, ut quotidie maius aliquid praestare possimus. Est, qui diutissime se ita adsuefecerit, ut senas uncias cibi quotidie caperet, neque plus umquam neque minus, sed sex uncias ipsas. Huic sive quid detraxeris, sive addideris, offendetur. At Milo Crotoniates, quum vitulum quotidie gestaret humeris, etiam taurum effectum gestasse narratur. Exercitatio haec fuit. Crescebat enim paullatim vitulus, et sic quotidie aliquid accedebat ad pondus illius. Sic, qui hodie viginti versus edidicerit; si cras imperet sibi, ut ediscat viginti quinque, perendie, ut triginta, atque ita quotidie addat aliquid, paullatim ad quingentos, aut eo amplius perveniet. Interest igitur inter *consuetudinem* et *exercitationem*. *Consuetudine* fit, ut idem facilius, et libentius fiat; *consuetudo* esse potest sine ullo conatu, ut *consuetudo* vescendi quotidie auctis cibis, aut a prandio dormiendi: at *exercitationi* semper conatus aliquis adiunctus est. Crenius animadv. P. III. p. 113.

Consvl est tutor annuus reipublicae, seu senatus praeses, publicorumque consiliorum director. Dicebatur quoque olim is *consul*, qui exercitui solus imperabat; *Consularis* autem est vel qui ipse *consul* fuit, vel cuius maiores etiam *consulatum* gesserant. Unde *consularis* dignitas, et *consulare* officium. H.

Consvlatvs est dignitas et potestas consulum ordinariorum, aut suffectorum etiam; *consularitas* vero est consulum honorariorum dignitas, qui nudam dignitatem, non administrationem a Iulio Caesare consequebantur. Cassiod. VI. Epist. 21. adde L. IV. C. de Consul. R.

Digitized by Google

CONSVLTA appellantur, quaecumque de consilii sententia statuuntur; *Decreta* sunt, quae praefectus aut magistratus sine consilio singulis de rebus pro suo iudicio decernit et pronunciat, ideoque decreta sunt vel interdicta, vel ipsa *consulta*, vel scita. Unde Ciceronianae formulae: decretum facere, atque decretum interponere. Sallust. Iug. XI: Oportere quinquennii *consulta* et *decreta* omnia rescindi. Liv. III: Levius enim vaniusque profecto est sua *decreta* et *consulta* tollere, quam aliorum. Sed senatus consultum et senatus decretum aliter differunt, ut suo loco dicemus.

CONSVLTOR est, qui consulit; *consultus* qui consulitur, seu a quo consilium est petitum. Quando autem est nomen, et non participium, (uti h. l.) ponitur pro iuris prudente. *Consultum* vero res ipsa, de qua consulitur. Serv.

CONTEMNERE est parvi ducere; *Despicere* infra se existimare; *Spernere* cum fastidio reiicere et segregare; ideoque sunt nonnulli, qui verbum spernere a separando deductum esse existiment, quoniam ea, quae fastidimus, reiicere ac quasi a nobis separare solemus. Ita *contemnere* plus est, quam (1) *despicere; spernere* plus, quam utrumque istorum. Cic. pro Muraena XXXVII: Rempublicam despexit atque con-

(1) Despicere gravius est, quam *contemnere*. Cic. de Senect. *Contemni* se putant, *despici*, illudi. Non. R. Ausonio Popma rectius scholiastes Ciceronis in Verrem I. 3: *Despicimus* inferiores, *contemnimus* aequales, aut *despicimus* vultu, *contemnimus* animo, nam *despicio* notat aliquem tamquam se inferiorem intueri. Cicero pro Rosc. Amerino XLVI: Ut omnes despiciat, ut hominem prae se ferat neminem. At *contemno* est aliquem, licet aequalem, non curare seu negligere. Quando igitur haec duo verba coniunguntur, etiam atque etiam considerandum est, utrum de aequali aut superiore an de inferiore dicantur. Nam inferior despiciendo plus committit, quam *contemnendo*. Cic. in Verr. I. 15: Itaque a P. R. *contemnimur*, despicimur, scil. senatores. Contra quum aequalis aut superior *despicere* et *contemnere* dicitur, tum *contemtus* praestat *despicatui*. Idem Cicero d. c. 3. de Verre, qui iam praetor et propraetor fuerat, non usque eo despiceret *contemneretque* ordinem senatorum. Idem de Offic. II. 10: Despiciunt autem eos, et *contemnunt*. Interim si quis per haec duo verba simul posita maximum quemque *contemtum* significari existimaverit; non opinor, auctoritatibus plane destituetur.

Digitized by Google

temsit. Id. Offic. II. 10: Despiciunt autem eos et contemnunt. Ter. And. I. v. 13: Quot modis *contemtus*, spretus?

CONTENTIO, erat illa pars orationis in accusatione coram iudice, quae non crimen illud solum, quod intendebatur, sed totius praeteritae vitae criminationem complexa est, testibus et argumentis quibuslibet adhibitis; *Peroratio* vero erat pronunciatio gravis et vehemens, *contentioni* subiecta, ad commovendam misericordiam, aut quemcumque causa postulabat motum. R.

CONTENTVS si derivatur a verbo tendo, et participium est, notat intentionem, cuius contrarium est remissus, laxus. Iam *contentus*, iam laxus funis, Hor. Sat. II. 7. 20. *Contentus* arcus, Ovid. Rem. Am. 435. *Contenti* oculi, Svet. Tib. VII. *Contento* studio cursuque, Cic. pro Sext. VI. *Contentus* autem, quando deducitur a verbo teneo, et adiectivum est, quemadmodum Valla I. 15. scribit, dicitur, qui continet, quod animo satisfacit, e. c. contentus sua sorte. V. Fabr.

CONTINENTIA ab affectibus, *Abstinentia* ab alienis, *Temperantia* ab omnibus. R.

CONTINERE MEMORIA et MEMORIA COMPLECTI non sunt synonyma. Sen. in prooem. controv.: Et non ad complectenda tantum, quae vellem, velox erat mihi memoria; sed etiam ad continenda, quae acceperat. Discrimen harum vocum per se patet.

CONTINGVNT bona, *Accidunt* mala, *Eveniunt* utraque. Agr. R.

CONTINVE fit, quod adsidue, i. e. semper; *continuate*, quod sine intermissione; *continuo*, quod statim et nulla interposita mora.

CONTRA, particula antitheseos est; *rursus*, et *iterum* iterationis; *vicissim* ἀναστροφῆς, reciprocationis seu conversionis vel alternationis. Interim haud negandum, Ciceronem, et alios probae notae scriptores, alicubi dicere *rursus* pro *contra*. *Rursus* etiam poni video pro *vicissim* apud Iul. Caes. B. G. VII. 47. *Contrà* etiam nonnumquam pro *vicissim* poni videtur, sed ita, ut fere simul contrarietatem significet Gocl. obs. 36. sc.

CONTRARIVM est negotium: *Adversarius* est homo; C. Fr. Neque enim exempla desunt in contrarium.

Digitized by Google

CONTVMELIA gravior est, quam *iniuria*; haec generaliter, illa autem specialiter consideratur. Ex quo apparet, contumeliam plus esse, quam iniuriam. Hinc est quod contumelia tamquam verbum aliquod gravius, apud bonos scriptores, iniuriae in verborum collocatione postponatur. Nam *contumelia* dignitatem alterius atterit, et minuit: *iniuria* laedit famam, vel damnum infert, aut iniuste agit. Haec enim tria specialiter *iniuria* significat. *Convicium*, ut in actione iniuriarum; *damnum* culpa datum; ut in Lege Aquilia; *iniquitatem*, et *iniustitiam*: ut tradit Ulp. L. v. § 1. D. ad Leg. Aquil. Sallust. Cat. LVII: *Iniuriis contumeliisque* concitatus. Cic. Verr. VI. 9: Quibus tu privatim *iniurias* plurimas, *contumeliasque* imposuisti. Sen. Clem. I. 10: *Contumeliae* acerbiores principibus esse solent, quam *iniuriae*. *Contumeliam* inferunt, *iniuriam* patiuntur homines. Fronto. Pacuvius in Periboea, ubi Nonius hunc locum sic illustrat; Iniuria levior quaedam res est contumelia. Patior facile iniuriam, si est vacua *contumelia*.

CONVICIVM, quasi *convocium*, a conventu sc. multarum vocum seu a multitudine vocum confusarum conveniente. *Convitium* notat labem vitiumve aedificiorum. Lib. Ortograph. p. 50. R.

CONVENIT in unum, *Coit* in multos. Fronto.

COPIAE de exercitu num. plurali dicimus; *copia* vero aliarum rerum est. Alias *copia* a *varietate* sic distinguitur, quod potest esse *copia* aliquarum rerum sine *varietate*; ut si quis Virgilios, ut ita dicam, mille habeat, et praeterea nullos poëtas alios, magnam hic quidem copiam librorum habet Virgilii, sed non poëtarum varietatem. Sic in oratione, qui uno modo dicunt, iisdemque perpetuo verbis utuntur, copiosi quidem esse, et dici possunt, sed nulla dicendi *varietate* delectant. *Varietas* vero non sine copia est. R.

CORAM indiget adiectione; *Palam* non indiget. *Coram* ad certas personas refertur (1), ut: *Coram*, quem quaeritis, adsum: *palam* ad omnes. Donatus.

(1) Lege Ioannis Strauchii, Icti summi, lexicon particularum iuris p. 36. col. b., ubi videndum, particulam *coram* non solum proximitatem sed et praesentiam intellectualem aeque ac personalem significare.

Digitized by Google

CORINTHIVM seu CORINTHIENSEM civem dicimus, *Corinthiacum* vas, inquit Fronto. Contra Sveton. Aug. LXX: Vasa corinthia: et Cic. Verr. IV. 34: Corinthia supellex.

CORIVM est durius et maiorum animalium, ut bovum, equorum; alii dicunt, *corium* proprie esse eorum animalium, quae crassiorem ac duriorem pellem habent, quod et scortum dicitur. *Pellis* est tenuior, et minorum animalium, ut hominis, leonis, ovis, canis etc. At hoc *corium* est crudum. *Pellis* est corium maceratum atque emollitum, seu cutis a carne detracta (aut etiam elaborata) mollior. Varro LL. VI. 5: Etiam nunc dicimus scortea ea, quae ex corio et pellibus sunt facta. Id. de Vita Populi Rom. II: Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant. Sallust. Histor. IV. De pecore coria recens detracta. Hoc discriminis non semper observatur.

CORNVS ipsa arbor dicitur (1): pomum vero *cornum* et *corna*: Virg. Aen. III. 647: Lapidosaque *corna*.

COROLLARIA sunt ea, quae praeter debitum addita sunt, tamquam actuaria et superpondia. Spieg. *Corollariae* autem corollae erant, e lamina aerea, vel argentea tenui inaurata, aut subtiliter inargentata, quae ob gracilitatem *corollae* eleganter appellatae sunt. Turneb. Lib. XVIII. Advers. c. 29.

CORONA et DIADEMA ita differunt. *Corona* civium privatorum est, et illorum etiam, qui magistratum gerunt, quibus honos defertur, nec est tantum regni, sed etiam victoriae insigne; *diadema* tantummodo regum est.

CORONAE (2) sunt, quae cingunt et ambiunt caput, aut collum, aut pocula (3); *serta*, quae demissa pendent, quod ge-

(1) Haec arbor habet ramos duritie et rigiditate cornibus (unde et isti nomen) non absimiles, et reddit fructum circa solstitia primo candidum, postea sanguineum. Ex eo genere foemina post autumnum fert baccas acerbas et cunctis animantibus ingustabiles; ligno quoque fungoso est atque inutili. Vid. Perotti Cornu copiae epigr. I. col. 24. lin. 44. seqq.

(2) Virginis est sertum, clerici corona, poëtae laurea; quod gestat rex, diadema vocatur. R.

(3) Eius originationem atque synonymiam vide in libello nostro de poëtarum corona historico-philologico cap. I. § 7. seqq. p. 8. seqq. edition. Cygn. Ut autem corona non solum magistratuum, et sic regni atque victoriae quoque, sed et civium privatorum est insigne; ita diadema tantum insigne regum est.

Digitized by Google

nus Cicero de Leg. II. vocat longas coronas, Ovidius Fast. II. 537: proiectas. Ita enim canit: Tegula proiectis satis est velata coronis. Plaut. Asin. IV. I. 58: Tum si coronas, serta, unguenta iusserit. Lucret. IV. 1124: Pocula crebra, unguenta, coronae, serta parantur. Arnob. VII. Etiam Dii sertis, coronis afficiuntur et floribus.

CORPOREVS ex corpore, *corporalis* in corpore. R.

CORRIGERE est rectum facere, et in locum suum restituere; *Emendare* vero est ab omni macula et labe purgare, quod plus est. Liv. LII: Si quid fecerim imprudentia lapsus, corrigi me ac emendari hac castigatione posse. Cic. Leg. III. 13: Emendari et corrigi continentia. Tac. Hist. I: Aut ipse praedicat emendata et correcta. Plin. Paneg. VI: Corrupta est disciplina castrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres.

Sic *corrigimus* quoque prava; *Inflectimus* autem, quae fuerunt recta. Haec differentia non satis ubique custoditur a veteribus.

CORRVPTELA ipsa res est, quae vim rumpendi habet, ac propterea corrumpit. *Corruptio* corrumpentis administratio. Front.

CORRVPTVM est, quod aliquo modo vitiatum aut violatum aut ruptum aut prorsus est destructum; *Depravatum*, quod distortum, contaminatum, pravum factum et perversum est. Cic. Offic. II. 20: Corrupti mores sunt depravatique admiratione divitiarum. Id. pro Muraena XII: Iurisconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. Id. Finib. I. 21; De quibus neque depravate iudicant, neque corrupte.

CORRVPTA iudicia sunt in iis, qui acceperunt pecuniam, *contaminata* in iis, qui offensione ordinis infamantur. Paedian. R.

CORYLI, proprie dicuntur. *Avellanae* ab Avella, oppido Campaniae, ubi abundant, nominantur. Serv. R.

COSMETAS et ORNATRICES distinguit vetus scholiastes Iuvenalis, qui sat. VI. 476. haec habet: Ponunt Cosmetae tunicas, tarde venisse Liburnus Dicitur. Scholiastes cosmetas eos dicit, qui ornamentis praesunt, non ornatrices; nempe forma nominis masculina est, feminina est *κοσμήτρια*; v. Gesneri thes. h. v.

Digitized by Google

Crassari in corporeis est et sanguineis: *Grassari* aut animi aut crudelitatis. Agraet. R.

Creare est ex nihilo aliquid gignere; sed *facere*, praeter productionem operis cuiusdam, etiam faciendi, h. e. dandi, solvendi, numerandi, iudicandi, ambulandi, reddendi, aliarumque rerum et actionum causam complectitur. Leg. Martini Chemnitii Pars I. Loc. theolog. p. 279. H.

Credimvs, quod plerumque falsum est, *intelligimus*, quod verum est et certum. Donatus. R.

Creditvm et Mvtvvm L. I. et II. D. de Reb. cred. ita differunt, ut genus, et species. Nam *creditum* etiam consistit extra res eas, quae pondere, numero, mensura continentur: sicuti si eamdem rem recepturi sumus, creditum est. Creditum significat usuras quoque, de quibus fidem habere dicebatur creditor, quod eas suo tempore non exegisset, sors ipsa non tam credita, quam usuris occupata et locata erat. Conf. Schardii Lexicon iurid. pag. 257. col. b. At *mutuum*, si non eamdem rem, sed aliud tantundem, id est, eiusdem naturae et qualitatis cum eo, quod dedimus. Ideoque pariter atque aequaliter respondens haud inconcinne dicitur. Item *mutuum* non potest esse, nisi proficiscatur res aliqua, et de meo tuum fiat; *creditum* autem fit interdum, etiamsi nihil proficiscatur, veluti si post nuptias dos promittatur, aut stipulatio ad obligationem comparandam interponatur, ut est in libris Iurisconsultorum.

Crepitvs est sonitus violentus, ex impulsu resultans, v. c: cymbala tympanaque, tubae et cornua, similiaque crepitant. *Strepitus* fit ex corporum tactu, sive collisione rerum, et multarum vocum in unum confusione, dummodo ne sit immodicus, tunc enim dicitur *fremitus*, v. g. in mari sonus fluctuum, et in populo murmur vocatur fremitus; strepitus autem proprie pedum ambulantium, manuumque aliquid pertractantium sonus est: *stridor* est acrior et quasi sibilans collisio, v. g. stridor dentium, ianuae, plaustri.

Crimen persaepe quamquam notat accusationem, et sic etiam in privatis adhibetur (Plin. Ep. I. 20), et generaliter notat factum, quod malum iudicatur; est fraus capitalis, qua respublica laeditur, veluti caedes, falsitas, adulterium, vel

Digitized by Google

quando quis contra principem, vel urbem aliquid molitur, aut qui profugit ad hostes, vel illos iuvat qualicumque causa, scilicet armis, consiliis vel pecunia. *Delictum* vero privata noxia, qua privatim quisque laeditur, unde delictum, et quidem ex Ciceronis mente, domesticum atque vernaculum crimen optime appellatur. Veluti furtum, iniuria. Lib. XVII. § 16. ff. de Aedil. edict.

CRIMEN non modo pro delicto, sed pro ipsa etiam criminatione accipitur; *Flagitium* proprie in libidine, quasi flagris dignum crimen, sed pro ceteris quoque peccatis accipitur, quae infamiam habent.

CRIMEN MAIESTATIS est, quod adversus populum romanum aut securitatem eius committitur. *Crimen perduellionis* sub illo tamquam species sub suo genere comprehenditur; est vero illius, qui hostili animo adversus rempublicam vel principem animatus est. Ulp. R.

CRVSTAE sunt laminae inauratae, quae poculis, aut vasis inferuntur, ut vix refelli possint; italice: *riporti di basso rilievo*. Proprie vero denotant tegumenta duriuscula, quae carni assatae plerumque obducuntur. *Emblemata* (1) sunt ornamenta pretiosa, quae scyphis, speculis, absidibus, vasisque affinguntur, ita tamen, ut sint exemtilia; Italis: *riporti di alto rilievo*. Cic. in Verrem VI. 23: Crustae, aut emblemata detrabuntur: Sic Haluntini, excussis deliciis, cum argento puro domum revertuntur. Paulus ad Vitellium L. II. 1. 32, § 1. ff: Cymbia argentea crustis aureis illigata. Nos: *Nappi d'argento con intarsiature d'oro*. Id. Aurea emblemata, quae in absidibus argenteis essent.

CRVSTAM cum dicimus feminino genere, lapidis aut ligni aut gelu partem significamus: cum vero *crustum*, edulium aliquod significamus, partem panis vel placentae. Virg. VII. 114: Orbem fatalis crusti. Hor. Sat. I. 1. 25: Dant crustula blandi doctores etc. Serv. R.

(1) Alias emblemata, quae Graeci ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλειν, hoc est, ab interserendo derivant, trifariam distinguuntur, ut quae in parietibus fiunt vermiculata; quae in lignis, segmentata; et quae in pavimentis, tessellata plerumque appellentur.

Digitized by Google

CVBICVLARIVS est, qui cubiculum custodit; hoc est, minister cubiculi, seu qui nobis administrat in cubiculo. Quod nomen summae dignitatis fuit apud Romanos, maxime temporibus imperatorum, ut testatur Svetonius, qui nominat Augusti et Neronis cubicularios, et Domitiani decurionem cubiculariorum, qui scilicet, ad similitudinem militiae, cubiculariorum ordinem ducebat. *Cubicularis* est aptus cubiculo, ut lectus cubicularis, in quo veteres dormiebant, sicuti in tricliniari accubantes cibum sumebant. Cic. in Verrem v. 4: Hunc vestri ianitores, hunc cubicularii diligunt. Id. de Div. II. 65: Quidam somniavit ovum pendere e fascia lecti sui cubicularis.

CVIVS ad personam refertur; *Cuiatis* unde significat. Attius in Telepho, p. 39. Fragm. Vett. Poëtar. Qui neque *cuiatis* esset unquam, potuimus multi rogitantes resciscere.

CVLLEVS et UTER non sunt eadem. Corn. Nep. Eum. VIII: Ad hanc rem conficiendam imperavit quam plurimos utres atque etiam *culleos* comparari. Heusingerus ad h. l. ita: Utres ad aquam in itinere portandam adhibitos saepe legimus, non et culleos. Nec satis constat, quae culleorum, et utrium sit differentia. Sed van Staveren: Saccus inter vasa militaria traiiciendo amni aptus.

CVLMVS est ipse calamus frugum seu frumenti, in primis a radice ad spicam usque, quem veteres a colendo columum dixerunt. Unde et columen primo, postea *colmen*, seu *culmen*, quod non solum tectum e culmo stramineum, sed et tecti cuiusdam, seu cuiuslibet rei cacumen denotat. *Stipulae* vero folia, quae ambiunt culmum; in specie autem *stipula* id denotat, quod post messem in campo remanet. Serv.

CVLTVS est in vestibus, gemmis, auro et argento; *Ornatus* est in cura comendi capitis, poliendaeque et ornandae cutis, ut ostendit Tertullianus in libro De habitu muliebri: Habitus, inquit, feminae duplicem speciem circumfert, cultum et ornatum. *Cultum* dicimus, quem mundum muliebrem vocant, *Ornatum*, quem immundum muliebrem convenit dici. *Ille* in auro et argento, gemmis et vestibus deputatur; *iste* in capillorum et cutis et earum partium corporis, quae oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intenditur; alteri prostitu-

Digitized by Google

tionis. Cic. Fragm. ap. Non. vI. 98: Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae. Liv. xxxiv. 7: Munditiae et ornatus et cultus haec feminarum insignia sunt, his gaudent et gloriantur; hunc mundum muliebrem appellarunt maiores nostri. Cyprianus De disciplina et habitu virginum: Ad *cultum* atque *ornatum* tuum iusto fine moderandum. Sed interdum utriusque vocabuli notio latissime patet, et *ornatus* significat omne, quod ornamenti gratia adhibetur: *Cultus* vero omnia continet; excepto victu, quibus utuntur homines, vel ornamenti, vel commodi, vel delectationis etiam causa. Alii aliam inter *cultum* et *ornatum* constituunt differentiam, dicendo: *Cultum* proprie ad rem rusticam pertinere; nonnumquam etiam extra rem esse rusticam. Cum vero sit extra rem rusticam, vel activam, vel passivam significationem in se habeat. *Ornatus* autem dicitur cultus ipse, quo quis ornatur: ut cum dicimus aliquem tragico, vel comico *ornatu* prodire. Et haec propria videtur esse ornatus significatio; extra quam tamen saepissime egreditur referturque ad alia: ut cum appellamus ornatum orationis, et intelligimus vel verborum splendorem, vel sententiarum gravitatem atque lumina. Vid. Doleti phrases et formulae elegantiores LL. fol. b. col. 1. *Cultus* etiam necessitatis, *ornatus* autem voluptatis est. Svet. Calig. LII: Triumphalem quidem ornatum, etiam ante expeditionem assidue gestavit. Cic. in Oeconomico: Quid si vestem et ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat, quam tu habes? Id. ad Varronem: Eumdem cultum, eumdemque victum esse. Et Offic. I. 4: Student parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum.

Cvpes et Cvpedia antiqui lautiores cibos nominabant, inde et macellum et forum cupedinis Romae appellabant; *cupedia* autem a cupiditate sunt dicta. Fest. R.

Cvpido poëtice est ardens cupiditas, et propterea inconsideratae necessitatis; *Amor* vero iudicii. Amores autem in plurali numero semper pro turpibus atque venereis, immo et pro deliciis sumuntur. Alias amor pietatem, gratiam, benevolentiam ac studium etiam designat. Plaut. Fragm. apud Non. v. 1: Cupido te conficit, anne amor? *Cupiditas*, quod

Digitized by Google

pars quaedam sit temperatior, defluens ex cupidine, levior est, quam cupido. Lucilius XXIII. Cupiditas ex homine, *cupido* (1) ex stulto numquam tollitur.

CVPIO est cum vehementi affectione appeto: unde apud Ciceronem pro Sext. Rosc. Amer. summe aliquid cupere et apud Ter. Adelph. v. IX. 36: impense cupere, (h. e. quaecumque lubent) legitur. *Volo*, modeste seu rationabiliter aliquid appeto, vel desidero, adeoque *hoc* simplicem animi motum, *illud* ingens desiderium notat. Cic. de Rep. II: Non gravarer, Laeli, nisi et hos velle putarem, et ipse cuperem, te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere. Id. Senect. Speramus, volumus quidem certe, senes fieri. Ib. Volumus sane, nisi molestum est. It. Cupimus mala et turpia. Volumus bona et honesta. Afranius ap. Non. v. 1: Amabit sapiens, cupient ceteri. Quae tamen differentia non semper observatur, ut ex Cicerone et Terentio ostendit Augustinus Lib. XIV. de Civitate Dei his verbis: Apud auctores secularium litterarum talis istorum verborum indifferentia reperitur. Ait enim Cicero, orator amplissimus: *Cupio*, patres conscripti, me esse clementem. Quia hoc verbum in bono posuit, quis tam perversus doctus existat, qui non eum *cupio* sed *volo* potius dicere debuisse contendat. Porro apud Terentium in Andria flagitiosus adolescens, insana flagrans cupidine: Nihil volo aliud, inquit, nisi Philumenam. Quam voluntatem fuisse libidinem, responsio, quae ibi servi eius senioris inducitur, satis indicat.

CVR simpliciter percontatur: *Quare*, causam rationemque desiderat. Front. R.

CVRA est in consectatione et conservatione et spe bonorum: ideoque cura dicitur attenta cogitatio de re quapiam recte expedienda. Rodulphus Coclenius in Observationibus LL. p. 229. curam adiungit operae, dicendo: Illam esse

(1) Plaut. Curcul. I. 1. 3, discrevit, et vim eiusdem diversitatis expressit, dicens: Quo venus cupidoque imperat, suadetque amor. Cupidinem quum genere femineo dicimus, cupiditatem significamus. Virg. Aen. VI. 721: Quae lucis miseris tam dira cupido? Quum masculino, deum ipsum. Plaut. Mercat. Cupido quantus es? Non. Marcell. R.

Digitized by Google

animi; hanc vero ad corpus et ad animum simul, sicut et diligentiam, pertinere. *Sollicitudo* in metu malorum. Unde et pro ipso metu atque angore ponitur. *Sollicitudo* igitur plus est quam *cura*, unde veteres in coniungendo *illud* posteriori loco posuerunt. Ter. Phorm. II. 4. 1: Quanta me cura et sollicitudine afficit gnatus! Cic. ad Dolab. post ep. 14 Libr. XV. ad Att.: Magna cura et sollicitudine liberare aliquem. Plin. Epistol. V. 6: Amavi curam et sollicitudinem tuam. Neque tamen hanc *ἀκρίβειαν* ubique custodivere antiqui. Svet. Calig. XIV: In testificanda sollicitudine et cura de incolumitate eius.

CVRATIO (1) proprie medicorum est; *Cura* reliquorum. *Curatio* et medicinae et mentis; *Curatura* diligentiae. Donat. v. Barth. ad script. Venat. p. 129.

CVRATORES sunt, quibus mandatur rei alicuius curatio, seu ad quos spectat cura puberum et eorum qui negotiis superesse non possunt, quales sunt prodigi, furiosi, dementes ac perpetuo aliquo morbo impediti. Hinc Ciceronianum illud: curatorem constituere. *Curatores* etiam feminis constituuntur. *Tutores* dantur impuberibus, qui se per aetatem defendere non possunt. *Illorum* munus curatio (2) appellatur: *horum* tutela, de quibus prolixe tractant iurisconsulti tit. Instit. de Tutel. et Cur., et alias horum verborum differentias tradunt ad ius pertinentes, quas nihil est necesse heic referre. Sed alii scriptores, et maxime poëtae, hanc differentiam confundunt, apud quos tutelae nomen generale est. Hor. Satyr. II. 218.: Interdicto huic omne adimat ius Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.

CVRIA locus est, ubi publicas curas gerebant. *Calabra* curia dicebatur, ubi tantum ratio sacrorum gerebatur. *Curiae* etiam nominantur, in quibus uniuscuiusque partis populi romani quid geritur. *Curiata* comitia, a curiis appellata. Fest. R.

(1) Procuratio est sacrificium, quod ad depulsionem et expiationem monstrorum, aut portentorum fit, et ea gratia rem divinam procurare est monstra procurare. Gocl. ad Liv. v. 15. R.

(2) Curatio quoque munus est, a nobis susceptum, ad quod exequendum curae nostrae ferantur. Competit et medicis, quoniam in ea diligens versatur cura.

Digitized by Google

CVRIALES eiusdem curiae, ut tribules et municipes. *Curules* equi, quadrigales. *Curules* magistratus appellati sunt, qui curru vehebantur. Fest. R.

CVRRVS, quo honeste vehimur; *Plaustrum* agricolae et mercatores in frumentis, lignis, mercibus deportandis usurpant; *Rheda* sive *carpentum* celeritate et agilitate se commendat; *Petoritum*, penult. correpta, seu *pilentum*, seu *carruca* quae Livio I. 21. currus arcuatus dicitur; *Essedum* in praelio; *Carrus* vel *carrum* in muniendis oppidis aut castris, aut inserviens impedimentis devehendis. *Curru* vehebantur triumphatores et aediles, qui hinc curules dicti sunt. *Plaustra* vocantur stridentia et gementia. *Carpentum* a Livio I. 48. tribuitur Tulliae, Tarquinii Superbi coniugi, quod per patris egisset corpus cruore adhuc suo madidum, ac *rheda* belli praefectis, qua celeriores cursus perficiant. *Petorita* et *carrucas* auro argentoque caelatas, eboreque amictas, atque a senatoribus non tantum, sed ipsis imperatoribus quoque usurpatas fuisse legimus. *Essedis carrisque* superstans armatus hostis, ingenti sonitu equorum rotarumque advenisse dicitur apud Livium X. 28. et pro vallo carrus obiecerant apud Iul. Caes. B. G. I. 26. Nec tamen hoc discriminis accurate satis ubique observatum.

CVSTODIAE appellatione sola publica intelligitur, qua rei continentur (1) L. 224. D. de Verb. Sign. *Vincula* tam privata sunt, quam publica. Itaque in *custodia* esse dicitur, qui in carcerem detrusus est, vel aliqua publica custodia coërcetur: in *vinculis* autem, quicunque vinctus est, sive publice a magistratu, sive privatim (2), ut captivus a latronibus, aut praedonibus, servus a domino. Quae differentia a iurisconsultis tradita ab aliis quoque auctoribus observatur. Plaut. Capt. II. 2. 4: Ita vinculis custodiisque circummuniti sumus.

(1) Veteres minime incommode dixerunt Custodelam: et quoniam hoc vocabulum non est actionis solum, sed et personae, fit, ut I. pro fide eius, qui rem custodit: II. pro eo, cui rem damus in custodiam, accipiatur.

(2) Ideoque vincula ponuntur quoque pro carcere, in quo noxii vincti, servantur. Vinculum autem in singulari numero ligamen designat.

Digitized by Google

Cic. in Catil. I. 8: Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipsum iam dignum custodia iudicaverit. Sallust. Catil. LI: Publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia. Id. Ib. LII: Pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos.

Cvtis est in carne, seu corpori adhaerens et vivorum; detracta corpori *Pellis*. R.

Cymbalvm et Crotalvm differunt. *Crotalum* erat calamus fissus, ut sonet, si quis eum verset manibus. *Cymbala* ergo tinniebant, *crotala* crepabant. *Cymbala* bina et maiora ambabus manibus, *crotala* vero quaterna atque adeo singulis manibus bina percutiebantur. Lamp. de Cymbalis I. 5. R.

D.

Damnati ad gladivm, (alias vocantur damnati ad ferrum, sicuti tradit Alciatus Lib. I. Parerg. Cap. 32. Conf. Barnabae Brissonii l. v. de formulis et solemnibus P. R. verbis p. 486), erant, qui in ludum dabantur, ut confestim, aut certe intra annum a gladiatoribus ferro consumerentur. *Damnati ad gladii ludum*, sive *ad ludum gladiatorium*, qui poenae causa in *ludo* depugnabant, et expleto tempore legitimo, veniam atque missionem a magistratibus consequebantur. *Illud* inter supplicia, quae vitam adimunt; *hoc* in mediocrium poenarum numerum referebatur. Ulp. L. VIII. de Officio proconsulis: Est differentia inter eos, qui ad gladium, et eos, qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati confestim consumuntur, vel certe intra annum debent consumi. Hoc enim mandatis continetur. Enim vero, in ludum damnantur, non utique consumuntur, sed etiam pileari et rudem accipere possunt post intervallum, siquidem post quinquennium pileari; post triennium autem rudem induere eis permittitur. Paullus Lib. v. Sententiar. Summa supplicia sunt crux, crematio; mediocrium autem delictorum poenae sunt metallum, ludus, deportatio: minimae relegatio, exilium, opus publicum, vincula. Sane qui ad gladium dantur, intra

Digitized by Google

annum consumendi sunt. Capitolinus in Macrino: Servos, qui a dominis fugissent, repertos ad gladii ludum deputabat.

DAMNATI IN METALLVM dicebantur, qui arctioribus vinculis alligati in ipsis metallorum fodinis tenebantur, nec se inde poterant movere. Vid. Schardii lexicon iuridicum p. 268. col. 2. ubi legendum, Ulpianum hanc differentiam quam fusissime explicare. *Damnati in opus metalli*, qui dumtaxat operi metallico addicti et mancipati levibus vinculis coërcebantur. Nam inter hos differentia in vinculis tantum est, ut scribit Ulpianus L. 28. § 6. D. de Poen.

DAMNVM (1) significat amissionem et ademtionem quarumcumque rerum, quas habuimus; ideoque videtur nomen habere a demtione, cum minus re factum, quam quanti constitit. *Detrimentum* autem diminutionem, vel attenuationem, et est quasi detritu factum damnum; quod quidem minus est, quam damnum. Cic. Verr. v. 98: Etiamne haec tot detrimenta atque damna cum maximis iniuriis contumeliisque perferetis? Hinc *damnum* etiam significat sumtum et expensas, quod patrimonia obsumunt et minuunt; et *damnosus* sumtuosum profusum. Iuv. Satyr. VI. 508: Nulla viri cura interea, nec mentio fiet Damnorum. Hor. Sat. II. 8. 34: Nos, nisi damnose bibimus. Plaut. Truc. I. 1. 44: Et minus damnosorum hominum, quam nunc sunt, siet. Svet. Ner. XXXI: Non in alia re damnosior, quam in aedificando. *Detrimentum*, quod usu detritum est; *Dispendium* detexitur in ponderibus; *Iactura*, quod iacitur ex onere navis. Fronto.

DAPES regum sunt; *Epulae* privatorum. Vel: *Dapes* deorum sunt (2); *Epulae* hominum. Serv.

(1) Damnum rei est, malum ipsius hominis. R.

(2) Heic notandum, dapes non deorum dumtaxat esse epulas, aut nostras in deorum sacrificiis adhibitas, sed largiores et opiparos apparatus quoque, conf. Virgilii Georg. II. 133. Daps autem singulari numero, quod et nonnumquam pro epulo ponitur opiparo, apud antiquos dicebatur res divina, quae fiebat, aut hyberna semente, aut verna. Quod vocabulum ex Graecis deducitur, apud quos id genus epularum Δαὶς vocatur. Conf. Festi lib. IV. Antiqu. Romanar. col. 1145. Gunth. lat. restit. p. 167. Valla lib. IV. c. 23. I. H. Ursinus obs. phil. c. 6. Poëtae, ut verborum differentiam insuper habent, ita et heic eius incuriosi sunt. Virg. Aen. I. 3.

Digitized by Google

Dare, Dicere, Addicere, tribus hisce verbis totum praetoris munus continetur. *Dabat* enim praetor actionem et exceptionem, bonorum possessionem, *dabat* etiam iudices, arbitros, recuperatores, tutores. *Dicebat* vero viam in vindiciis, dicebat interdicendo, quoties de possessione agebatur, indicebat, advocata concione, ferias, si quando terra in urbe tremuisset. *Addicebat* denique, veluti facta in iure cessione, mancipatione.

Dare est transfundere in alium dominium rei. *Tradere* est nudam rei possessionem alteri cedere, non proprietatem. Itaque si quis stipuletur, rem suam sibi *dari*, erit inutilis stipulatio: at contra utilis, si *tradi* stipuletur. Interdum tamen haec duo confunduntur, ut in contractu emtionis, in quo cum iuncta et nexa sint possessio et proprietas, illa *dari*, haec *tradi* principaliter, et facto ipso dicitur, ut scribunt iurisconsulti. Sed Donatus dicit, *dare* esse, quod repetas, *dedere* ad perpetuum; itaque deditum esse alicui significat non tantum a mandato alicuius, sed velut etiam nutu pendere, quod est imperii prorsus absoluti, et consequenter servitutis extremae. Damus nos enim amicis, dedimus tantum hostibus.

Data a Donis et Mvneribvs distinguit Cic. pro Cluent. xxiv: Tantum *donis, datis muneribusque* praefecerat; ita enim h. l. interpungere iubet Graevius. *Data* Latinis sunt munera. Propert. iii. 13. 6: Heu nullis capta Licinna datis. Plaut. Pseud. I. 3. 72: Non est iustus amator, nisi qui perpetuat data. Hinc etiam Graevius defendit vulgatam Matth. vii. 11: Si ergo vos, quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris.

Decem numerum simplicem, hoc est, *decem* unitates significat. *Dena* vero cuilibet *decem*, unde denarius numerus, decem in se continens, ut si quis Ditio et Seio legavit *decem*, simpliciter *decem*, hoc est, cuilibet quinque; ac si Titio et Seio dena dari iusserit, cuilibet *decem* legavit. Sed interdum dena sunt decem, ut trina, vel terna, una tria, et similiter septena, octona, centena. Paulus Lib. ii. Quaestionum L. cxxvi. p. D. de Verb. Oblig. In annos singulos *dena* dari spondes, post triennium conditione existente triginta peti poterunt.

Digitized by Google

Decens in gestu est, et motu corporis; *Formosus* ab excellenti specie dicitur.

Decerno, Ivbeo, Volo, fuerunt verba solemnia in rogationibus, quae hoc differunt, quod *decernere* (1) est, causa cognita, certam proferre sententiam, seu certo tandem, quid aliquid sit, determinare. *Iubere*, *velle*, pro imperio aliquid statuere: illud est auctoritatis, haec sunt potestatis. Auctoritas autem erat in senatu, potestas in populo, ut loquitur Cic. Lib. II. de Leg. Ita *decernebat* senatus, *iubebat* et *volebat* populus, id est, suffragiis suis comprobabat. Sallust. in Iug. XL: Quantaque vi rogationem *iusserit*, *decreverit*, *voluerit*. Liv. XXXI. 5: Rogationem promulgavit: *vellent iuberent*, Philippo regi bellum indici. Arn. Lib. VII: Tantum esto mactus quantum *volo*, tantum amplificatus, quantum *iubeo*, tantum honoris assumito, quantum te habere *decerno*, et verborum circumscriptione definio.

Decipere est dolo malo circumvenire, seu verbo factove aliquem capere, et propterea deludere atque defraudare. Unde Ter. in Phorm. v. 8. 34: Non est aequum, me propter vos decipi. *Fallere* est a vero abducere, frustrari: fitque proprie verbis, cum nimirum contra facimus, quam diximus. Ideoque et a fando, hoc est, veri fuco aliquem in errorem inducendo, a nonnullis criticis non prorsus inepte deducitur. Sic *fallax appellatur*, qui mentiendo decipit. Fallit enim multos fallaciter conficta fallacia, qui ab illo falsi falsa quoque spargere, et falsitatem ad alios propagare solet (2).

(1) Decernere est de magnis rebus certam proferre sententiam, unde etiam senatus decretum. Donat. Decernere iurisconsulti proprie dicebantur, cum de iure dubio propriam et communi consensu probatam proferrent definitionem. Hinc Decreta Iurisconsultorum. R.

(2) Hanc differentiam reiicit *Dornmeierus* de vitioso Ciceronis imitatore § 59. Fallere a fando deduxit Varro, quod fando decipiamus. Gesnero magis placet etymologia a σφάλλω, φάλλω, φηλόω. De discrimine vero utriusque vocabuli nihil viro celeberrimo monere placuit. Pro differentia facere videntur sequentia. Cic. de Div. II. 116: Nam illa emphibolia, quae Croesum decepit, vel Chrysippum fallere potuisset. Ovid. trist. III. 1. 14: Labor fallitur et decipitur. Virg. Aen. IV. 17: Postquam primus amor deceptam morte

Digitized by Google

Sic mercatores, qui subdole agunt, et merces malas pro bonis venditant, vel minimum pretium poscunt, atque ita nos pecunia emungunt, non tam *fallunt*, quam *decipiunt*. Cic. pro Mur.: In eo quidem *fallis* et *decipis*. Ulp. ad edictum xI. Leg. I. D. de Dolo malo. Dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, *fallendum*, *decipiendum* alterum adhibitam. Cyprianus de Idolorum vanitate: Horum autem omnium ratio est illa, quae *fallit* et *decipit*, et, praestigiis celantibus veritatem, stultum et prodigum vulgus inducit.

DECLAMARE et CAVSAS AGERE distinguit Svet. de clar. rhet. c. vI. *Declamabat autem genere vario; modo splendide atque adornate: tum ne usquequaque scholasticus existimaretur, circumcise ac sordide, et tantummodo trivialibus verbis. Egit et causas, verum rarius, dum amplissimam quamque sectatur; nec alium in ulla locum, quam perorandi.* Plin. Ep. II. 14, queritur, adolescentulos obscuros a declamando irreverenter et temere transire ad causarum actiones. Bene Cellarius ad h. l.: Declamationes ad umbram et scholam pertinent, non ad forum et centumvirale iudicium; conf. Gesneri chrest. cic. p. 7. n. 5. Schottus in praefat. Controv. et Suas. Senecae et comment. ad Petron. Sat. c. 1.

DECRETA SENATVS, hoc est, ea decreta, quae a senatu sunt constituta, definita atque iudicata, a *consultis* distinguuntur, quod *decretum* sit particula quaedam Scti, ut cum provincia alicui decernitur, ita, ut *decreta* sint specialia, *consulta* generalia. Fiebat autem senatusconsultum aut per rogationem cum rogabatur unusquisque sententiam, quam verbis efferebat; aut per discessionem, quando plerique idem sentientes in unam partem pedibus ibant. Fest. ex Ael. Gallo. *Decretum* a *Sententia definita* differt, quod *haec* sine litis contestatione esse nequeat, tt. C. ut lit. non contest. sed bene *decretum*. Gl. in L. Sancimus, ibi per contumaciam C. ad SC.

fefellit, i. e. decepit ac destituit prior maritus. Differentia tamen non liquet. Ego, qui a parte illorum stare soleo, qui synonyma ab initio talia fuisse negant, facile mihi persuadeo, utrique vocabulo suam diversamque omnino adhaesisse significationem, quamvis hodie satis obscuram.

Digitized by Google

Trebell. *Sententia* in absentem ferri nequit, L. de uno ff. de re iud. sed *decretum* l. recusare pr. ff. ad SC. Treb. *Sententia* necessario habet adnexam absolutionem, vel condemnationem, L. 1. de re iud. non *Decretum*.

Decvs est instrumentum cuiusque, *gloria* quasi honoris merces. Fr.

Decvs honoris significat illam, (ut ita loquar), honorificentiam, quam ex bene gestis rebus adsequimur. *Decor* formae, *decorum* actionis. C. Fr. *Decor* communis est omnium, et is facit decentiam speciei: *Species* propria est cuiusque. Itaque *decor* in habitu est, et dicitur, quasi pulchritudo quaedam ex decentia rerum personarumque in locis et temporibus, sive in agendo, sive in loquendo. *Species* in membris, Front. *Decor* magis qualitates; *species* magis quantitates respicit. *Decor* quaedam decentia rerum personarum in locis et temporibus. *Decorum* decens est illud, quod communi opinione honestum hominibus videtur, v. g.: Non est decorum seni desipere, Valla lib. iv. c. 15: *Decus* in gestu est, et motu corporis: *formosus* ab excellenti specie dicitur.

Dedecoratvr, quod honestum est in animo, Hor. Od. iv. 4. 36: *Dedecorant* bene nata culpae; *Turpatur*, quod honestum est in corpore.

Dedere plus est quam *consentire*, quemadmodum in hostium potestatem hostes se dedunt. Donat. *Dedimus* tantum hostibus, *damus* amicis. *Dedere* est ad perpetuum, *dare* est, quod repetas. *Dedere* se pertinacibus, *obsequi* superioribus. Donat. R.

Dedicatvr Deo, Consecratvr, quasi sanctum constituitur. Hoc est, *dedicatur* Deo, quod illi debetur, *consecratur*, quod profanum est. Front. *Dedicatio* enim maius est, quam *consecratio*. *Illa* enim bona consecrata etiam alicui nomini dedicat, *haec* facit ex profano loco aut re sacrum. Sed haec vocabula, interdum quid diversum, interdum unum idemque significant. *Consecrationis* autem vocabulum ad bona privata pertinere magis videtur: *dedicationis* ad templa ex iis dedicata, quod locus templo constituendo priusquam ipsum templum aedificaretur, consecrari deberet; quod aedificatum, denuo dedicabatur.

Digitized by Google

DEDVCO est persequor, proprie autem idem est, ac ex loco superiori deorsum duco; Ciceroni vero idem est, ac quod arithmeticis abstraho ac detraho. *Diduco*, divido seu separo, hoc est, in diversas partes duco. Serv.

DEFATIGATVS et FESSVS ita differunt, ut *illud* de animo dicatur, *hoc* de corpore. Fronto. Enimvero contrarium patet vel ex Paulli Manutii not. ad Cic. fam. x. 19. Defatigatus de animo dicitur Ter. Andr. IV. 1. 46; Phorm. v. 3. 11.

DEFERRE AD SENATVM et REFERRE AD SENATVM, non sunt synonyma. *Deferre ad senatum* cuique licebat, non autem *referre*, quod consuli tantum, et aliis magistratibus licebat, v. Heusingeri adnot. ad Corn. Nep. Hannib. cap. XII. conf. Gesn. thes. v. *refero*.

DEFICIT SOCIVS, hoc est, deest mihi socius, seu potius discedit a me socius in calamitate. Est autem turpis defectio, quum defector a domino suo deficit, *prodit* parens, *deserit*, hoc est, derelinquit, et non amplius quasi in patronorum serie haeret, patronus. Sallust. Post *defectionem* sociorum et Latii. Ter. Adelph. IV. 5. 57: *Prodidisti* et te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit. Plaut. Curc. IV. 3. 16: Qui libertos habent, et eos *deserunt*. Donat.

DEFVNDI et DIFFVNDI distant. *Diffundi* enim proprie dicitur quod in plures partes funditur ac dilatatur, ac sic multum spatii occupat. Ita *diffundi* vinum antiqui dicebant, quod ex uno vase maiore, ut puta, dolio in plura minora fundebatur, ut cados et amphoras, in quibus servaretur et inveterasceret. Haec vini diffusi significatio et notio; graeci διαχέω eodem sensu usurpant de vino. At, quod ex maiore in minus funditur ad bibendum, *defundi* dicitur, hoc est καταχέω. Salmasius in exercit. plin. p. 691 et copiosius p. 332. Gesn. in voce *diffundo* ita: Frequenter confundunt *defundere* et *diffundere* in libris antiquis et recentibus. Meminerimus itaque *diffundere* tum demum locum habere, cum ex uno maiori vase humor in plura minora defundendo distribuitur. Met. Petron. 5. extr. ad verba: Sic flumine largo plenus Pierio defundes pectore; verba haec habet: *Defundes* indicat fontem, sive pectus. Sed *diffundes* si dedit, ad orationem late sparsam respexit.

Digitized by Google

DEFVNGI est liberari molestiis et periculis, aut explicari; explicari autem dicuntur latine, qui liberantur ex periculis. Livius XXIX. 21. in sensu contrario defungi poena, pro subire poenam dicit his verbis: Ante omnia libera corpora placere sine mora Locrensibus restitui, non levi defunctorum poena. *Perfungi* est pervenire ad exitum, sive honorum, sive laborum. *Illud* semper denotat finem adversarum rerum; *hoc* et bonarum, et malarum. Virg. Aen. VI. 83: O tandem magnis pelagi *defuncte* periclis. Ad quem locum Servius: Dicimus defunctos officio, qui officia debita complerunt. Hinc et defunctos, mortuos dicimus, qui complerunt vitae officia. Nemo autem debita officia complere poterit sine vario molestiarum genere. Liv. III. 8: *Defuncta* morbis corpora salubriora esse coeperunt. Cic. Fam. I. 8: Cum et honoribus amplissimis, et laboribus maximis *perfuncti* essemus. Id. ib. v. 12: Nulla *perfunctis* propria molestia.

DEGERE CONCORDITER CVM ALIQVO *et* EX AEQVO non debent confundi. Fecit id Solinus cap. 55. Porrecta ad terras Scytharum, quibuscum *concorditer degunt*. Solinus heic, ut solet, Plinii sui mentem non percepit, saltem non expressit, cuius haec sunt verba in Libr. VI. c. 29: Ad Scythas pertinent, cum quibus *ex aequo degunt*. Dicit Plinius, Scythas, ad quos pertinent Parthi, et quibus vicini sunt, ex aequo cum his degere, ex pari iure. Scythas nempe liberos esse intelligit, nec Parthorum dominationi subiectos. Aliud igitur est, *concorditer cum aliquo degere* et *pari iure*. Ceterae nationes, quae Parthis parebant, nec rebellabant, concorditer cum his degebant, at non ex aequo, ut Scythae. Ita etiam locutus est Plinius in praef. HN. ad Titum: *Sciantque omnes, quam ex aequo tecum vivat imperium. Triumphalis et censorius sextusque consul, ac tribunitiae potestatis particeps: Et quod his nobilius fecisti, dum illud patri pariter et equestri ordini praestas, praefectus praetorio eius, omniaque haec reipublicae. Et nobis quidem qualis in castrensi contubernio etc.* Plura vide in Salmasii exercit. Plin. p. 84[illegible]a.

DEGREDI est ex superiore loco descendere; *Digredi* ex aliquo loco discedere. Sall. Iug. XLIX: Monte *degrediens* cum exercitu. Id. ib. XVIII: Propter multitudinem a parentibus

Digitized by Google

digressi. *Digredi* est generale, dum de persona et de via dicitur. *Degredi* autem speciale, dum locum saltem designat.

Delator est, qui crimina defert; ac idem est, atque occultus accusator. *Mandator* (1) vero, qui mandat delatori accusationem, suggeritque probationes et indicia. Svet. Tit. viii: Inter adversa temporum, et *delatores mandatoresque* erant ex licentia veteri. Marcianus de delatoribus L. 24. D .de iure fisci: Non tantum *delator* punitur, si non probaverit, sed et *mandator*, quem exhibere debet *delator*.

Differunt a *delatoribus* quodammodo *sectores*, quia tales erant sectores, qui delatorum proscriptionibus praesentes, eorum bona distrahebant, praedae partem nefariae inde lucrantes. Exempla Taciti hoc testantur, scribentis Histor. I. 20: Ubique hasta et sector, et inquieta urbs auctionibus. Et Annal. xiii. 23: Eius accusationis auctor exstitit Paetus quidam, exercendis apud aerarium sectionibus famosus. Inde Asconius. Sectores, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, pro hisque pecunias pensitabant singulis, ac in posterum pro compendio suo singula quaeque pecunia populo venditurі. Valla sectorem eum dici contendit, qui ex damnatione accusati dimidium aut aliquam partem exspectat. Monet tamen Lupanus ad locum Tacit. Ann. memoratum, sectorem sive quadruplatorem criminum delatorem dici, et sectionem ipsam confiscationem. Pertinuerunt itaque sectores ad collegium, quod coivit ex his nebulonibus, delatoribus, quadruplatoribus, sectoribus, mandatoribus, emissariis, quod funditus subvertit primum divus Titus, deinde Nerva, tandem Traianus. At sectorum nomen non tantum sub imperatoribus, sed libera etiam adhuc republica innotuisse, exosumque fuisse testantur Ciceronis verba Philipp. II. 16: Eius viri nomine me insectari audes, cuius me amicum, te sectorem esse fateare?

Deleo scripturam, cum flamma *exstinguo* lucernam, lucem, *eluo* vitrum, *detergo* lutum. R.

(1) Generaliter vocatur, qui aliquid agendum committit; specialiter vero, qui alicui est auctor et omnino mandat, ut pecuniam det mutuo, aut tempus solutionis proroget. Sed mandatarius est, qui mandatum suscipit ad implendum. Vid. Schardii Lexicon iuridicum p. 561, col. 1.

Digitized by Google

DELIGERE est e multis idoneis aliquem eximium adsumere; *Diligere* est seorsum, et distincte legere; quasi dicas in utramque partem legere, hoc est, studiose curare, ut fit in delectu militum, cum nominatim et sigillatim citantur, et ad nomina respondent. Cui contrarium *negligere*, id est nullum dilectum habere, nec curare, quid deceat facere, sive non studiose legere, sed per incuriam optima relinquere. *Eligere* vero est e quavis multitudine unum secernere, vel ad eligentis emolumentum vel ad illius, qui eligitur, dignitatem. Itaque plus est *deligere*, quam *diligere* et *eligere*. Cic. Amic.: Amare autem nihil est aliud, quam eum ipsum *deligere*, quem ames. Id. de Lege Agrar.: Universi *deligant*, quem populo romano maxime consulturum putant. Id. ib.: Si vobis ex omni populo *diligendi* potestas esset data.

DELICTVM committitur negligentia, cum non fit, quod fieri debet (1). *Peccatum* opere, cum fit quod non debet fieri, sicut: Qui *deliquit*, non fecit, quod facere debuit. Qui *peccavit*, hoc fecit, sed parum recte. Gellius VI. 14: *Peccata* quoque hominum, et *delicta* non sustentanda. Interdum tamen *delictum* grave crimen significat. *Peccatum* leve erratum, ut peccatum memoriae, scripturae. Alias delicti, maleficii, et noxae vocabula proprie facta sunt admissis minoribus sive privatis delictis; *Criminis* publicis et maioribus, L. XVII. §. 18. de Aedil. ed. l. 131. fin. ff. de V. S. Peccatum κατ' ἐξοχήν et proprie olim adulterium notabat, ut peccare dicebant pro adulterium committere, cum adultero coire; conf. Perotti C. C. p. 947. v. 59.

DELICTVM peccatum aliquando dicimus; delictum militiae; at alicuius rei examinatae *delectionem* appellamus, nam *diligi* affectionis, *deligi* iudicii est. Agraet. R.

DELIRATIO senectuti convenit, *timor* conscientiae. Donat. R.

DELVBRVM proprie est aedicula, in qua deliberatum (h. e. dedicatum) dei simulacrum (2). *Templum* vero est aedificium

(1) Maffeus dicit *delicta* fieri aut proposito, aut impetu, aut casu. Proposito delinquunt latrones, qui factionem habent. Impetu autem cum per ebrietatem ad manus, vel ad ferrum venitur. Sed casu, cum in venando telum in feram immissum, hominem interficit.

(2) Sicut enim locum, in quo figerentur candelae, latini cande-

Digitized by Google

Deo sacratum. Ita *delubrum* est parvum templum, vel pars templi; sicut Capitolium fuit templum, in quo tria *delubra* communi pariete claudebantur, Iovis, Iunonis, Minervae. Cic. pro Domo: *Templorum* et *delubrorum* religiones. Auctor Orat. in. in Catil.: Deorum *delubris* atque *templis*. Et alibi: Omnia *templa* Deorum atque *delubra*. Arnob. Lib. VI: Quorum *delubra* et *templa* mortuorum superlata sunt bustis. Id. Lib. VII: Cur *templa* post condita, sibique exaedificata *delubra* etc. Sed haec fere confunduntur, maxime apud poëtas. *Delubrum* in quo homines pericula sua diluunt. Ponunt enim vel pileum, vel scutum, vel alia suscepta votis. *Sacellum*, parvulum aedificium Diis consecratum; *Templum* in loco inaugurato; *Lucus* locus fulmine ictus, et arborum spissitate tectus; *Fanum* (1) Fauno consecratum; unde Fauni appellabantur prius illi, qui vagabantur fanatici: *Bidental* locus fulmine tactus et ove expiatus. Bidentes enim oves appellantur. C. Front.

Delvdere dicuntur gladiatores, cum ob aliquod membrum laesum aut luxatum desinunt ludere; *Diludere*, cum inter commissiones interquiescunt. Unde *diludia* sunt intervalla, et intermissiones ludendi. Cic. Rosc. Amer. IX: Deinde aliquanto lentius, nihil agere, atque *deludere*. Plin. HN. XXXVI. 69: Licet videre gladiatores, cum *deluserunt*, hac iuvari potione. Hor. Epist. I. 19. 47: Displicet iste locus, clamo, et *diludia* posco.

Delvit, qui purgat (2), *diluit*, qui temperat. Liv. de morte Mithrid. Quod cum deluisset, etc. Agraet.

Demere est de toto auferre, *adimere* est ipsum totum auferre. Plaut. Bach. IV. 4. 14.

labrum dixerunt: ita, in quo Deum ponerent, delubrum. Leg. Perotti lib. I. Cornu-Copiae Epigr. I. col. 17. lin. 37.

(1) Hanc vocem nonnulli a fando deductam putant, quoniam pontifex in dedicatione templi certa verba praelari olim erat solitus. Alii ἀπὸ τοῦ φανεροῦ, quod manifestum significat, quoniam e fano responsa quondam data constat. Unde veteribus prophetae dicti sunt fanorum antistites, atque oraculorum interpretes.

(2) Gellius utitur verbo diluere in sensu metaphorico, et quidem lib. XV. c. 2. ubi sic. infit: Et calefacto simul refotoque animo, si quid in eo vel frigidae tristitiae, vel torpentis verecundiae fuerit, diluamus. Conf. Oberti Giphanii observationes singulares in LL. p. 63. seq.

Digitized by Google

Demissvs animvs non est idem, quod *summissus*. *Summissus* significat eum, qui ab omni supercilio fastuque alienus est. *Demissus* autem putidulum, iacentem, prostratum; quod deductum inde adverbium demisse, i. e. abiecte testatur. Cic. Tusc. v. 8: Non est ausus elate et ample loqui, quum humiliter demisseque sentiret.

Deos perpetuos dicimus; *Divos* ex hominibus factos, quasi diem obierint. Ioh. Ludov. de La Cerda Tom. III. Comment. ad Virgil. Aen. XII. 139: Dios, aeternos, divos autem ex hominibus assumptos esse dicit. Unde *Divos* imperatores vocamus. Iuvenal. Satyr. VI. 115: Respice rivales Divorum. Sed Varro et Attius contra sentiunt, dicentes *Divos* perpetuos; *Deos*, qui propter sui consecrationem timentur, ut sunt Dii manes; quod attingit Virg. Aen. XII. 138. seqq. sic canens: Turni sic est affata sororem *Diva* Deam, stagnis quae fluminibusque sonoris Praesidet. Servius.

Deponere est rem alicui custodiendam (1) dare, sive custodiae tantum causa, sive ad evitandum cursum usurarum; *Sequestrare*, L. pen. D. Depos. quod elegantius dicitur sequestro dare, vel deponere apud sequestrum, est rem controversam alteri tradere, donec, finita lite, constet, cui debeatur. Hoc semper fit a pluribus et possessionem rei depositae transfert in sequestrem; illud etiam ab uno potest fieri, nec mutat possessionem, aut proprietatem, quam deponens retinet. Itaque verbum deponendi generalius est, ita ut omnis qui sequestro dat, etiam deponat; at non contra. Florentinus Instit. 7. L. 17. D. Depositi. Licet deponere tam plures, quam unus possint; attamen ad sequestrem nisi plures deponere non possunt. Nam tum id fit, cum aliqua res in controversiam deducitur.

Depontvs in sequestri, *accipitur* ab eo, qui corrumpitur, *recipitur*, id est, promittitur ab eo, qui pro iudicaturo respondet, *pollicetur*, qui apud se dicit aut praemium aut sententiae potestatem esse. Paedian. R.

(1) Unde depositum est alicui commendatum, vel creditum sive fidei datum. Sic pecuniam depositam vocamus, quae apud sequestrum tuto est collocata.

Digitized by Google

DEPORTARE est deponere (1); *Apportare* aliquid afferre a loco nempe ad locum. Vid. Ter. Phorm. III. 3. 18. *Comportare* in unum locum conferre; *Exportare* de loco tollere. Agr.

DEPORTATVS est, qui poenae causa fustibus caeditur, et in perpetuum ablegatur in insulam, quam princeps adsignavit, et omnia sua iura et bona, praeter libertatem, amittit. Leg. Cornelii Nepotis Alcibiad. cap. IV. *Relegatus* est, qui aut certo loco concluditur, aut urbe, provincia; aliove loco prohibetur ad tempus, vel in perpetuum; et tamen omnia iura sua et bona, praeterquam si quae bonorum pars ademta erat, integra servat. Conf. Festi Lib. XVI. de verborum vett. significatione col. 1201. lin. 29. seqq. De quibus multa iurisconsulti L. XVII. l. 2. de publ. iud. D. de Interd. et Releg.

DEPREHENDERE *V.* APPREHENDERE.

DEPVTARE plus est quam *putare*. Plaut. Pseud. Prolog. 19. R.

DERECTVM in rectum vadens. *Directum* in latera aptatum. Agraet. H.

DERIPERE est deorsum rapere et detrahere; *Diripere* est diverse, et in varias partes rapere, ut fit in expugnationibus urbium. Plaut. Menaechm. v. 2. 117: Sed quis hic est, qui capillo me huc de curru *deripit*? Id. Rud. III. 5. 5: De ara capillo iam *deripiam*. Varro in Eumenid.: Ubi vident se cantando ex ara excantare non posse, *deripere* incipiunt.

DESIDIA proprie est corporis; *socordia* est animi et cordis. Sall. Cat. IV: Socordia atque desidia bonum otium conterere. TH. VALL.

DESPICERE est deorsum aspicere: *Dispicere* est diverse diligenterve inquirere, providere, et tamquam in omnem partem animum oculosque intendere, h. e. ut breviter dicam, in varias partes videre. Sic qui amicum exspectat, dispicit tanto attentiori dispicientia, quanto avidior est exspectatio. Ter. And. III. 5. 16. ubi *dispicere* idem esse videtur, ac *invenire:* Iam aliquid *dispiciam*. Cic. Tusc. I: Tamen acie

(1) Deportare proprie videtur esse nauticum verbum, de iis dictum, quae navibus aliquo exportantur, hoc est, merces, homines, animantes, et quaelibet alia onera.

Digitized by Google

mentis *dispicere* cupiebant. *Dispicere* est disquirere consilium, Donat. *Suspicere* vero est sursum aspicere. Serv.

DESTRICTVS, vel rectius DISTRICTVS, potest et sine vinculis in diversum manu ducentium ferri: *Obligatus* etiam nodis vinculorum in loco intelligitur; plus est ergo obligatum esse, quam districtum. Paed. R.

DETERIOR comparat bonum cum malo, *peior* malum cum malo. R.

DETRIMENTVM est quasi deminutio rerum, quam aliquis patitur. Detrimentum vel unius partis dici potest. Paedian. R. *Intertrimentum* est commune damnum facientis accipientisque. Varro de LL. IV. 36: *Detrimentum* a detritu, quod ea, quae trita, minoris pretii sunt. Eadem ratione *intertrimentum* ab eo, quod duo, quae inter se trita et deminuta sunt. Ter. Heaut. III. 1. 39. seq. Sine magno intertrimento non potest haberi. Cic. Verr. III. 50: Cum eo sine ullo *intertrimento* convenerat iam, quemadmodum traderetur. In quem locum Paedianus: *Detrimentum*, inquit, unius partis est; *Intertrimentum* vero dantis et accipientis.

DETVRBAMVS aliquem de loco, multitudine et vi maiore; *Repellimus* eum vi minore, idque soli etiam. Goclen. R.

DEVENIRE respicit inferiora, *Pervenire* terminum. Ita ex editiore loco devenimus in vallem, in planum; ita ex opulento statu devenio in paupertatem. Pervenio autem ad montem, ad divitias; pervenit ad aures meas.

DEVNCEM, decem uncias: *Diuncem*, undecim. Agraet. R.

DIABATHRVM. *V.* CALCEVS.

DICERE *sententiam* et FERRE differunt: nam iudex *fert*, senator *dicit* sententiam. Goclen. R.

DICIMVS, quod volumus, *loquimur* invicem (1), *narramus*, quod ignoratur. Porro *loqui* et *dicere* ita differunt, ut *loqui* lenius quid sit, *dicere* gravius.

DICTIO ORATORVM, *sermo* omnium in usu quotidiano. Cic.

(1) Varro autem lib. v. LL. col. 1080. lin. 52. seqq. inter *loqui* et *fari* hanc differentiam interesse scribit, quod fatur is, qui primus significabilem vocem ore emittit, nullo verborum ordine servato; unde pueri, antequam id faciant, infantes dicuntur. Loquitur autem is, qui suo loco unumquodque verbum sciens ponit.

Digitized by Google

de Orat. II. 67: Genus est perelegans, et cum gravitate salsum, cumque oratoriis *dictionibus*, tum urbanis *sermonibus* accommodatum. R.

DICTVM et PROMISSVM in venditione discernuntur; ut in edicto aedilitio: Adversus quod *dictum promissumve* fuerit. Nam *dictum* est, quod verbo tenus pronunciatum est, nudoque sermone finitur. *Promissum* autem, et ad nudam promissionem sive pollicitationem et ad solemnem stipulationem refertur. Itaque plus est *promissum* quam *dictum*, auctore Ulpiano. *Dictum* licet de omni sermone sit intelligendum, specialiter tamen facetias significare, Perottus Cornucop. Lib. I. Epigr. III. col. 434. lin. 32. seq. est auctor.

DIES genere virili unius diei cursum significat, ut hic, vel ille dies, primus *dies*; meus natalis *dies*; *muliebri* autem, temporis spatium, uti summa, infanda *dies* apud Virgilium. *Dies* foeminino genere tempus, et ideo diminutive, *diecula*, dicitur breve tempus et mora. *Dies* horarum duodecim generis masculini est, unde *hodie* dicimus, quasi hoc die. R. Virg. Aen. II. 324. Sic Toxilus servus apud Plautum in Persa I. 1. 34. seq. etiam infit sic dubius: Haec dies summa hodie est, mea amica sitne libera, an sempiternam servitutem serviat. Vid. in hunc locum Taubmanni Comment. p. 1119. col. 1 et 2. edit. poster. et in Pseud. I. 3. 140.

DIES FESTVS et FASTVS differunt. *Fastus* erat, quo iudicia habere praetori licebat, at *festus* dies erat Diis consecratus quo sacrificabatur, aliique modi cultus divini superstitiose excogitati peragebantur, eratque inter dies nefastos, queis habere iudicia, aut lites in foro dirimere neutiquam licebat. V. nova Acerra philol. T. II. § IX. n. 1. p. 299. seqq.

DIE QVARTO, quod Graeci εἰς τετάρτην dicunt, praeterito tempore, *die quarte* aut *quarti*, de futuro usurpari solitum tradit Gellius X. 24. Plaut. Menaechm. v. 9. 95. ubi nonnullae editiones pro die non prorsus incommode habent *mane*: *Die septimo* auctio fiet. Id. Persa II. 3. 8: Ibi mercatum esse dixit die septimi. Ego arbitror, haec nihil omnino differre, et veteres propter affinitatem litterarum E. I. et O. sine discrimine dixisse: Die quarto, et die quarte, vel quarti, tam de praeterito, quam de futuro et praesenti.

Digitized by Google

DIFFERRE est rem in aliud tempus conferre, nulla cum dies ante praefinita fuisset: *Proferre* est diem constitutum prorogare. Proprie autem est in diversas partes ferre. Denotat quoque idem, ac rei alicui dissimilem esse. Sic differre rumorem, differas, donec resciscas, annon differat a veritate. Itaque, qui profert, idem differt, non contra. Paul. Lib. v. Sententiarum L. xviiI. D. de Quaest.: Adeo ut propterea, et differantur, et proferantur custodiae. Ter. Andr. iI. 1. 29. seq. Saltem aliquot dies *profer*, dum proficiscor aliquo. Cic. Fam. vII. 4: Si quod constitutum cum podagra habes, fac in alium diem *differas*.

DIFFICILIS opponitur facili, leni, minime laborioso; *Gravis* levi. *Difficilis* numquam quantitatem molis: *Gravis* autem illam respicit, sensu quidem primo, v. g. Homo difficilis. In liberos difficilis est. Difficillimum reip. tempus. Hoc difficillimum reip. tempus. Hoc difficile est iudicatu. Omne grave tendit deorsum. Onus Aetna gravius sustinere.

DIGNITAS plus est, quam *existimatio*. Nam dignitas honoribus comparatur, *existimatio* virtutibus, aut praeclare factis. Ideoque haec pro ipsa auctoritate, commendatione ac fama passim usurpatur. Illa autem est singularis honoris gradus, ex quo splendor atque amplitudo nascitur. Leg. Doletus loc. cit. p. 57. In illa inest splendor, in hac laus, virtutis nota. Cic. in Bruto: Quod sentiebam et *dignitati* et *existimationi* tuae maxime conducere. Et in Sulpit. Nec reliquo tempore aut rei aut *existimationi* aut *dignitati* tuae deero. Praeterea existimatio sine dignitate esse potest; dignitas sine existimatione esse non potest. Unde iurisconsulti existimationem quasi partem et effectum dignitatis accipiunt. Callistratus de cognitionibus 1. L. v. D. de Var. et extra. Existimatio est dignitatis illaesae status, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro, auctoritate legum, aut minuitur aut consumitur. Minuitur *existimatio*, quoties, manente libertate, circa statum *dignitatis* poena plectimur. *Dignitas*, quatenus contradistinguitur *venustati*, competit viris; pulchritudo formae in iuvene *dignitas*, in feminis autem *honestas* dicitur; *Venustas* feminis. Cic. Offic. I. 36: *Venustatem* muliebrem ducere debemus, *dignitatem* virilem.

Digitized by Google

DILIGENTIA est in deligendo et discernendo, et idem est, ac dilectae rei cura, sicuti deligere idem, ac in utramque partem legere, hoc est, probe ac studiose curare. *Industria* versatur in agendo, ideoque et pro studio atque vigilantia ipsa nequaquam inique ponitur; *alterum* est ingenii et iudicii, *alterum* laboris atque operae. *Studium* est attentio animi. *Diligentia* ergo plus est, quam *industria*. Cic. Att. xv. 13: Enitar igitur, ne desideres aut industriam meam aut diligentiam. Id. ad Planc. post ep. 16. Lib. xv. ad Att.: Omnia *studiose diligenterque* curabo. Suet. in Domit. VIII: Ius *diligenter* et *industrie* dixit. *Diligentia* a diligendo singula; huic *negligentia* opponitur, nec recipit errorem. *Cura* animi est, quae anxium facit hominem, et tam honestae, quam inhonestae rei est. C. Front.

DIMIDIVM dicitur de rebus, quae separatae sunt; seu est portio dimidiati alterutra. *Dimidiatum* (1) autem de rebus, quae continuae sunt et non separantur, quasi dismediatum, et in duas partes divisum; cuius differentiae exempla suppeditat Gellius III. 4.

DIRECTVM *V.* DERECTVM.

DISCIDIVM significat distractionem, interdum etiam divortium, a discindendo, id est, dirimendo, ut excidium ab exscindendo; *dissidium* vero dissensionem, a dissidendo. *Illud* corporis est; *hoc* animi. Ter. And. IV. 2. 13. seq. Valeant, qui inter nos *discidium* volunt. Id. Hec. III. 5. 26: Neque mea culpa (2) hoc *discidium* evenisse. Cic. pro Domo: Deflevi coniugis miserae *discidium*.

(1) Dimidiatum calicem bibi, non dimidium dicere debes: non enim ipse vas bibis, sed quod intra vas est. Agraetius. Varro haec ita differre inquit; ut dimidium de rebus, quae pondere, numero ac mensura constant, ut de pecunia, cado, vel sextario vini, olei etc. Dimidiatum de specie vel corpore, ut de agro, poculo, libro, fabula. Sed tamen et de hora et anno dicitur. Gell. III. 14. Plaut. Aul. II. 4. 14. R.

(2) Ita enim pro *causa*, quae vox in multis huius auctoris editionibus pro culpa est reperienda, habent editiones Aldino-Veneta, Bonhommeano et Gryphiano-Lugdunenses, Heynecciana, Pareiana, Victoriano-Heidelbergensis atque plures aliae. Sed Plantiniano-Antuerpiensis: *neque culpa hoc mea*.

Digitized by Google

Discordia privatorum est, *bellum* multitudinis et (frequenter) publicum. Gocl. in Observ. LL. H.

Discrimen et ad periculum pertinet et ad experimentum. Agr.

Discriminale Isidorus distinguit ab *acu*, et discriminalia quidem capitis mulierum ex eo vocata esse tradit, quod caput auro discernant. Nam discriminare dividere dicitur. Haec fuerat acus discriminalis aurea. At acus crinales esse dicit, quibus in feminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant, et sparsos dissipent capillos. Acum auream vocat Martialis in Lemmate epigr. xiv. 24, cui subiicit hoc distichon: Taenia ne madidos violent bombycina crines, Figat acus sparsas, sustineatque comas. Ista acu omnes annuli comarum in capite iam ornato fixi continebantur, ne fluerent laxius. Idem Martialis Ep. ii. 66: Unus de toto peccaverat orbe comarum Annulus, incerta non bene fixus acu. Plura Salmasius exerc. Plin. p. 534. et Bartholinus de inauribus p. 36.

Disertvs et Eloqvens (1) quid differant, ostendit Cic. de Orat. I. 24, his verbis: *Disertus* est, qui potest satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere; *eloquens* vero, qui mirabilius et magnificentius augere potest atque ornare quae velit, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertineant, fontes animo ac memoria continet.

Dispvngere et Expvngere verba usitata in rationibus hoc differunt, quod *dispungere* est conferre accepta et data, sive excutere et examinare rationes; unde *dispunctio*. *Expungere* (2) est rationes peractas absolutasque tollere, debitum inducere. *Hoc* est posterius, et *illius* quasi effectum. Sen. de Benef. iv. 32: Apud me istae acceptorum expensorumque rationes *dispunguntur*. Tertull. iv adversus Marcionem: Deus merito-

(1) Exertus autem ab eloquente sic differt, ut, Isidoro Origin. x. col. 235. teste, hic sit profusus eloquio, iste autem in loquendo expeditus.

(2) Budaeus dicit, expungere esse punctis circumducere et tollere, et quasi rem confectam eximere e codice. Unde expunctus miles dictus, qui e suorum numero est exemtus, atque aere dirutus.

Digitized by Google

rum iudex et *dispunctor*. Plaut. Cistell. I. 3. 40: Nunc, quod reliquum restat, volo persolvere, ut *expungatur* nomen, ne quid debeam.

Dispvtare et Disserere distinguuntur a Varrone de LL. v. 7: Sermo, inquit, in quo plura disponuntur verba, ne sit confusus atque ut diluceat, dicitur *disputare*. Quod dicimus, *disserit* partes, item areas, translatitio aeque ex agris verbo utimur. Nam ut olitor disserit in areas sui cuiusque generis res, sic in oratione qui facit, disertus. Cic. Fam. III. 8: Disputabant; ego contra disserebam.

Distrahere a trahendo, *deducere* a ducendo, *divellere* a vellendo. C. Front. R.

Ditio et Regio vulgo confunduntur. Pro regionibus et agris *ditio*, ut solet, usurpari nequit, si barbarismum evitare velis. Conf. Pitisci notas ad Curt. 1. 14: Alexander regionem quoque urbi adpositam ditioni eius adiecit. IV. 1. 27. Ditio proprie est potestas, qua quis ius dicere potest.

Div tempus continuum, *dudum* transiens, *pridem* longius tempus, *iamdudum* persistens, *iam olim* factum, praeteritum et adhuc durans. R.

Divellere est dilacerare, διασπάω; *devellere* est vellere et depilare, ἀποτίλλω, ut est in Glossis. Plaut. Poen. IV. 2. 50. R.

Diversorivm, Hospitivm, Tabernam, vulgus putat esse eadem, cum sint diversa. Nam *diversorium* et *hospitium* sunt gratuita, et sine pretio amicis tantum et hospitibus praebentur. Sed illud plerumque brevioris commorationis est, hoc diuturnioris. Diversorium proprie est, quo advenae divertunt. Nam cum in itinere locum aliquem quis declinat, divertit a via; cum autem se reficere vult, divertit in diversorium, et est acceptus diversor, si ante quoque ibi diversari est solitus. *Taberna*, (quam proprie aedificium ex tabulis, praesertim vero, ubi res variae venduntur, philologi nequaquam inepte nuncupant) est mercenaria, et ignotos etiam atque peregrinos quaestus gratia accipit, uti caupona. Unde *tabernam* diversoriam dixit Plautus in Truc. III. 2. 29, et Svetonius in Nerone XXVII: Dispositae per littora et ripas diversoriae *tabernae* parabantur. Praeterea *diversorium* nobismet

Digitized by Google

quoque ipsis alibi paramus, quod in alieno loco ad hospitem aut ad cauponam nolumus divertere: *hospitium* (1) et *taberna* aliis semper parantur. Cic. Fam. vII. 23: Multo libentius emerim *diversorium* Tarracinae, ne semper hospiti molestus sim.

DIVES a divo, qui ut Deus, nulla re videtur indigere; *opulentus* ab ope; *pecuniosus* a pecunia magna; *locuples* ab agris et possessionibus.

DIVIDIMVS totum, *partimur* partem, quod Plautus confundit. Godoschalcus in observ. lat. ad vocem *divido*. At hanc observationem neque alii observarunt.

DIVIDVVM a divisione, *dimidium* a dimensione dicimus.

DIVINITVS (2) cum dicimus, ex Dei mente factum significamus; *divine* vero, cum laudamus. Fl. Sosip.

DIVITIAE, *possessiones*, substantiam, *opes* fere potentiam significant. *Illud* caussa efficiens, *hoc* effectus, quamvis metonymice *opes* saepe pro ipsis divitiis ponantur.

DIVORTIVM L. II. D. de Divort. est distractio matrimonii, vel a diversitate mentium ita dictum, vel quod in diversas partes eunt qui dirimunt matrimonium: *Repudium* non modo nuptiarum diremtionem, sed et sponsaliorum renunciationem significat. Illud inter virum et uxorem tantum fieri dicitur, hoc etiam ad sponsos pertinet, ut auctor est Modestinus differentiar. 20. l. 101 et 192. D. de Verb. Sign. Conf. Ioannis Seldeni Uxor Hebraica II. 18. p. 340, seqq. Schardii Lexicon Iuridicum p. 305. col. a. et Schildii Commentarius ad Svetonii August. LXI, et ad Neron. XI, ubi repudium et divortium etiam inter absentes non modo civili, verum etiam divino iure fieri dicit. Sed et divortium facere dicimus, repudium mittere, renunciare, vel dicere. Cato de Dote: Vir cum di-

(1) Hoc antiquis domus erat, quae gratis liberaliterque venienti hospiti patebat. Unde et pro amicitia, quam frequentissime, testante Budaeo, ponitur.

(2) Utitur hac voce Plautus quoque in Curculione II. 1. 33: Qui sciat divinitus. In quem locum ex Lambino videndus Taubmanni Commentarius p. 276. edition. prioris, ubi exstant verba sequentia: Quasi dicat: Ego scio coniecturam facere de somniis, non ex disciplina hominum, sed afflatu divino, ut vates.

Digitized by Google

vertium fecit. Ter. Phor. IV. 3. 72: Illis repudium renunciet, hanc ducat. Paulus ad edictum 34. L. III. ff. de Divort. Per calorem misso repudio. Tac. Annal. III. 22: Post dictum repudium adhuc infensus. Datur etiam differentia in ipso loquendi modo. Dicimus: *Divortium* facere cum aliqua, sed *repudium* mittere, renunciare vel dicere alicui. *Divortium facere*, respicit plerumque utrumque coniugem, se invicem pertaesum; *repudium mittere* ad solum fere maritum vel sponsum pertinet.

Divrnvm fit diu et quotidie, *diuturnum* moratur, *diutinum* longi temporis est. R.

Divtinvs et Longvs etsi promiscue saepe usurpantur, interdum tamen differunt. Siquidem *diutinum* dicitur quod fit sine intermissione. Italice: *continuato*. *Longum* quod fit ad multum tempus. Sic Plaut. Mil. II. 6. 22: Supplicium virgarum *longum*, *diutinumque*. Id. Pseud. II. 3. 21: Nimis diu et longum loquor. Th. Vall.

Doctvs est, qui optimarum artium scientia excellit, ideoque *doctus* potest facile docilem docere, ut docilitatis suae documentum edat firma comprehensione doctrinae; *Eruditus* qui aliqua est humanitate imbutus, quasi minime rudis; *Litteratus*, qui est sciens et peritus litterarum, hoc est, litterarum doctor, antique litterosus dictus. Quapropter, tu si evadere vis non litterator, hoc est, vix litterulas exarare gnarus, sed vere litteratus, disce omnes bonas litteras, licet has quidem illitterati fatui oblitterare, aut etiam oblitteratas esse optarent. Lex. Ian. Itaque *doctus* plus est, quam *eruditus* aut *litteratus* (1), sicut *doctrina* plus est, quam *eruditio*, et *dŏceo* plus est, quam *erudio*. Cic. Off. II. 2: Occurritur autem nobis, et quidem a *doctis* et *eruditis*. Id. ib. I.

(1) Hodierni politiori atque solidiori eruditione imbuti viri hanc differentiam prorsus invertunt merito, dicentes, litteratum atque eruditum longe plus esse docto, quoniam non omnes docti sunt litterati atque eruditi, sed quilibet litteratus atque eruditus est, (et quidem meo iudicio) proprie ac solide doctus. *Litteratus* est, qui a Cicerone politus dicitur, qui aliquid eleganter et acute possit dicere aut scribere. *Eruditus*, qui ipsam sententiam vel artem norit, se autem polite et eleganter explicare non sciat. Parei lex. crit. mant. 179.

Digitized by Google

33: Aut praeclara *eruditione* atque *doctrina*, aut utraque re ornati. Id ib. I. 44: Studiosos discendi *eruditunt* atque *docent*. Sed hae differentiae non usquequaque custodiuntur. Cic. de Orat. II. 74: Ad Themistoclem quidam doctus homo, atque in primis eruditus accessisse dicitur, eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitum esse se traditurum. Quum ille quaesisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset: et ei Themistoclem respondisse, Gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci, quae vellet, quam si meminisse docuisset. Nimirum perspici hinc potest, *eruditum* antestare *docto*. Unde alii ita distinguunt. *Doctus* est, qui multarum rerum cognitione imbutus est; *eruditus*, qui cognita, lecta, audita bene digerit, ex principiis conclusiones recte deducit, perspicuaque methodo cogitata proponit; *sapiens*, qui omnia haec ita in usum vertit, ut felicitatem inde suam consequatur. De discrimine *docti* et *eruditi* consulendus est Scipio Gentilis ad Apul. Apol. p. 219. Reiicit illud Dornmeierus de vitioso Ciceronis imit. § 58. *Nonnumquam, inquit, intercedunt inter synonyma particulae* et, aut, neque, *et similes, quae non semper indicio sunt, quod antecedit vocabulum, diversum natura sua esse ab eo, quod sequitur. Aliquoties apud Ciceronem haec sunt, doctus et eruditus, eruditus et doctrina excultus. Synonyma certe, et, si quis voluerit, perinde significantia. Neque firmum est, quod opponitur, Ciceronem aliquo loco haec distinguere; ad id enim responsum est paullo ante, et ipse Cicero libro de claris orat. dicit, Pisonem graecis doctrinis eruditum fuisse, qua vocum coniunctione quid vult aliud quam universalem haud esse, sed certo loco adstrictam, docti et eruditi distinctionem?* Teneri vult Dornmeierus regulam, inter eruditos parum observatam, posse quaedam, quae alio loco sunt distincta, alibi promiscue poni, ita tamen, ut crebrius usurpemus, quod usu crebriore apud scriptores idoneos reperitur. Si quid video, Dornmeierus utique adsensum meretur.

Doctvs et Peritvs a M. Tull. Cic. ita distinguuntur, ut sit *peritus* plus quam quod *doctus*. De Offic. II. 3: Itaque cum sunt *docti* a *peritis*, facile desistunt a sententia. Nonius XXVI hanc effinxit differentiam. Sed cel. Gesnerus thes. v. *doctus*

Digitized by Google

bene monet, hunc locum plane nihil ad rem facere. Nam, docti sunt, verbum est. Sensus igitur est. Quum imperiti docti sint et erroris convicti a peritis, etc.

DOCTVS et PRVDENS interdum differunt. Cic. Orat. I: Qui veretur reprehensionem doctorum atque prudentum. Hic distinguuntur docti a prudentibus, licet idem aliquando sit prudens et doctus. *Docti* dicuntur, qui scientiam praeceptionibus et usu adquisiverunt. *Prudentes* vero proprie, qui naturali praestant intelligentia. Prudens, inquit Donatus in Eun., est qui intelligentia sua aliquid sentit; v. Gesn. Thes. v. *doctus*.

DOLOR est aegritudo animi afflicti, vel ex mali alicuius praesentia, vel absentia boni; *Moeror* (1) est demissio et contractio animi. *Ille* et interior et gravior asperiorque, *hic* levior est et extrinsecus apparet. Cic. Attic. XII. 28: *Moerorem* minui: *dolorem* nec potui, nec, si possem, vellem. Id. pro Muraena: Qui huius *dolor*? qui illius *moeror* erit? Tac. Annal. III. 6: Convenisse recenti *dolore* luctum, et ex *moerore* solatia.

DOLOREM et LABOREM diversa esse putat Cicero Tusc. II. 15, in eoque Graecos reprehendit, quod haec sua lingua non distinguant. Cui videtur accedere Ter. Andr. v. 1. 12: Eius *labore* atque eius *dolore*, gnato ut medicarer tuo. Similiter separat alibi *dolere* et *laborare*: quae tamen reipsa nihil differunt omnino. Nam *labor* est e *dolore*, quo afficitur qui laborat.

DOLOR transfertur tam ad animam, quam ad corpus, et latius patet quam *tristitia;* differunt enim ut genus et species. Omnis enim tristitia est dolor, sed non omnis dolor est tristitia. Nam aegritudo illa, quae ab externo tantum sensu nascitur, non obtinet nomen *tristitiae*: at vero omnis aegritudo sive animi, sive corporis, sive ex solo sensu externo, sive ab interno proveniat, scil. phantasia aut ratione, vere *dolor* appellatur.

DOLVS L. I. § 2. D. de Dol. est omnis callida machinatio

(1) Hoc vocabulo maxime utimur, cum perditum et afflictum rerum statum expressius designare volumus. Leg. Ter. Andr. IV. 2. 10.

Digitized by Google

matici ita separant, ut *donum* dantis sit, *munus* accipientis. *Illud* a dando; *hoc* a muniendo, vel movendo dicimus. Agr. Vel ut *donum* sit, quod Deorum placandorum causa aris infertur; *munus*, quod hominibus datur. Quam tamen differentiam fere semper confundunt historici atque poëtae, qui dona hominum dicunt, ut dona militaria, corona, hastae purae, et alia; munera deorum. Front. Varro de Vita Pop. Roman. II: Delphos Apollini *munera* missa. Virg. Aen. I. 636: *Munera* laetitiamque Dei. Ovid. de Arte Am. III. 653. seq. *Munera* (crede mihi) capiunt hominesque deosque: Placatur *donis* Iuppiter ipse datis. Iurisconsulti l. 194. l. 214. eod. D. de Verb. Sign. volunt, *donum* esse omne quod datur quacumque ex causa, *munus*, quod officii gratia exhibetur. Ita *illud* genus, *hoc* speciem esse, vel, *donum* significare id, quod, nullo iure officiove cogente, sponte praestatur, *munus* esse, quod necessitatis aut officii causa, lege scilicet, more, imperiove eius, qui iubendi habet potestatem, exhibetur, ut sunt *munera* natalitia, sponsalitia, nuptialia. Quae posterior differentia vera est, et perpetua. Leg. Petri Victorii Var. Lect. IX. 22. Heic notes velim, *donum* donari ab amico; *donativum* a principe; *donarium* a quocumque devoto. Lex. Ian. Plin. Epist. v. 14: In causis agendis non modo pactione, *dono*, *munere*, verum etiam xeniis semper abstinui. (1) Ulp. de Officio Proconsulis I. l. 6. D. de Offic. Proc. Mandatis continetur, ne *donum*, vel *munus* ipse proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat. Id. ad Sabinum 28. l. 7. D. de Oper. Libert. Iurare autem debet operas, *donum*, *munus* se praestaturum.

Dvço verbum honestum est (2), *adducitur* quis ad rem in-

(1) Donum et rerum maiorum et immobilium recte dicitur, munus vero moventium et minorum. Nam regna, urbes, praedia dono dari passim legimus. Donationes, quae ob causam fiebant, *munera;* reliquae generatim *dona* adpellatae sunt, *praemium* vero virorum fortium est. Et *donum munusque* tam ante factum, quam post factum datur. *Praemium* dumtaxat post factum est. *Donum* voluntarium, *praemium* debetur. *Donum* ut a largo homine, *praemium* ut a praeclaro facinore. *Donum* cuicumque, *praemium* tantummodo viro forti et strenuo. Duckerus de Latin. Vet. Ictorum pag. 44.

(2) Differt autem a *traho* hunc in modum, quod trahimus eum,

Digitized by Google

honestam, *perducitur* (1) ad studia, *deducitur* ad honorem. Agraetius. *Ducitur* quis ad supplicium, *deducitur* ad laetitiam, *ducimur* volentes, *abducimus* invitos, *ducimus* apud alios et palam, *subducimus* apud nosmetipsos et secreto. Donat. *Ducto* nequitiam et dissolutionem denotat. Itaque *ducitur* uxor, meretrix *ductatur*. Plaut. Asin. I. 3. 37: Nunc quia nihil habes, maledictis *ductare* meam postulas. Sic ductare labiis exstat apud eumdem Plautum in Milit. II. 1. 15. quod proprie meretricum est, quando amatores suos contumeliosius solent subsannare. Graecis dicitur διαμωκᾶσθαι καὶ τὰ χείλη διαστρέφειν, vid. Philippi Parei Lexicon Criticum p. 391. col. a. Id. Menaechm. IV. 3. 37: Nisi feres argentum, frustra me *ductare* non potes. Ter. Phorm. III. 2. 15: Ut phaleratis dictis *ducas* me, et meam *ductes* gratiis. Similiter *ducere exercitum* est militari more, et ordine movere; *ductare* exercitum, dissolute et raptim trahere, quod genus locutionis est familiare Sallustio, ut in Catil. XI: Quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidem faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat; et in Iug. XXXVIII: Ipse, quasi vitabundus, per saltuosa loca et tramites exercitum ductare. Quintil. VIII. 3, notat, hoc non sine rubore legi in Sallustio; in quo illi non adsentior. Cum enim verbum *ductare* significet dissolutionem, apte et proprie Sallustius dixit, ductare exercitum: pro eo quod est sine ordine ducere: sicut idem dixit agitare aetatem, vitam, quum tamen agitare sit voluptarium, auctore Donato.

Dvctvs, Imperivm et Avspicivm, iungit Plaut. in Amphitr. I. 1. 11: Ut gesserit rempublicam *ductu*, *imperio*, *auspicio* suo. Ubi est *ductu* per se; *imperio* militari potestate; *auspicio* per alios, ut legatos, praefectos. Sic dux militum ducit ducentos milites, per viam, quam rectam esse *ducit*. Operarii vero *ductant* (licet ductim) ductario fune molem aliquam ductilem.

qui non sequitur, sed reluctatur. Ducimus autem sponte sequentem. Sumitur et ducere aliquando metaphorice pro avocare et delectatione quadam quasi demulcere. Saepe tamen confunduntur apud veteres, Cic. pro Arch. II; Off. I. 6.

(1) Perducuntur necessitate coacti. Produci res venales dicuntur. Donat. R.

Digitized by Google

Lexic. Ian. Svet. Aug. xxI: Domuit autem partim *ductu*, partim *auspiciis* suis Cantabriam. Vetus inscriptio apud Plinium HN. uI. 24: Quod eius *ductu auspiciisque* gentes alpinae omnes, quae a mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium P. R. sunt redactae. *Ducit* vir, *nubit* mulier, quia pallio obnubit caput suum, genasque. Clarus.

Dvo numerantur, *ambo* congregantur. V. Bini. R.

Dvplicatvm est res una bis posita, *geminum* duae res similes. R.

Dvre significat crudeliter; *Duriter* sine sensu laboris. *Dure* in alterum, *duriter* in nos aliquid facimus; illud ad laborem, hoc ad saevitiam relatum est. Donatus. R. Sed meo iudicio non bene. Nam haec adverbia sola terminatione differunt, ex antiqua consuetudine, qua nomina in *us* bina fere adverbia habebant: ut humanus, humane, humaniter; largus, large, largiter; durus, dure, duriter, et alia multa, de quibus infra monuimus. Ter. And. I. 1. 47. seq. Primum haec pudice vitam, parce ac *duriter* agebat. Quod cum quadam licentia dici, et usitatius esse dure et humane, notavit Augustinus in libro de grammatica.

Dvx est is, cui praelium vel res, *imperator*, cui summa rei commissa est. Cic. Off. uI. 6: M. Atilius Regulus cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, *duce* Xantippo Lacedaemonio, *imperatore* autem patre Annibalis Amilcare. Corn. Nep. in Pelop. IV: Namque Leuctrica pugna, *imperatore* Epaminonda, hic fuit *dux* delectae manus. Pareus. R.

E.

Eborevm et Eboratvm et Ebvrnvm ita sunt distinguenda, ut *eboreum* sit ex solido ebore confectum, *eboratum* extrinsecus ebore ornatum, *eburnum* a similitudine eboris aptatum.

Ebrivs et Ebriosvs quid inter se distent, ostendit Seneca Ep. LXXXIII: Plurimum interesse concedes inter *ebrium* et *ebriosum*. Potest, et qui *ebrius* est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium, et qui *ebriosus* est saepe extra ebrietatem

Digitized by Google

esse (1). Similiter differunt *ebrietas* et *ebriositas*. Cic. Tusc. IV. 12: Et inter *ebrietatem* et *ebriositatem* interest, aliudque est *amatorem* esse, aliud *amantem*.

Ecce cum ostendis, *en* cum increpas. Cic. *En* cui tu quoque liberos tuto committas. *Hem*, cum dolor aut admiratio cogitatioque stuporem iam moverit. Agraet. R.

Ecclesia ab ἐκκαλέω evoco, aliud est, quam *templum*, siquidem *illa* conventum, i. e. concionem ipsam populi, *hoc* continentem locum, i. e. aedes, in quibus colligitur ecclesia, denotat. Sic Curia Hostilia etiam erat templum, licet sacra non esset. Deinde aedes sacrae templa quoque sunt appellata.

A christianis tamen scriptoribus interdum *ecclesiam* et *templum* promiscue usurpari videmus. Sulp. Sev. Hist. Sacr. II. 34: Hierosolyma horrens ruinis, frequentissimis ac magnificentissimis *ecclesiis* est adornata. Th. Vall.

Ecquando increpando vel inquirendo, interrogantis est adverbium, *quando* simpliciter loquentis. Agraet. R.

Edicta L. II. §. 10. D. de Origin. Iur. dicuntur formulae iurisdictionis, quas praetores, proconsules et alii magistratus proponebant, et edicebant, se in iure dicendo observaturos. Interdum significant *mandata*, quae, prout res inciderat, arbitrio suo promulgabant; *interdicta* autem vocantur denunciationes, aut effata praetoris, quae inter litigatores interponebat, maxime in controversiis possessionum, donec pleniore iudicio de proprietate cognosceret. Veluti cum ita interloquebatur: Uti nunc possidetis eum fundum, quo minus ita possideatis, vim fieri veto. Vel: Unde tu illum deiecisti, eo restituas. Itaque nomen *edictorum* generale est, et in eo, velut species, continentur interdicta, de quibus pleni sunt libri iurisconsultorum. D. lib. XLIII. et aliorum veterum scriptorum. Leg. Iustiniani Imp. Institut. lib. IV. tit. XV. d. Interd. § 4. et

(1) *Ebrius* est temulentus, vinolentus, et qui se nimio potu oneravit, et propterea mente est alienatus; *Ebriosus* vero saepissime fit ebrius. *Hic* gaudet ebriari; *ille* se inebriavit. Sic *ebrietas* est accidens; *ebriositas* vitium, quia est inebriandi consuetudo. *Haec* est e moribus; *illa* ex causa. *Haec* in proclivitate; *illa* in actione consistit.

Digitized by Google

in eumd. Wilhelmi Ludwelli Comment. pag. 643. num. 6. seqq. et Georgii Franzkii Commentar. in eumd. loc. pag. 677. n. 8. seqq. Alias de edictorum variis argumentis et generibus, eorumdemque verbis ac formulis solemnibus. De edictorum, quae ad interdicta pertinent, speciebus vid. Barnabae Brissonii de Formul. III. 274. seqq. Donatus in Hecyram Terentii inter *edico* et *interdico* hoc interesse dicit, quod *edicimus*, quod fieri iubemus; *interdicimus*, quod fieri vetamus. *Edicimus* uni generi hominum; *interdicimus* diversis. *Edicunt* reges, *indicit* festa sacerdos. Sed notandum est praeterea, in indicendi verbo latere interdum edictum de re aliqua propositum et pro *edicere* poni, ut etiam lexica docent; interdum autem de sola voluntate, omissa scriptura, adhiberi. Svet. in Cal. XXVI.: Populo famem *indixit*, non edicto sed sola voluntate et facto, praecludendis horreis; ut positum adeo sit pro imponere, inducere, de qua significatione egit Burmannus ad Quinctil. Decl. XIII; item Svet. Cal. XLI: Huiusmodi vectigalibus *indictis*, neque propositis, quum per ignorantiam scripturae multa commissa fierent, tandem flagitante populo romano, proposuit quidem legem, cet. V. cel. Ernesti obs. ad h. l. Itaque praetoris *edicta* et *interdicta* dicuntur. *Edictum* est, quod princeps proprio motu constituit, C. de LL. III. *Decretum* quod, causa cognita, inter partes litigantes decidit, I. § 1. ff. de Const. Princ. *Interlocutio*, quod de plano absque sententia definitiva interlocutus est, d. l. I. § 1. ff. *Oratio*, quam ex eiusdem iussu recitavit quaestor in senatu. *Mandata* sunt eiusdem praecepta, et monita data praesidibus, aut procuratoribus. *Iussiones* datae comitibus consistorianis, vel tribunis, vel referendariis palatii perferendae ad praesides provinciarum; l. I. C de Mandat. Princ. *Rescripta* sunt responsa ad preces, facta vel adnotatione, i. e. subscriptione principis in libello negotii; vel epistola scripta ad praesidem de relatione dubii alicuius; vel pragmatica sanctione de publico aliquo negotio iuxta preces alicuius universitatis, L. ult. C. de divers. rescr.

Edimvs molliores cibos, qui nullo labore conficiuntur; *manducamus* duriores et denti reluctantes. Cf. Diomed. I. 361. Th. Vall.

Digitized by Google

EDVCERE (1) est extrà trahere. Sic Plaut. in Epidico III. 4. 36. seq. hunc in modum infit: Heus foras educito, quam introduxisti, fidicinam! *Educare*, enutrire et provehere. *Educere* ad ingenium, *educare* ad corpus pertinet. Non. Marc. R. Ubi notandum, *educatorem* non esse decernendum eum, qui loquente Frantzkio Commentat. in Lib. I. Iustin. Instit. d. Attil. Tut. xx. § 7. p. 106. n. 21 et 23 successionem sperat, vel qui pudicitiae impuberis insidiatur. Varro in Cat. vel de Lib. Educ. *Educit* enim obstetrix, *educat* nutrix, *instituit* paedagogus, *docet* magister. Marcell. *Educit* monitor iuvenes, quos *educat* altor. *Educit* genitor, quos *educat* arte magister.

EFFERRI proprie dicuntur cadavera; et *ire* proprie ad exequias. Donat. R.

EFFERTVR qui portatur, et *efferunt* qui laudando extollunt. Cic. Verr. VI. 56: Nimium haec illi forsitan efferunt. Agraet. R.

EFFIGIES ab IMAGINE ita differt, ut species a genere. Nam *imago* omnem similitudinem comprehendit, tam pictam, quam fictam; *effigies* autem est, quae fingitur, non quae pingitur, ab effingendo h. e. ad similitudinem alterius fingendo, dicta. Itaque *effigies* omnes sunt imagines (2), non contra. *Imago* refert et tabellam et statuam et expressos cera vultus; *effigies* autem haec duo tantum posteriora refert, tabellam vero excludit. Afranius in Vopisco (3): Cuius te suscitat

(1) Huius verbi opposita studiose collegit ex classicis scriptoribus Augustinus Gambarella in Antithetorum amica simultate, eaque Mediolani A. Chr. MDCXIX. in 4. f. mai. impr. p. 229.

(2) Differt autem *imago* I. ab *exemplo* hunc in modum, quod *exemplum* ponitur, ut aliquid tale fiat; *imago* autem nullum talem finem habet, sed (loquente Iul. Caes. Scaligero Poët. III. 49. p. 292.) ut duae res sub una aequali intellectione comprehendantur propter assimilationem, quae dicitur ὁμοίωσις. II. ab *idolo* ut genus a specie. Nam omne paene idolum est imago, sed non imago est idolum. Longe alterius definitionis est idolum; alterius imago. Haec fit ad ornamentum, vel ad res gestas demonstrandas; illud autem ad miserorum animas sacrilego ritu et vana superstitione illiciendas vel iniiciendas, quemadmodum testatur Henricus Hoepffnerus Sect. III. Saxoniae Evangelicae c. 7. p. 441.

(3) Hic locus habetur in poëtar. Vett. Latinor. Fragmentis edition. Stephaniae p. 60, ubi pro *hoc natus patre* ex Nonio *cognatus patre* legitur.

Digitized by Google

imago? cuius effigia? Hoc natus patre. Cic. Nat. Deor. I. 37: Deus *effigies* hominis et *imago*. Tac. Annal. xv. 22: Gymnasium ictu fulminis conflagravit, *effigiesque* Neronis ad informe aes liquefacta. Id. ib. xvi. 7: Quod inter *imagines* maiorum etiam C. Cassii *effigiem* coluisset, ita inscriptam: *Dux Partium*.

Egere est carere aliqua necessaria ac maxime utili re, ita ut impotenter desideretur; *Opus habere* est carere aliqua re facili et aequo animo. *Illud* est cupiditatis et necessitatis; *hoc* moderationis et utilitatis. Itaque dicebant stoici, sapientem nulla re *egere*, sed *opus habere* interdum quibusdam rebus, ut victu, vestitu et similibus. Contra *egere* stultum, qui angitur cupiditate et indigentia earum rerum, quas si habeat, nesciat uti. Quam illorum sententiam luculenter explicat Sen. Ep. ix. 12: Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait, sapientem nulla re indigere, et tamen multis illi rebus *opus esse:* contra stulto nulla re *opus est;* nulla enim re scit uti, sed omnibus *eget*. Sapienti et manibus et oculis et multis ad quotidianum usum necessariis *opus est*; sed *eget* nulla re. *Egere* enim necessitatis est; nihil necesse sapienti est. Similiter Cicero loquitur de sapiente, illum nihil requirere, nullo *egere*, suoque contentum esse.

Egestas est indigentia omnium rerum, etiam earum, quae ad victum cultumque corporis sunt necessariae; *Inopia* est defectus cum rerum necessariarum, tum etiam consilii et amicorum; *Paupertas* (1) est tenuitas rei familiaris, vitam arcte sustinens. Ita *egestas* plus est, quam paupertas; *inopia* plus, quam utrumque istorum. Cui addendae *penuria* atque *indigentia*; quae egestate atque paupertate vere sunt generaliores et ad omnes res commode referri possunt. Cic. in Parad. vi. 1: Istam *paupertatem*, vel potius *egestatem* ac *mendicitatem* tuam numquam obscure tulisti. Id. in Catil. ii. 11: Praesidia vestra cum illius latronis *inopia* atque *egestate* debeo conferre. Sen. Ep. xvii. 5: Non est, quod nos *paupertas* a philosophia revocet, ne *egestas* quidem. Id. Ep. lviii. 1: Quanta verborum nobis *paupertas*, immo *egestas* sit. Simi-

(1) Paupertas plus est egestate R.

Digitized by Google

liter *egens* est, cui necessaria desunt. *Inops* dicitur, qui est sine opibus et ope atque auxilio. *Pauper* est, qui parum possidet, quasi parvi laris. Ut ingenuus, si rem minorem habeat sestertiorum quinquaginta millium, id est, aureorum quinquaginta; *libertinus*, si minus habeat, quam triginta sestertiorum millia, sive triginta aureos (1). Plautus Rud. I. 5. 24: Sed hic *pauperes* res sunt *inopesque*, puellae. Ovid. de Rem. Am. 748: Nempe quod alter *egens*, altera *pauper* erat. Svet. Ner. VI: *Inops* atque *egens* apud amitam Lepidam nutritus est. Arnobius II: Cum sit *inops*, *pauper* lare, et tugurii *pauperis*.

ELABORARE, *V.* LABORARE.

ELEVAMVS et quae in altum extollimus, et quae *allevamus*, id est leviora facimus. Agraet. R.

ELIGO ad commodum, *deligo* ad agendum. R.

ELINGVIS habet linguam, sed usu eius caret; *Elinguatus* eam amisit. Ideoque idem est, ac lingua prorsus privatus. Front.

ELOQVENTIA est perfecta vis orationis: *Eloquium* pars supposita commode eloquendi; ponitur enim nonnumquam pro sermone commodo ac grato, nonnumquam etiam pro facundia atque elogio, hoc est, honoris de aliquo testificatione. Corn. Front.

ELVDERE (2) et PRAELVDERE sunt verba artis gladiatoriae, quae hoc differunt, quod *eludere* dicuntur gladiatores, cum petitiones adversariorum corpore declinant et effugiunt; *prae-*

(1) Leg. Ioann. Rudingeri Centur. I. Singular. Observat. diversor. Iurium Observ. XXXIII. num. 1. p. 60. Hugo cardinalis tria haec vocabula, *inopis* nempe, *egeni* atque *pauperis* sic distinguit, ut *primus* sit sine ope gratiae; *alter*, qui tribuit auctori Deo gratiam, quam habet quasi mendicato acceptam; *tertius*, qui adhuc est imperfectus, nec ei sufficit, quod habet. Glossa ex Cassiodoro tradit, conditionem generis humani calamitatibus pressi his tribus indicari, *inopem* hominem esse, quia mortalis effectus est; *egenum*, quia in labore et sudore panem quaerit; *pauperem*, quoniam de sapientia et puritate deiectus, solam tenuem et umbratilem ratiunculam possidet.

(2) Proprie et quidem ex Donati mente, non solum est finem ludo imponere, sed et ludendo decipere. Conf. Schardii Lexicon iuridicum p. 318. col. 1.

Digitized by Google

ludere, cum ventilant lusoria arma ante pugnam, ideoque idem est, atque actionis seriae tentamen quasi ludicrum praemittere. Lex. Ian. Cic. de Orat. II. 80: Atque eiusmodi illa *prolusio* esse debet, non ut Samnitium, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugna nihil utuntur, sed ut ipsis sententiis, quibus *praeluserunt*, vel pugnare possint. Ovid. de Art. Am. III. 515. seq. Sic ubi *praelusit* rudibus, puer ille relictis, Spicula de pharetra promit acuta sua. Manilius Astronomic. v. 163. seq. Ille cito motu rigidos *eludere* caestus, nunc exire levis missas, nunc emittere palmas. Sed interdum *eludere* significat idem, quod *praeludere*; Cic. de optimo genere Oratorum VI: Non enim in acie versatur et ferro, quasi rudibus eius *eludit* oratio.

ELVXIT, qui luctum deponit seu finem lugendi fecit. *Illuxit* cum lumen apparuit. Agraet.

EM pro EAM, et EVM pro EORVM veteres quoque dixisse, Festus Antiquit. Rom. v. haud incertus auctor est; vid. Perotti Cornucopiae Epig. II. 106. 53. *Em* cum ostendis; (quod et pro eum, a nominativo is, veteres eod. Festo loc. cit. testante, dixerunt), *En* cum increpas. Cic. *En* cui tamen quoque libros tuto committas! Sed *Hem* cum dolor iram moverit, aut cum admiratio cogitatioque stuporem. Agraet.

EMENDATE loquitur, qui recte et pure loquitur. Priscian. *Congrue* loquitur, qui apposite ad rem et convenienter dicit. Goclen. R.

EMERE est pretio acquirere, unde et antiquis Ictis pro accipere frequenter ponebatur. Eius opposita leg. apud Gambarellam in Antithetorum amica simultate, p. 238. *Parare* vero est pecuniis, vel gratia, vel alia quavis ratione usui suo adiungere. Sallust. in Iug. XXXI: Servi aere *parati* iniusta imperia dominorum non perferunt. Ter. Eun. I. 2. 69: Cupio aliquos *parare* amicos beneficio meo. Iurisconsulti haec paulo aliter distinguunt, et *emtum* ac *paratum*, quae in legatis uxoris adiiciebantur, ita volunt differre, quod in emto paratum sit, in parato emtum non contineatur. Ulpianus ad Sabinum 22. l. 49. ff. de leg. 11. Item interest ipsius causa parata sint et legata, an ipsius causa *emta*. *Paratis* enim omnia continentur, quae ipsius usibus fuerunt destinata; *emta* vero ea

Digitized by Google

sola, quae propter eam *emta* fecit maritus. Liv. XXXIV. Inde si quid *emtum paratumque* pupillis ac viduis foret, a quaestore proscribebatur.

EMERITA sunt stipendia, quae militibus emeritis atque solutis labore militiae solvuntur, seu, quae peracta sunt, cum iam milites missionem, ut veterani impetraverunt. *Praemia* sunt donativa ultra emerita, veteranis dari solita. *Illa* debentur ex formula militari; *haec* gratuito dantur ex liberalitate principis. Arius Menander de Re militari 2. l. 5. D. de re mil.: Ut veteranus erit restituendus, et *praemia* et *emeritum* caput. Svet. Aug. XXIV: Item alias immodeste missionem postulantes citra commoda *emeritorum (praemiorum)* exauctoravit. Ib. Devictisque his et confiscatis, promissa veteranis *praemia* persolverentur.

EMIGRARE inter et EXIRE aliquid est. Cic. Verr. II. 36: *Hospitium ei renunciat; domo eius emigrat, atque adeo exit. Nam iam ante migrarat.* Hotomannus ad h. l. de ista differentia ita: Quid interest, inter exire et emigrare? emigrare seu migrare dicitur, qui ex eo loco, in quo habitabat, relictis vasis, discedit. Quod, opinor, hic Plauti locus ostendit in Menaechmis v. 2., 68. seqq., ubi Menaechmum viri fratrem uxor surrepti Menaechmi noctu cum palla ad meretricem profectum apud patrem insimulat: *Senex.* Ubi habitas insanissime? *Men.* Tune senex ais habitare me hic in hisce aedibus? *Se.* Tu negas? *Me.* Nego hercle vero. *Mu.* Nimio haec impudenter negas. Nisi quo nocte hac emigrasti? *Se.* Concede hoc filia. Quid tu ais, num hinc emigrasti? *Me.* Quem in locum? aut quam ob rem obsecro? Similiter alibi emigrare Verres ex praetorio dicitur, quum in locum quemdam, Syracusis proximum, ad aliquot dies animi causa divertit, cum scilicet eo non omnia vasa sua exportaret. Tum igitur, cum deportaret, exire, dicitur. Sed haec servatur perraro differentia. Nam et locum qui mutat, et qui vasa exportat, migrare et commigrare et emigrare dicitur.

EMINERE habet significationem praestantiae et excellentiae; *Enitere* claritatis. Goclenius. H.

EMOLVMENTVM pro quolibet momento et commodo, et honestius quid, quam *utilitas* accipitur. Cic. de Orat. I. 8: In

Digitized by Google

id studium incumbite, ut et vobis honori, et amicis *utilitati*, et reipublicae *emolumento* esse possitis. R.

EMPLASTRA D. de Fund. inst. XVIII. § 10 sunt medicamenta quae liquati aliquid accipiunt, tum vulneribus imponuntur: *Malagmata* sunt fomenta, quae contusa et super cutem iniecta, ulcera dura mollificant, et matura faciunt: *Pastilli* arida sunt medicamenta, quae aliquo humore delinuntur, deinde vulneribus imponuntur, ut prolixe tradit Cels. v. 7. Imponuntur *emplastra* vulneribus; *Malagmata* super integram cutem iniiciuntur; *Pastilli* autem illinuntur, aut alicui molliori ceratove miscentur.

ENICARE plus est, quam *opprimere*. Plaut. Bacch. IV. 8. 26. R.

ENITI, INNITI, OBNITI, cum ex uno sint intellectu, acceptis tamen praepositionibus fiunt diversa. *Eniti* enim potest videri aut aliquam gratiam, aut honorem, aut utilitatem aerumnoso tendere sine labore; quamquam in aliquibus gravius audiatur, ut sunt enixae, pariendi labore defunctae. *Inniti* autem incumbere, manifestum est. Virg. Aen. VI. 760: Ille, vides, pura iuvenis, qui *nititur* hasta. *Obniti* vero est, contra adversarium luctari. Virg. Georg. IV. 84: Usque adeo *obnixi* non cedere. Non. R.

Ἔπαινος et Ἐγκώμιον hunc in modum differunt, ut *hoc* sit pusilla quaedam panegyris, ἐν ταῖς κώμαις; hoc est, in vicis, tribulibus audientibus, in laudem alicuius prolata; *illud* autem tum vera, tum falsa oratio de cuiuspiam perfectione, modo sit sine ornatu, simplex ac brevis. Conf. Scaligeri Poëtic. III. 109. 370.

EPHEMERIDES, ADVERSARIA et COMMENTARII distingui debent. Quum diebus singulis res gestae scribuntur, ea historia graeco vocabulo ephemeris dicitur, cui latinum verbum respondet, quod apud Gellium V. 18: Sempronius *diarium* appellat. Sed aliae sunt quotidianae tabulae, in quibus accepta et expensa praescribuntur, quae Cicero *adversaria* nominat. Moris nempe erat, ut patres familiarum, quaecumque per singulos dies aut acciperent aut expenderent, ea primum propere ac festinanter memoriae causa in codicem paratum referrent, quae *adversaria* dicebantur, deinde per otium in aliis tabulis ordine et accurate perscriberent. Eas tabulas accepti

Digitized by Google

et expensi nominant. Hotomannus ad Cic. pro Quinct. xviii. et pro Rosc. Com. I. *Commentarii* vero nomine vocatur, quidquid solius memoriae causa scribimus aut scriptum videri volumus, ubi proinde ars omnis, omnia ornamenta absunt, et id solum agitur, ut commentarium intuentes reminisci possint, quae commeminisse opus est. Quo nomine ergo omnia acta privata et publica, rationes, materia et velut silva dicendorum aut scribendorum, sive oratoria ea sit, sive historica, et quidquid denique vel nos, vel alios meminisse volumus, vel scientiae vel agendi caussa continetur. Itaque modestiae caussa Caesar libros de bellis suis commentarios inscripsit. Vid. Gesn. thes. in voce *commentarii*. *Ephemerides* tamen pariter erant recensiones impensarum, non modo diurnorum. Nepos Att. xiii: Scimus, non amplius, quam terna millia aeris, peraeque in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumtui ferre solitum.

Epicedivm est, quod dicitur, cadavere nondum sepulto. Leg. Virgilii Ecl. v. 20 et 43. *Epitaphium* post completam sepulturam dicitur. Serv.

Epistola est ipsa charta scripta et obsignata, quam ad absentem mittimus, ut de aliqua re certior fiat; *litterae* vero sunt res, quae per epistolam significantur. Cic. ad Q. Fr. iii. 1: Venio nunc ad tuas *litteras*, quas pluribus *epistolis* accepi. Th. Vall.

Epvlvm publicum et solemne senatui, prandium item, sed populo dabatur. *Epulae* privatae, *dapes* in sacris. R. *Epulum* est solemne et publicum convivium, ut triumphalis, pontificalis (1), auguralis, vel funebris coena; *epulae* sunt convivia privata, item cibi affluentiores. Cic. in Vatin. xii: Ita enim illud *epulum* est funebre, ut munus sit funeris, *epulae* quidem ipsae, dignitatis.

Ergastvlvm et Ergastvlvs, ut genere, ita et intellectibus differunt. Nam neutro, carceris locus est, proprie autem locus, ubi lapides metallave fodiuntur. Sed quoniam ad haec

(1) Huius descriptionem vid. apud Stuckium I. Antiqu. Convival. cap. 18. p. 45. b. Quomodo autem epulae olim fuerint divisae, tradit Fulvius Ursinus in Appendice ad Petri Ciacconii librum de Triclinio p. 74.

Digitized by Google

opera damnati, ad ergastula mitti solebant, ut illic metalla eruerent, factum est, ut ergastulum pro carcere sit positum. Masculino custos loci poenalis. Lucil. Satyr. xv. 170: Non *ergastulus* unus et alius iudicem apposuit, ut nemo sententiam libere quasi ergastulus possit dicere.

ERIPERE est de manibus auferre per raptum et vim; *Eximere* est, quoquo modo auferre, ut puta, si quis non rapuerit quem, sed moram fecerit, quo minus in ius veniret, ut scribunt iurisconsulti. Ter. Adelph. II. 1. 44: Domo me *eripuit*, verberavit. Quinctil. in Declamat. Tu illum *exemisti*, cum ad magistratus eductus est.

ERGA ad affectum refertur, ut: *Erga* illum sum benignus. *In* ad simultatem. *Hoc* plerumque in malam; *illud* autem in bonam partem sumitur, ut: In illum sum saevus. Fl. Sosip. *Adversus* et *adversum* plerumque in malam partem, interdum in bonam, *contra* semper in malam partem.

ERGASTERIVM erat officina opificum et mercatorum, *ergastulum* erat ex glossa Philoxeni τόπος ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται. Lips. Elect. II. 16. Part. I. 796. R.

ERRATIO est pecudum, *error* animi est et loci, in quo erratur. Donat. R.

ERRO est incertis vagans sedibus, seu qui frequenter sine causa vagatur; et, tempore in res nugatorias consumto, serius domum redit. *Fugitivus* autem est, qui eo animo discedit ut non redeat, auctore Ulpiano l. 4. D. de Re mil. Seneca Benef. II: Dum vagus atque *erro* vernaculis congregatur et ludit. Arrius Menander de Re militari II.: Levius itaque delictum emansionis habetur, ut *erronis* in servis; defectionis gravius, ut *fugitivi*.

ERRARE est per loca sola et ignota discurrere; *Vagari* per diversa. *Illud* solitudinem; *hoc* dispersionem exprimit. Cic. de Orat. I. 48: Ne *vagari* et *errare* cogatur oratio. Pacuvius in Periboea p. 254: Incerte *errant*, *vagant*. Hor. Ep. I. 12. 17: Stellae sponte sua, iussaene *vagentur* et *errent*.

ERRARE et DECIPI hunc in modum differunt, ut posterius turpius sit priore. Nam *erramus* ipsi opinione lapsi; *decipimur* autem ab alio prudentia victi. Credulitas saepe nos inducit in errorem; sed infidi, fallaces atque callidi nostram spem fallunt. Goclen. p. 231. H.

Digitized by Google

ERRARE dictum est ἀπὸ τοῦ ἔρρειν, *hallucinari* ex eo, quod graece dicitur ἀλύειν. Agell. R.

ERRATICVS (qui et errabundus atque erroneus, hoc est, errore errans, dicitur) et potest errare et solet; *Erraticius* animus est, qui solet errare et desinit. *Erratio* animi est repentina commotio. Corn. Fronto.

ERRATVM a CVLPA distinguit Cic. pro Ligar. I.: Quum a te non liberationem *culpae* sed *errati* veniam impetrassent. Distinguit *erratum* a *culpa*, quae tamen et ipsa leve peccatum est, ut minuat peccatum suum aliorumque, qui pro Pompeio pugnaverant. Pertinet huc illud pro Marcello XIII: Omnes enim, qui ad illa arma sumus, nescio quo reipublicae misero funestoque compulsi fato, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. Quo loco non simpliciter culpam vocat; sed aliquam culpam erroris humani, in quem homines omnes incidere possunt. Culpam peccatumque a facinore atque scelere non modo Cic. l. c., sed in primis Ovidius saepissime separat, ut Trist. I. 2. 98: A culpa facinus scitis abesse mea; Id. ib. IV. 4. 37: Hanc quoque, qua perii, culpam scelus esse negabis.

ERRATRIX per se rapta est, ut venatrix, *erratica*, ut hedera, vitis. Front. R.

ERROR (1), est rei vitium, ut amor, dolor; *Erratio* incertae viae. Front. *Erratio* est pecudum, *error* animi et loci, in quo erravit. Donat.

ESSE et EXSTARE ut diversa, posuit Paulus ad Edictum 2. l. 4. D. de Usufr. Usufructus in multis casibus pars dominii est et exstat, ubi minus valet esse, quam exstare, quod est proprie actu esse, et vere existere, perseverare et permanere, ut *constare*. Vetus poëta apud Cic. Tusc. II: Ubi rigida constat caligo inferum. Ulp. ad Edictum 64. l. 29. D. de Oper. Liber.

(1) Error idem est, quod inscientia, vel ignorantia, ἄγνοια, animi habitus. Erratum est ipsum factum, vel dictum, σφάλμα, vel peccatum. Cic. de Fin. I: Democriti errata ab Epicuro reprehensa et correcta permulta. R.

Ponitur et haec vox pro ipsa erratione, errato, peccato, laesione, prolapsione, fraude, falsa opinione, culpa et flagitio passim apud Plautum, Terentium atque Ciceronem.

Digitized by Google

Etsi haeres non *exstat*, id est, non perseverat haeres esse. Sed *est* etiam id, quod in obscuro latet; *exstat* id, quod in apertum lucemque profertur, et in vulgus manat.

Eventvs est successus rerum nondum ad finem deductarum, et non ratione, sed plerumque casu fit. Eventum autem in neutro genus esse, et de quacumque re, quae acta erit, dici posse, Nonius Marcellus de Propriet. Serm. col. 1301 nequaquam vanus auctor est. *Exitus*, (quam vocem Icti praeter vulgatam significationem etiam pro effectu atque morte ponunt), est finis rei, qui sequitur eventum et absolvit. Cic. Fam. vI. 1: Si mihi alterutrum de eventu atque exitu rerum promittendum est. Sed haec differentia non semper sibi constat.

Evnvchvs est, qui necessaria ad generandum parte deminutus est, sive naturaliter ita progenitus sit, sive ante pubertatem excisus, isque latino vocabulo dicitur castratus. Nonnulli putant, *eunuchum* aliquando per catachresin significare potentem quemdam aulicum, qui non exsectus, quemadmodum Ebedmetoch et Candaces, Aethiopes illi aulici in Libris sacris dicti sunt eunuchi. Ex quo apparet, non semper castratum tantum, sed saepe quoque officium denotare. Sic Andramytes, Lydorum rex, etiam mulieres fecit eunuchas, hisque, loco virorum eunuchorum, usus est, sicuti refert ex Xandi Lydii Rer. Lydar. ıI. Atheneus Deipnosoph. xıI. 4. 651. *Spado* proprie est, qui valetudine aliqua, vitiove corporis praepeditus, generare non potest. Conf. Schardii Lexicon Iuridicum p. 869. col. a, ubi varia et imprimis 868. col. b. tria spadonum constituuntur genera. Caius Instit. 1. D. de Adopt. ıI. Qui generare non possunt quales sunt *spadones*, adoptare possunt, castrati non possunt. Ulpianus ad Sabinum D. de Lib. et Post. v. 6: *Spadonem* quoque posse posthumum haeredem scribere et Labeo et Cassius scribunt, quoniam nec aetas, nec sterilitas ei rei impedimento est. Sed si castratus sit, Iulianus, Proculi opinionem secutus, non putat posthumum haeredem posse instituere, quo iure utimur. Eius autem iuris ratio est, quod *eunuchi*, quum testibus careant, omnino generare non possunt; *spadones*, qui temporali sterilitate laborant, vel propter frigiditatem, vel quia vias seminis ob-

Digitized by Google

structas habent, ut censent physici, si his aut similibus impedimentis liberentur, procreare possunt. Porro *spadonum* appellatio interdum generalis est, qua omne genus eviratorum continetur, ut auctor est Ulpianus D. de Verb. Sign. CXXVIII.

Ex quidam referunt ad locum, unde eximus, ut: Ex fundo venio, ex agro venio. *De* ad id, quod graeci περὶ dicunt, quasi de Marcello. Fl. Sosip.

EXANIMATVS est perturbatus, afflictus, perculsus: *Exanimus*, mortuus. Cicero ad Paet. Miraris, me tanta perturbatione valetudinis tam graviter *exanimatum* esse. Virg. Aen. XI. 30: Corpus ubi *exanimi* positum Pallantis.

EXAVCTORARE est militem sacramento militiae et stipendio solvere, ut nihilo tamen minus sub vexillo retineatur, donec emerita accipiat. *Missionem dare* est penitus ab armis castrisque dimittere; sive honesta missione post emerita stipendia, sive caussaria propter morbum, aut imbecillem valetudinem, sive ignominiosa ob delictum. Turnebus Adversar. III. 3. de hac differentia hunc in modum scribit: Exauctorantur, qui solvuntur stipendio; nec tamen dimittuntur, sed habentur sub vexillo, non sub aquila, aut signis legionis, neque iam legionarii sunt; retinentur tamen donec emerita solvantur, aut agri assignentur. Missio vero iis datur, qui penitus dimittuntur. Tac. Ann. I. 36: Missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari, qui sena dena fecissent. Sed quia *exauctoratio* ut plurimum ignominiae causa fiebat, inde *exauctorare* aliquando significat ignominiose mittere. Ulpianus ad Edictum 6. I. D. de his, qui notantur infam. l. 29. D. de Lib. I. Si enim exauctoraverit, id est, insignia militaria detraxerit. Arrius Menander de Re militari I: Erit exauctoratus, id est, militia remotus, castris eiicietur.

Ex BONIS alicuius dicitur esse res, in quam nonnihil iuris quis habet, etiamsi deposita tantum sit, vel commodata, aut pignori data; *In bonis* vero est res, quae in patrimonio alicuius est, sive dominium eius habeat, sive bona fide possideat. Nam eadem sunt esse *in bonis*, esse in possessione *bonorum*, *bona* possidere. Alii inter iurium antistites sanctaeque Themidis custodes sic dicunt: *In bonis* esse proprie dicuntur ea, quae situ et positione intra rem aliquam nostram

Digitized by Google

continentur; *ex bonis* vero, quae ὄντως, h. e. naturaliter sunt extra rem, sed tamen ad eam pertinent. Sic decem Nummi Ioachimici, qui sunt in marsupio meo, *in bonis meis* esse dicuntur; at quos Sempronio dedi mutuos, *meis* sunt *ex bonis*. Cicero pro Domo: Dominum se *in meis bonis* esse voluisset. Ulpianus D. de vi Bon. rapt. ad edictum 56. II. § 22: Sive *in bonis* sit, sive non sit; si tamen *ex bonis* sit, locum haec actio habebit. Quare si commodata res sit, sive locata sive etiam pignorata proponatur, sive deposita apud me sit, ut intersit mea eam non auferri, sive bona fide a me possideatur; sive usumfructum in ea habeam, vel quod aliud ius, ut intersit mea non rapi, dicendum est, competere mihi hanc actionem, ut non dominium accipiam, sed illud solum *ex bonis meis*, hoc est, ex substantia mea res ablata esse proponatur. Idem D. de Verb. Sign. LIX. 49: *In bonis* autem *nostris* computari sciendum est non solum quae dominii nostri sunt, sed etsi bona fide a nobis possideantur, vel superficiaria sint. Aeque *bonis* adnumerabitur, etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus. Nam haec omnia in *bonis* esse videntur.

EXCVBIAE sunt diurnae (1) et nocturnae; *Vigiliae* tantum nocturnae, eaeque in quatuor partes divisae, quarum singulae horis tribus constant, ut vigilia prima, secunda, tertia et quarta; cuius rei crebriora sunt, quam ut adscribi debeant, testimonia.

EXEMPLVM est, quod proponitur, ut sequamur aut vitemus. *Exemplar* est, ex quo similis efficitur aliqua species; quae et imago et simulacrum appellatur. Illud animo aestimatur; hoc oculis conspicitur, auctore Festo. Sen. ad Lucilium: Volo imaginem tuam facere, *exemplar* picturae te habeo, ex quo capit aliquem, ut habitum mens, quem veluti operi suo imponat. Plin. Epist. VI. 21: Comoediam ad *exemplum* veteris comoediae scriptam tam bene, ut esse quandoque possit *exemplar*. Sed hanc differentiam Valla refellit, et aliam ipse affert non multo sane meliorem. Confunduntur

(1) Sic ales gallus vocatur excubitor, quia pervigil horas cantu suo indicit. Leg. Perotti Cornucopiae Epigr. XIX. col. 738.

Digitized by Google

enim plurimum haec duo, ut cum dicitur *exemplum* et *exemplar* eloquentiae, pro imagine et praescriptione ad imitandum; *exemplar* vel *exemplum* litterarum, chirographi, testamenti pro forma et descripto, quod vulgo *copia* vocatur. Differunt autem multum, cum *exemplum* significat id, quod adhibetur rei probandae aut illustrandae causa, ut exempli gratia, vel cum sumitur pro consequentiis, quo modo dixit Ulpianus Institut. D. const. prin. 3. l. 1. Ad *exemplum* constitutiones trahuntur, vel cum maximae gravissimaeque poenae, quae possunt ceteris documento esse, dicuntur *exempla*, ut Terent. Eunuch. v. 5. 4: Quae futura *exempla* dicunt in eum indigna. Caes. B. G. I. 31: In eos omnia *exempla* cruciatusque edere. Hae enim notiones non conveniunt *exemplari* (1).

(1) *Exemplum* et *exemplar* quid differant copiose disputat Menckenius Misc. Lips. Nov. Vol. I. P. II. p. 319. sc. Ostendit enim, *exemplar* notare apographum, *exemplum* vero esse ipsam rei formulam, de qua sermo nobis est, e. g. epistolae, testamenti, sive scriptum sit ab eo, qui composuit, sive ab alio quocumque transcriptum; quae formula semper et ubique sibi constat, sed cuius apographa dari plura sexcentis possunt. Invehitur hac causa vir celeb. in criticos, quorum etiam principes, e. c. Schorus, Scioppius, Caleomus, Cortius, Graevius constanter docent, eam huius vocis vim ac potestatem esse, ut idem quod Graecis ἀπόγραφον, Latinis *transcriptum* Italis *copia* significet. Multa privato studio collegit Menckenius scriptorum loca, ex quibus differentia clarius perspicitur, in primis ex Plin. H. N. xxxv. 40: Huius tabulae exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit Dionysiis Athenis; et ex Tullio: Binas a te accepi litteras eodem exemplo, quod ipsum argumento mihi fuit diligentiae tuae; quem locum adduxit et recte reddidit Faber. Miratur iure quidem criticus noster, rectiorem vocis significatum ponendi Fabro rationem hinc non petitam. Eamdem vocis notionem cetera Ciceronis loca a criticis collecta admittere auctor tuetur. Opponi quidem solet unus ille Nasonis versus Trist. I. 7. 24:

Quae, quoniam non sunt penitus sublata, sed exstant
Pluribus exemplis scripta fuisse reor.

Sed licentiae poeticae vestigia hic quaerenda sunt. Metri causa exemplum pro adfini exemplar Ovidius ponit, et significationem alteri voci propriam, ad eiusdem stirpis et originis alteram suo quodam iure transfert. Sunt enim poëtae liberioris ingenii et severum grammaticorum horrent imperium, nec in sermone ipso for-

Digitized by Google

EXERCITVM laboribus; *Exercitatum* studiis dicimus. Agraet.

EXERCITVS est tota castrorum multitudo; R. *Agmen* proprie significat multitudinem exercitus ambulantis. Liv. XXXIII. 9: Phalanx, quae venerat, *agmen* magis quam acies, aptiorque itineri quam pugnae, vix dum in iugum evaserat. TH. VALL.

EXISTIMATIO *V.* AESTIMATIO.

EXISTIMO et IVDICO idem fere apud omnes scriptores valent; est tamen, ubi distinguantur. Cicero: Vulgi opinio vix mutari potest, ad eamque omnia dirigunt, et qui iudicant, et qui existimant. Vavassor antib. p. 524. Cic. pro Cluent. XXIX: Itaque nunc quemadmodum audiar, sentio, non modo ab iis, quorum iudicium atque potestas est, sed etiam ab iis quorum tantum est existimatio. Separat haec etiam Verr. v. 68. et alibi. Conf. Gronovium et Drackenborch ad Liv. XXXIII. 2.

EXPERGITVS est ab alio excitatus, quem solemus dicere expergefactum. *Experrectus* est, qui per se vigilare coepit, ut Festus tradit. Contrariam huius distinctionis sententiam suppeditat nobis Schoppius Suspectar. Lection. IV. Epist. 2. 244. Ego arbitror haec omnino eadem esse, neque in ulla aliqua re differre. Nam veteres dixerunt *expergo* et *expergor*, quod nos *expergiscor*. Ab illo fit *expergitus*, ab hoc *experrectus*. Lucil. Satyr. ap. Diomed. I. p. 372: E somno pueros cum mane *expergitu'* clamo. Varro de LL. VI: Cum non modo Epimenidis corpus post annos quinquaginta *expergitum* a multis non cognoscatur. Arnobius V: *Expergitosque* illos statim perdocuisse regem.

mulis aut peregrinis, aut quodammodo suspectis abstinent; etiam haec datur venia, ut in significationibus verborum deligendis recedant interdum a vulgari usu, maximeque iis vocibus, quae sunt sono cognatae, et ab eadem stirpe originem ducunt, eamdem tribuant vim ac potestatem. Oblitus autem est V. C., quod pace eius dixerim, eamdem differentiam Vorstium iam observasse, qui quamquam eumdem cum reliquis errorem communem habet, addidit tamen: Deinde exemplum idem est, quod argumentum litterarum, id de quo scribitur. Cic. ad Att. IX. 4: Capua allatae sunt litterae hoc exemplo.

Digitized by Google

EXPECTAMVS (1) tam bona, quam mala; *Speramus* bona tantum; *Expectamus* ante diem; *Speramus* ad diem, Donat. *Expectatio* rerum propinquarum; *Spes* longinquarum; *Expectatio* destinat tempus; *Spes* non destinat. Donat.

EXPELLERE est e loco occupato exterminare. *Repellere* est loci occupationem impedire. R.

EXPERTVS est aliquid, aut in bona parte, aut in mala; *Experrectus* de somno. C. F. R.

EXPETENDVM et ADEXPETENDVM differunt. Sen. Ep. CXVII: Expetendum est, quod bonum est, adexpetendum quod nobis contingit, quum bonum consecuti sumus; non petitur, tamquam bonum, sed petito bono accedit. Lipsius in nota: Expetendum est *αἱρετὸν*, adexpetendum *προσαιρετὸν*. Vocabulum adexpetere a Fabro et Gesnero, si recte vidi, omissum est; alii vero divisim scripsere, quum tamen ipse Seneca fateatur, sese illud composuisse: Coguntur nostri, inquit l. c., verba torquere, et unam syllabam expetendo interponere, quam sermo noster inseri non patitur. Ego illam si pateris adiungam (2).

EXPILAT populum princeps, qui exactionibus spoliat subditos, *compilant* servi dominos. R. Valla v. 16.

EXPILATORES sunt fures atrociores, qui ne pilum quidem spoliatis relinquunt, De effr. et expil. l. § 1. *Grassatores*, qui in via homines spoliant. *Sacculatii*, qui ex alienis sacculis magicis artibus suppilant pecuniam, velut hodie qui sacculos abscindunt. *Apertularii*, quibus nihil tam est obseratum, quod non aperiant. Pac. Isag. Tit. de Effract. *Directarii*, qui in aliena coenacula scandunt, fenestras hamis, uncinis, vel aliis malis artibus aperientes.

EXPILO videtur vehementius verbum esse, quam *furor*, quod clandestinum quid significat. *Pilo* significat furari Festus: Pilare et compilare sunt graecae originis. Graeci enim fures philetas appellant. Sed errant illi (quum opus non sit adspirationem tollere) in verbo, quod a *πιλόω*, denso,

(1) *Expectatur* venturus, *spectatur*, qui videtur vel probatur, Agraet. R.

(2) Optimae notae editiones habent, *expetibile*, et tamquam spuriam expungunt vocem *adexpetendum*. TH. VALL.

Digitized by Google

commode derivatur; consarcinant enim coguntque quasi, et condensant constipantque in saccos suos ablata. Quamquam igitur haec verba sint cognatae significationis, *expilo* tamen plus est, quam *furor*. Spolio et *expilo* separat Cic. Parad. VI. 1: Si socios spolias, acervum *expilas*. Spoliare plerumque est privare, speciatim vestibus et armis.

EXPLERI est tantummodo plenum esse. *Satiari* supra modum et abundantiam. Lucr. II. 1046: Deinde animi ingratam naturam pascere semper, Atque *explere* bonis rebus, *satiareque* numquam (1). Cic. de Rep. VI: Nec *expleri*, nec *satiari* ullo modo possunt.

EXPLORATOR est, qui inter hostes versatur, et eorum secreta cognoscit, ut suis renuntiet. Ideo, et Comenius haud inepte sic infit: *Exploratores* explorant hostem, ne inexploratus repente opprimat. *Speculator* est, qui ante exercitum speculandi gratia mittitur. *Speculator* hostilia silentio perspicit; *Explorator* pacata clamore cognoscit. Fest. R. Hic proditoris loco habetur, et capitis poena mulctatur; ille munus belli honestum praestat. Caes. B. G. II. 11: Hac re Caesar statim per *speculatores* cognita. Arius Menander de Re Militari D. VI: *Exploratores*, qui secreta nunciaverunt hostibus, *proditores* sunt, et capitis poenas luunt.

EXPONERE et EXPLICARE non unius sunt eiusdemque significationis. Dicitur *exponi* quod prostat palam, sed *explicari* res, quae revolutis integumentis denudatur. E. g. merces *exponuntur* in foro palam, *explicantur* vero, si eas inspicere emtor velit. Sic libri in tabernis librariis dispositi ordine, et a tergo inscripti *exponuntur*; *explicantur* autem cum aperti prostant in pergulis. Clare hanc differentiam Cic. docet in Brut. XLIV: Plura etiam dicta, quam scripta sunt: quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis intelligi potest.

EXPOSTVLARE est querelam apud eum ipsum deponere de eo ipso, qui fecit iniuriam. Hoc verbum pro eo quod est flagitare atque expetere etiam poni Tacitus Annal. XV. 17. auctor est his verbis: Armeniam praesidiis vacuam fieri, *ex-*

(1) Alias natura est satiabilis, satiari patitur facile: prava autem cupiditas inexsaturabilis est, cui ad satietatem nihil sufficit.

Digitized by Google

postulabat. *Postulare* autem querelam dicere de altero apud alterum. Donat.

Exprobrat, qui commemorat, quae praestitit; *Opprobrat*, qui opprobrium dicit, hoc est, vitium. Si autem vacas probro, opprobrium non erit tibi probo, sed ille potius fiet probrosus, qui tibi falsa exprobratione opprobraverit. Clarus.

Expromissor (D. de pign. Act. IX. et X. 53. de Contr. Emt. IV. l. 4. § de Re iudic.) est, qui pro alio promittit, et se obligat, sive fideiussione, sive novatione, sive delegatione id fiat. *Fideiussor* est, qui pro alio fidem suam obstringit solemnibus per stipulationem interpositis verbis hoc modo: Fide mea spondeo esse futurum. *Hic* cum alio obligatur, nec liberat reum; *ille* solus obligatur, et liberat debitorem principalem, ut scribunt iurisconsulti. *Sponsor*, qui etiam aliis contractibus, pactis aut pollicitationibus accedit; quapropter praedem, qui spondet vel pro se, vel pro alio denotat. *Constitutor*, qui per pactum nudum, epistolam, vel nuncium se firmiter obligat, aliquando etiam exempto reo principali: *Mandator*, qui praecedenti commissione alteri contractum mandat.

Exstruere (1) est in altum struere; *Instruere* aciem, vel actionem; *Adstruere* affirmare: *Construere* struendo coniungere; *Substruere* est aliqua substernere, superposita re. Agr.

Exsul et Relegatus multum differunt, quod vel ex solo Ovidio discimus Trist. II. 135: Adde quod edictum, quamvis immane minaxque, Attamen in poenae nomine lene fuit. Quippe relegatus, non exsul dicor in illo. Id. v. 2. 56: Nec mihi ius civis, nec mihi nomen abest, Nec mea concessa est aliis fortuna, nec *exsul* Edicti verbis nominor ipse tui. Id. v. 11. 15: Nec vitam, nec opes, nec ius mihi civis ademit: Quae merui vitio perdere cuncta meo. Et paullo post pergit: Ipse *relegati*, non *exsulis*, utitur in me Nomine. *Exsules* amittebant ius civitatis, eorum bona publicabantur, et ne intra Italiae quidem fines se continere ipsis licebat, sed ad socios transire

(1) Exstruere sepem fructilem, non magnae artis structura est. Sed construere arces, et illis circumstruere muros et adstruere turres et praestruere propugnacula, et obstruere flumina molibus, et denique ita substruere, ne structa destrui opus sit; ars est, ad quam instrui opus habent homines bona instructione. Comenius.

Digitized by Google

cogebantur, quod ex Ciceronis historia satis notum est. *Relegatus* contra ius civitatis retinebat. Videtur tamen ipse Naso hanc differentiam interdum neglexisse. Ex Ponto I. 1. 21: Quidquid id est, adiunge meis: nihil impedit ortos *Exsule*, servatis legibus, urbe frui.

EXTINGVERE minus est, quam *opprimere*. Cic. de Amic. *Extinctas* potius, quam *oppressas*, dicit amicitias. Quasi quod extinguitur, possit renovari, quod opprimitur, non queat. Non.

EXTRANEVS dicitur, qui est ex aliena terra, quasi exterraneus. *Exterraneus* quoque dicitur, qui ante tempus natus, vel potius eiectus est; dictus autem *exterraneus*, quod eum mater exterrita, alvo eiecit. Fest. R. *Extrarius*, qui extra eamdem aream; sive est alienus, qui extra focum, ius et sacra familiae est. Ter. Phorm. IV. 1. 13: Nam hanc conditionem si cui tulero extrario. Afranius in suspecta (p. 58.): Ut me esse in hac re ducat abs te extrarium. Lucr. IV. 278: Post extraria lux oculos perterget. Sed haec differentia, etsi Festum auctorem habet, mihi tamen non probatur, videnturque haec duo eadem esse, neque plus differre, quam proletarius et proletaneus, praesentarius et praesentaneus, vicarius et vicaneus, quae veteres propter affinitatem litterarum indifferenter protulerunt. Conf. Gifanii observationes in LL. p. 91. Hinc iidem appellantur extrarii et extranei haeredes, quicumque scilicet testatoris iuri subiecti non sunt, vel generaliter, qui nullo cognationis vinculo testatori iunguntur. Svetonius in Claudio IV: Ne haeredem quidem nisi inter tertios ac poene extraneos, e parte sexta nuncuparit. Iavolenus D. de Oper. Epistol. VIII. 3: Libertus qui solvendo non erat, praeterito patrono extrarios reliquit haeredes. Papinianus Responsor. D. de Leg. XI. 9. 78. Quod haeredem extrarium sine liberis decedens habuit. *Externus* est exterae gentis; *Alienus* non loco, sed re differt; *Extraneus*, qui extra eamdem ianuam est. Corn. Fronto.

Digitized by Google

F.

Fabvla est ficta, *Historia* vera res. R.

Fabvlones et Planipedes differunt. Salmasius exerc. Plin. p. 77. Perperam Donatus ad Terentium planipediam a mimis distinguit. Nam Donatus in enumerandis fabularum generibus mimos tantum posuit, qui sunt planipedes. Licet fabulae nomen generale sit, proprie tamen minus differt a fabula, seu dramate. *Fabula* est comprehensio rei gestae, seu quasi gestae, cum quadam oeconomia narrationis, explicatis, quae implicata sunt, ad certum exitum tendens laetiorem, ut comoedia, tristiorem, ut tragoedia. *Mimus* nec λύσιν habet plerumque nec exitum. Cic. Coe. xxvii: *Mimi ergo est iam exitus, non fabulae, in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur.* Multa alia sunt, quibus differunt. Hinc *planipedes* et *fabulones* distinguit erudite Macrobius Sat. ii. 1. hoc est, mimos et fabularum actores, lib. ii. *Haec nobis sit litterata laetitia, et docta cavillatio, vicem planipedis et fabulonis impudica et praetextata verba iacientis, ad pudorem, ac modestiam versus imitata.* In cetero fabularum genere certus erat modus imitandi, et honesti decorique habebatur ratio. *Planipes*, quodcumque, et quomodocumque imitaretur, partes suas agebat. Sic *mimus* est proprie turpis rei turpior imitatio.

Facere est in opere esse: et sumitur absolute pro officium facere. *Efficere* perfectionem designat. Donat.

Facetvs est, qui facit verbis, quod vult. Plaut. in Mostell. I. 1. 43, *facetum* idem quoque ac *lautum* esse dicit his verbis: Neque tam *facetis*, quam tu vivis, victibus. *Lepidus*, qui politus est, ut λεπὶς; *Lautus*, qui mundus et splendidus est. Donat.

Facies est naturalis oris et rerum species, quae numquam mutatur, sed eadem semper manet aut difficulter mutatur; *Vultus* est habitus faciei et rerum adscititius, qui pro motu animi et voluntatis mutatur; unde corporum facies et litterarum dici solet, maris autem ac coeli vultus, quum in his sit permutatio, in illis non ita. Facies igitur ad corpus, vultus ad animum refertur. Si facies et forma coniunguntur,

Digitized by Google

facies tamquam significantius posteriori loco ponitur. Cic. Off. I. 3: *Vultus* proprie hominis, *os* omnium, *facies* plurium. Ex quo longa, aut laeta facies, vultus laetus, vel tristis dicitur. Cic. Cluent. XCVI: Recordamini *faciem*, atque illos fictos simulatosque *vultus*. Sallust. in Catil. XV: Prorsus in *facie vultuque* vecordia inerat. Tac. Ann. XIV. 10: Non, ut hominum *vultus*, ita locorum *facies* mutantur.

FACILIS est, cuius ira cito solvitur, *clemens*, qui non irascitur. *Facilis* ad peccatum, *benevolus* ad iram refertur. Donat. *Clemens* est, qui colit mentem suam, nec eam vexat irascendo, *clemens* est circa recte agentes. *Placidus* etiam circa delinquentes. *Clementis* est, nulli laedere os, *placidi* arridere omnibus. Et *clemens* animo, *placidus* vultu. Donat. R.

FACILITAS est artificis, *facultas* exercitationis, *ratio* est artis. R.

FACINVS, FLAGITIVM, SCELVS hoc differunt, quod *facinus* vi, aut malitia committitur; *flagitium* (1) fit libidine, vel nequitia. Unde *flagitiosi* dicuntur impudici, adulteri, ganeones, aleatores, facinorosi, parricidae, sicarii, sacrilegi, periuri atque id genus alii; *scelus* utrumque comprehendit. Cic. in Catil. I. 6: Quod *facinus* a manibus umquam tuis, quod *flagitium* a toto corpore abfuit? Id. Fam. IX. 3: Cum omnes in omni genere et *scelerum* et *flagitiorum* volutentur. Sallust. Catil. XXIV: *Flagitiis* atque *facinoribus* coopertus. Id. ib. XXXVII: Omnes, quos *flagitium* aut *facinus* domo expulerat. Liv. XXXIX. 16: Minus tamen esset, si *flagitiis* tantum effeminati forent, a *facinoribus* manus, mentem a fraudibus abstinuissent. Praeterea quamvis levia sint *flagitia*, graviora *facinora*, tamen *facinus* interdum bonum est, *flagitium* semper malum et turpe. Sallust. Catil. II: Aliquo negotio intentus praeclari *facinoris*, aut bonae artis famam quaerit. Id. de Republ. ordinanda: Tametsi domi militiaeque praeclara *facinora* egisti.

(1) Alias huius vocis significationes suppeditat nobis eruditus Ianus Dousa II. Centurionatus, sive Plautinar. Explanat. cap. 17 in specie ad Epiced. p. 191.

Digitized by Google

Factio (1) est discessio hominum in diversas partes: *Seditio* vero est repens et tumultuaria dissensio multitudinis, qua alii in alios hostili animo feruntur. *Haec* fere est ab optimatibus, quibus populus catervatim adhaeret: *illa* a vulgo, ut ait Virg. Aen. I. 148. seqq. Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est Seditio, saevitque animis ignobile vulgus: Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat. Sallust. Iug. xxxI: Omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit. Sed haec inter bonos amicitia, inter malos *factio* est. Liv. xLI. 27: Ut Patavinorum in Venetia *seditionem* comprimeret, quos certamine *factionum* ad intestinum bellum exarsisse, et ipsorum legati attulerant.

Facvltas locupletis seu exercitationis; *Facilitas* artificis est. Itaque dives *facultatem* habet multam vel emendi vel redimendi; artifex opera perficiendi *facilitatem*. Corn. Fronto.

Fallacia, a fando dicta, proprie est quum quis contra quam dixit faciat. *Dolus* latius patet, et dicitur quaelibet machinatio ad alterum decipiendum. Plaut. Pseud. II. 4. 15: Per malitiam et per *dolum* et *fallaciam*. V. *Dolus*. Th. Vall.

Falsvm est, quo tegitur id, quod fallacia factum est; *Vanum*, quod fieri non potest, ideoque idem est, ac prorsus usu vacuum. *Fictum*, quod non est factum, sed fieri potest. *Falsum* est fictum mendacium simile veritati; *Vanum* nec fieri potest, neque est verisimile. *Fictum* totum sine vero, sed verisimile. *Falsum* loqui mendacis est; *fictum* callidi; *vanum* stulti. *Falsum* loqui culpae est; *fictum* virtutis; *vanum* vecordiae. *Falsis* decipimur, *fictis* delectamur, *vana* contemnimus. Donat.

Fama et Gloria saepe sine honore, ut *honor* saepe sine fama et gloria exsistit.

Fama et Rvmor saepe coniunguntur. Cato in Q. Thermum: *Rumorem*, *famam* flocci fecit. Varro de Vita Pop. Romani IV: *Rumores famam* differant licebit. Ea nonnulli ita distinguunt, ut *fama* sit cum tota civitas, seu vicinia, aut certe maior

(1) *Factio* et *factiosus* initio honesta vocabula erant: unde adhuc *factiones* histrionum et quadrigariorum dicuntur. Modo autem nomine factionis seditio et arma vocantur. Fest R.

Digitized by Google

pars aliquid dicat; *Rumor*, si saltem pars aliqua. Quae tamen differentia non semper observatur. Liv. II. 49: Manat tota urbe rumor. Fenestella Historiar. XXII: Secundo quidem populi *rumore* coepit. Quare verius est hoc differre, quod *rumor* est sermo quidam particularis, in populo recens natus, et sine ullo certo auctore dispersus, cui malignitas, ut Quinctilianus ait, initium dedit, incrementum credulitas; *fama* est communis quaedam ac consentiens opinio et tamquam publicum civitatis testimonium, quum tota civitas vel vicinia, aut certe maior pars aliquid dicit. *Fama* rei antiquae et novae, *rumor* novae tantum est. Cic. Fam. XII. 10: Quotidie, quae volumus, audimus, sed adhuc sine capite, sine auctore; *rumore* nuncio.

FAMILIA est series omnium agnatorum, qui ex eadem gente ac domo prodierunt, et cognomine distinguuntur (1). *Gens* (2) in se continet universum genus, ad quod omnes stirpes referuntur, ideoque idem est, quod natio, vel populus regionem quamdam incolens. Ut Iulia *gens* patricia habuit Iulios et Caesares. Unde duae Iuliae gentis familiae fuerunt, una Iuliorum, altera Caesarum. Svet. Caes. VI: A Venere Iulii, cuius *gentis familia* est nostra. Id. Ner. I: Ex gente Domitia duae familiae claruerunt, Calvinorum et Ahenobarborum. Liv. IX: Duorum Potitiorum *familias* fuisse, cum *gens* Potitia tota interiit. Id. XXXVIII: P. Scipio Nasica habuit orationem plenam veris decoribus, non communiter

(1) Conf. Rudolfi Godofredi Knichenii, viri politissimi, Oper. Polit. I. 4. Thes. II. 192 seq. et Schardii Lexic. Iurid. 265. col. a. ubi ex lege 144. seq. de VS. exstat, *familiae* appellationem non solum ad personas, sed et interdum ad rem referri, inque hac posteriore relatione haereditatem, sive res haereditarias denotari. Leg. Wilhelmi Ludwelli commentar. Inst. III. t. 28. § 4. 641. edit. 2. Quis autem *familiae* emtor olim (in primis apud Romanos) fuerit, tradit Antonius Hotmannus in Observ. de Vet. Ritu nuptiar. 25. 312. ed. Amstel. in f. 12ma.

(2) *Gens* distinguitur nomine, *familia* cognomine. Denique, cum et *familiae* denuo in novas stirpes abirent, factum est, ut *stirps* distingueretur agnomine. Agnomen vero aliquando etiam rem aliquam gestam, vel factum habitumque corporis aut animi indicabat. Praenomen personae erat proprium. *Gens* complectitur in se familias, *familia* vero stirpes, in quas abiit. R.

Digitized by Google

Corneliae gentis, sed proprie familiae suae. Interdum tamen familiae appellatio latius patet, ac *gentem* significat. Lib. xI. de Fabiis: Omnes unius *gentis*. Et mox: Ibant unius familiae duces. Festus: Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux et princeps generis vocabatur pater et mater familias. Unde familiae nobilium Popilliorum, Valeriorum et Corneliorum.

Familiare ad dominum non refertur, cum amici familiares sint, *familiaricum*, quod servo competit, ut sagum, gladius. Corn. Front. R.

Familiaritas consistit in ratione vitae, et quotidiana consuetudine, et est potissimum propter usum; *Necessitudo* (1) in coniunctione singularis amicitiae, voluntatis, sanguinis atque affinitatis; *Societas* in privata fere rerum communione; *Collegium* in publico instituto; *Sodalitas* in hilaritate; *Necessitas* inter illos est, quibus carere non possumus; *Gentilitas* fit ex familia hominum ingenuorum eiusdem nominis; *Amicitia* animorum coniunctione, et datur etiam inter absentes; *Amor* potest esse sine amicitia; *Coniunctio*, ἁπλῶς posita, mutuis officiis absolvitur; ceteroquin enim habemus coniunctionem sanguinis.

Famosvs, qui laudis vel vituperii, *celebris*, qui honoris causa appellatur. *Famosus*, de quo omnes loquuntur, *celebris* quem prudentes modo cognoscunt et loquuntur. R.

Famvlvs dicitur, quicunque in ministerio est; sive servus sit, sive liber bona fide nobis serviens; et est proprie domesticus minister mercenarius. *Servus* est, qui alieno domino subiicitur. Ulpianus ad edictum Aedil. Curul. D. de Aedil. I. l. 28 : *Familiae* appellatione omnes, qui in servitute sunt, continentur, etiam liberi homines, qui bona fide ei serviunt.

Fanvm proprie est area et solum certis atque solemnibus verbis quasi fando sacratum, seu est templum in loco edito, a φανὸν conspicuum; *Templum* vero aedificium sacrum; vel,

(1) Necessitudo ob merita maiorem amicitiam et voluntatem coniunctionis notat. Cic. Orat. pro Deiot.: Summam necessitudinem magna eius officia in me, et in exercitum meum effecerunt. Goclen. R.

Digitized by Google

fanum est templum minus, ut sacellum. Cic. Catil. IV. 10: De aris, de focis et fanis ac templis. Svet. in Caes. LIV: In Gallia fana templaque deûm donis referta expilavit. Arnobius VI: Spatiosa templorum defanata ponebant. Sed haec fere semper confundi, nemo mediocriter harum litterarum peritus ignorat.

FAR et FARINAM differre lippis notum est et tonsoribus. Sed datur etiam far facticium, quod cum farina, a qua tamen differt, facile confundi potest. Gesnerus. Est etiam far quoddam facticium, a farina diversum, forte minus subtile, ptisanae simile. Cato R. R. 143: Farinam bonam, et far subtile sciat facere. Huc pertinet Columella VIII. 4. 1, ubi cibo gallinarum destinantur furfures modice a farina excreti, qui si nihil habeant farris, non sunt idonei nec tantum adpetuntur. Est ergo *far* album illud, quod separare a glumis et furfuribus molae opus est, quod cum in pulverem minutum est, *farina* dicitur.

FARI et LOQVI hoc differre Varro tradit, quod *fatur* is, qui primam significabilem vocem ore emittit, ut solent pueri; recte proinde Comenius: *Fari* discit infans fanda verba in infantia. *Loquitur* autem is, qui suo loco quodque verbum scienter ponit. Quae differentia apud scriptores, maxime poëtas, non observatur.

FAS, (quod fari et facere licet, et propterea iustum est) ad religionem; *Iura* pertinent ad homines. Serv.

FASCIA, TOENIA, LEMNISCVS ornamenta muliebria sunt, praecipue circa caput et pectoralia; *cingulum* sive *zona* tunicae fluenti coërcendae servit; *vinculum* coniungit diversa, vel etiam discordia atque reluctantia adstringit compescitque.

FASTVS de superbia (est enim affectata verbis et gestibus eminentia) et facit genitivum fastuum. *Fastus* de libris, et facit genit. Fastorum. Agr.

FATEOR. *V.* CONFITEOR.

FATIGATVS proprie dicitur is, qui vexatione aut molestia aliqua ad corporis lassitudinem deductus est, ut qui tempestate iactatus, aut curru equove duriter vectus; *Fessus* est, qui labore, onere, morbo aut angore deficit. Itaque plus est

Digitized by Google

fessus, quam *fatigatus*, nam *fatigatur* lassus, *defatigatur*, qui deficit. Liv. IV: Longo itinere *fatigatum* et onere *fessum*. Ib. XLVII: *Fessi* morbis et longitudine viae. Sallust. Iug. LIII: Itinere atque opere castrorum et proelio *fessi*. Servius ad Aen. VIII. 232, ita distinguit: *Fatigatum* corpore dicimus, *fessum* quoque animo; cum tamen *fatigatus* de animo etiam dicatur. Cic. ad Terent.: Te nec animi, nec corporis laboribus *defatigari*. Diomedes vero: *Fatigatus* est, (inquit), cum quis per alium laborare compellitur, ut lassatus; *fessus* vero, cum quis labore deficit, ut lassus. Quibus verbis quid sibi velit, non satis adsequor.

FATVM, quasi Dii sint fati; *fortuna* pendet ex illo. R.

FATVVS (1) est, qui desipit omnino; *Stultus* qui inepte et imprudenter, vel agit, vel loquitur. Alias *Stultus* est, qui corde est hebetior; *Fatuus* autem, qui obtusis plane sensibus. *Stolidus* hebes et vecors, qui proxime accedit ad naturam brutorum. Plaut. Bacchid. v. 1. 2: Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. Afranius: Ego meipsum *stultum* etiam existimo, *fatuum* esse non opinor; Arnobius I: Nos hebetes, *stolidi*, *fatui*, obtusi pronunciamur et bruti. *Fatuus*, qui ingenio et memoria valet quodammodo, sed sine ullo iudicio. *Stultus*, qui iudicandi facultate, quam habet, non utitur, vel abutitur. *Stolidus*, qui nec ingenio, nec memoria, nec iudicio valet.

FECI quasi facinus. *Facere* enim quis et homicidium dicitur; *Commerui* minoris culpae est; *Peccavi* multo minoris, vel levioris. Donat. Terent. Andr. I. 1. 112: Quid feci, quid commerui, aut peccavi?

FELIX ita natus est; *Fortunatus* cum opibus nomen accepit. Ita *felix* naturae bono fruitur; *fortunatus* commodo temporis. Fronto. *Prosper* dat felicitatem (2). H.

(1) Gravius est *fatui* vitium, quam *stulti*. Isidor. *Fatui* sunt, qui verbis et dictis *fatui* sunt. *Insulsi* vero corde et animo. *Fatuus*, inepta loquens, a fando dicitur, *insulsus* vero sine sale et sapientia. Donat. R.

(2) *Faustus* quasi a favendo dicitur, atque idem est ac *prosper* et *propitius*, unde contra *infaustum* minax et improsperum. Terent. Andr. v. 4. extr.: O *faustum* et *felicem* hunc diem! R.

Digitized by Google

Femina sunt partes inferiores mollioresque, quae se contingunt; *Femora* exteriores, ut Valla censuit. Quae differentia nullius est momenti, neque unquam observatur. Nam ut recte Servius et Charisius adnotarunt, femur tantum dicitur, et ab eo declinantur femoris et feminis pro ea parte corporis, quae est a coxa ad flexum pedis. Aliis femur dicitur pars superior pedis a natibus ad genua, cui tegendo serviunt femoralia. Tibullus I. 9. 26: Sed nocuit femori conseruisse femur. Svet. Tit. xliv: Equo quadam acie sub feminibus amisso.

Feralia diis manibus sacrata festa, a ferendis epulis vel a ferendis pecudibus; *feria* a feriendis victimis appellata. Fest. R.

Ferox natura, *asper* ad tempus, *ferox* leo. R.

Ferre proprie est corpore suo baiulare; *Portare* lectica, aut iumento secum ducere (1); *Agere* ante se pellere, ut scribunt Iurisconsulti. Liv. xxxix. 54: Postremo omnia, quae *ferrent agerentve*, ademta. Id. xlviii: Quae *ferre* atque *agere* possent prae se *agentes portantesque*; et xxxiii.: Saucios vehiculis tolli, *portarique* iubet. Senec. Ep. xxxi. 9: Non turba servorum lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina *portantium*. Quamquam *portare* interdum generalius accipitur pro *ferre*, *adducere* et *vehere*. Ter. Andr. iv. 3. 6: Mi homo, quid istuc obsecro 'st? Quo *portas* puerum? Sallust. Iug. xxxix: Quas paraverat copias, secum *portaret*.

Ferre et Referre sunt verba propria et solemnia in rogationibus; alterum ad populum, alterum ad senatum pertinet. Et *ferre* ad populum (vid. Brissonii de Formulis il. 220.) est rogationem, aliamve rem populo proponere ut eam suffragiis suis iubeat aut vetet; *Referre* ad senatum est consulere senatum, et illius sententias ordine rogare post relationem. Sallust. Catil. xlviii: Deque ea re postulant, uti *referatur*. Cic. Phil. viii. 11: Ut consules ad sena-

(1) Perottus in Cornucopiae epigr. xxxv. col. 851. lin. 51. seqq. dicit, quod *portare* duobus modis usurpari potest, uno quum iumentis, aut curribus aliquid nobiscum ducimus; altero, quum nostro corpore, imitatione iumentorum, *portamus*.

Digitized by Google

tum *referant*. *Ferre* est cum certo tempore; *Perferre* finem expectat eventus. *Feruntur* onera; *sustinentur* supplicia. Donatus.

FERVS est atrox et saevus (1), *ferox* est elatus, animosus vel effrenis, vel etiam fortis. Attius in Aegisto p. 5.: Neque *fera* hominum pectora frigescunt, donec vim persenserint imperii. Sallust. Iug. XIV: Sceleribus suis *ferox* atque praeclarus est. Id. ib. CVI: Ille animo *feroci* negat. Sed et *ferus* de inanimatis quoque dicitur, *ferox* de animatis tantum. Ennius Annal. IIII. 76: Scutis *feroque* ornatur ferro, id est, hostili. Sisenna Historiar. IV.: Partim *fera* vite, partim lauro et arbusto, ac multa pinu ac murtetis abundant: quod est agresti vite.

FESTINARE (2) est temere et praecipiti celeritate aliquo contendere, seu aliquid celeriter agere: *Properare* cito et strenue progredi, (3) ut eo quo velis, pervenias; *Maturare* est neque citius, neque serius, sed in tempore procedere, ut Gellius et Macrobius tradunt. Festus ita distinguit. *Festinat*, qui coactus necessitate, quod inchoavit, raptim tractat, nec perficit plane; *maturat*, qui in tempore, atque per otium, nec serius, nec citius, aliquid aut segniter facit; *properat*, qui celerat, ne transigendi occasio elabatur. Virg. Georg. I. 259. seqq.: Frigidus agricolam si quando detinet imber, Multa forent, quae mox coelo *properanda* sereno *Maturare* datur. Sallust. Iug. LXIV: Animo cupienti nihil satis *festinatur*. Nonius ita distinguit, ut *festinare* sit corporis necessitatibus obsequentis, *properare* animi studiose ad res aliquas con-

(1) Huius vocabuli antitheta in primis sunt humanus, mansuetus, misericors, mitis, civilis atque sapiens. Vid. Gambarellae lib. Oppositor. p. 282. Et ut *asper* ad tempus est, sic *ferus* natura. Virg. Aen. II. 326. seq. *Ferus* omnia Iupiter Argos Transtulit.

(2) *Festinare* et *properare* utraque in se tumultuariam celeritatem habent, hoc tamen differunt, quod qui *festinat*, multa quidem inchoat, sed nihil perficit, qui autem *properat*, inchoata quidem ad exitum perducit, sed tamen, urgente celeritate, multa necesse est non omnino absolute fieri. *Maturare* autem est, quod nec serius est, sed medium quoddam, ut poma *matura*.

(3) H. e. celeriter ire ἀπὸ τοῦ προπορεύειν, quod procedere seu porro tendere denotat.

Digitized by Google

tendentis. Sed hae sunt grammaticorum argutiae, quae veterum auctoritate refelluntur, apud quos haec tria verba promiscue significant accelerare. Tantum illud *festinare* motum et celeritatem maiorem exprimit. Sic quod dixit Cic. Cluent. LXI: Mortem *maturabat* inimicus. Hoc Lucr. VI. 772: Mortem quae possent *accelerare*. Tac. Ann. II. 31: Voluntariam mortem *properavisset*. Cf. Gell. X. 11; Macrob. Saturn. VI. 8.

FESTINATIO et CELERITAS differunt. Cic. de Off. I. 36: Cavendum est, ne in festinationibus nimias suscipiamus *celeritates*. *Celeritas* igitur plus est *festinatione*.

FESTIVITAS in dictis, *facilitas* vero in animo et factis. Donat. R.

FESTVS DIES. *Dies festi* diis dicati sunt, illis insunt sacrificia, epulae, ludi, feriae, Macrob. Sat. I. 16: *Feriis* solummodo insunt sacrificia, quibus *feriis* homines se abstinebant omni opere. Deinde *feriae* erant stativae, quae quotannis certo suo die redibant; conceptivae, quae senatus vel pontificum iussu quotannis dies suas accipiebant; imperativae, quas consules vel praetores pro arbitrio potestatis novas indicunt. Macrob. R.

FIDEIVSSOR dicitur, qui pro alio stipulatione se obstringit (1); *Mandator* est, qui alteri *mandat*, ut credat, vel fideiubeat. Ita tamquam auctor contrahendi negotii, praecedit; *Fideiussor* vero contractae iam obligationi accedit. Cuius differentiae crebriora sunt in libris Iurisconsultorum D. de Fideiuss. et Mandat., quam ut hic adscribi debeant, exempla.

FIDEM HABERE et ADHIBERE non esse synonyma Westerhovius multis docet ad Ter. Andr. III. 4. 7: Nam propemodum habeo tibi iam fidem. *Fidem habere* est alicui credere;

(1) *Fideiussor* quomodo differat ab expromissore leg. Gregorii Frantzkii Icti celeberrimi commentar. in Instit. Iustin. III. 21. Princ. nom. 6. p. 418. *Fideiussores* autem his temporibus difficillime atque rarenter reperiri, tradit Ictorum laboriosissimus Antonius de Re in Tract. Novo de Iuramento calumniae cap. 15. num. 216. ubi causam statim addit his verbis: Quoniam mundus sit totus dissolutus *fideiussionibus*, et qui *fideiubet*, ponat in primis sibi ante oculos et proponat, pati mille persecutiones a creditoribus, immo a debitore ipso, pro quo *fideiussit* etc.

Digitized by Google

italice: *prestar fede*. Nep. in Them. VII: Quare aequum esse, illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur. *Fidem* autem *adhibere* notat fidelem esse; itali: *serbar fede*. Plaut. Rud. IV. 3. 104: Quamquam ad ignotum arbitrum me appellis, si adhibebit fidem, etsi est ignotus, notus est; si non, notus ignotissimum est. Observat idem Westerhovius, Ausonium X. 1. discrimen neglexisse, dum scribit: Si qua fides falsis umquam est adhibenda poëtis. Plura ex eodem addere nolo. Gesnerus in thes. v. *fides*, recte monet, plures ex recentioribus phrasi, *adhibere fidem*, alio sensu uti, quam Plautum. Sic Sulpic. Serv. de vita Mart. I. 11. 21. conf. Vorstius de lat. merito susp. p. 146. s. Locus Ciceronis De div. II. 59. *Quod si insanorum visis fides non est adhibenda*, dubius est.

FIDENS est constans et fortis, et quidem plerumque in bonis; *confidens* est audax, temerarius atque improbus, et sic plerumque in malis. Cic. Tusc. III. 7: Qui fortis est, idem *fidens*, quoniam *confidens* mala consuetudine loquentium in vitio ponitur.

FIDES aliud est, quam *fidelitas*, et *fidus*, quam *fidelis*. Nam *fides* (1) animo, *fidelitas* re declaratur. Plaut. in Trin. v. II. 5.: Cui *fides fidelitasque* amicum erga aequiparet suum. Id. ib. IV. 4. 3: Qualin' amico mea commendavi bona? Probo et *fideli* et *fido*, et cum magna *fide*. Cic. Fam. IV. 1: Si quem tuorum *fidelium* voles, ad me mittas.

FIDVCIA numquam est sine conscientia; *Confidentia* vero semper cum temeritate. H.

FIDVS in maximis; *Fidelis* in minoribus negotiis. *Fidus* est amicus, cui imprimis fidendum; *Fidelis* servus qui fidem praestat (2). *Fidus* nascitur, *fidelis* fit. *Fidus* cui fidendum est, atque huic etiam de iis, quae sunt hominis, et ad hominem pertinent. *Fidelis* est inferior erga superiorem. *Fidus* animo, *fidelis* re ipsa. Sed hae differentiae non ubique satis observantur. Valla IV. 130.

(1) *Fides* est commendatorum fida executio vel observantia: Taciturnitas vero observantiae genus, in silentio constituta, et in silentio secreta. Donat. R.

(2) *Fidelis* enim officium est, servare aliquid. Don.

Digitized by Google

Figvra est qualitas, et dispositio totius corporis. Ita hominis *figura* recta est, prona animantium, mundi rotunda; *Forma* (1) est facies cuiusque rei, et convenientia partium expleta atque perfecta, ut in homine *forma* regia, liberalis, mediocris. *Illa* discernit genera rerum, et in unoquoque a natura eadem una est. *Haec* species rerum separat, et in aliis alia apparet. *Figura* est circa gestum situmque membrorum; *Status* circa ornatum et habitum vestis, insignium et armorum. Ascon. Ped. *Figura* artis est opus: *Forma* naturae bonum, unde etiam *formosus* dicitur. Fr. R. *Figura* res nobis sistit mathematice, *forma* physice aut moraliter. Varro LL. v: Fictor cum dicit fingo, *figuram* imponit; cum dicit informo, *formam*. Cicero de Universitate: A quo enim animante omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea *figura* figuravit, qua una omnes reliquae *figurae* concluduntur. Id. Off. I: *Formam* nostram reliquamque *figuram*, in qua esset *species honesta*, eam posuit in promtu. Lucret. v. 737: Ordine *formarum* certo certisque *figuris*. Id. II. 777. seq. Ut saepe ex aliis *formis*, variisque *figuris* Efficitur quiddam quadratum, unaque *figura*.

Filii sunt masculini, *liberi* utriusque sexus. R.

Fingere et Diffingere. Acron ad Hor. carm. I. 35. 39: O utinam nova Incude diffingas retusum in Massagetas, Arabasque ferrum, ita distinguit. *Diffingas* i. e. confusum reformes. Nam, sicut *fingere* formare dicitur, sic et *diffingere* est quassatum reformare. Consentit Gesnerus thes. voce *diffingo*. Sensus est, inquit, ut ferrum, quod retudimus in corporibus nostrorum bello civili, *diffingas*, id est, refabrices adversus barbaros. Male Bentleius hoc loco *diffingas* mutat in *defingas*.

Fingere (2) (quod aliquando etiam ponitur pro eo quod est *simulare*, quoniam ea, quae simulamus, ita formamus atque componimus, ut vera esse videantur) est formare manu, aut ingenio excogitare rem novam, ut figuli et sta-

(1) Huius vocis, quae alias est media, variam acceptionem vid. apud Doletum in Formul. LL. fol. 63. b. et seq. a. Alioquin *forma* bona facit formosos, mala deformes, nulla informes.

(2) Fit, quod verum est, fingitur, quod falsum est, invenitur, ne temere fiat, efficitur, ut in effectum perducatur. Donat. R.

Digitized by Google

tuarii, cum ex materia molli statuas et vasa ducunt. Poëtae, cum fabulas componunt, *fingere* dicuntur. *Effingere* est exprimere alterius formam et imaginem. Cic. Off. I. 44: Apium examina non *fingendorum* favorum causa congregantur, sed cum congregabilia natura sint, *fingunt* favos. Id. Orat. II. 22: Illum, quem ante delegerit, imitando *effingat* atque exprimat.

FIRMVS de animatis et inanimatis: *Fortis* de animatis, ut firmissima turris. Goclen. R.

FISCVS PRINCIPIS non tantum principis, sed et familiae eius; *patrimonium principis* solius principis est.

FISTVLAM inter atque TIBIAM hoc discriminis statuit Gesnerus, quod *tibiae* ex ossibus, *fistulae* autem ex buxo, vel arundine fuerint constructae; quarum illae originem Minervae, hae autem Pani debebant. Aliud discrimen addit cl. Bidermannus in otiis litter. T. I. p. 134, quod nempe moduli in *fistula* ore, in *tibia* vero digitis erant temperandi. Ita enim Achilles Tatius Erot. VIII. 477. edit. Salm. Ὅσα δὲ ὁ τῆς Ἀθήνας αὖλος ἔντος λαλεῖ, τοσαῦτα καὶ ὁ τοῦ Πάνος ἐν τοῖς στόμασιν αὐλεῖ. Ἀλλ' ἐκεῖ μὲν οἱ δάκτυλοι κυβερνοῦσι τὰ αὐλήματα, ἐνταῦθα δὲ σοῦ τεχνίτου τὸ στόμα μιμεῖται τοὺς δακτύλους, i. e. quaecumque Palladis tibia, eadem Panis fistula, ori admota, sonat; verum illic digiti modos temperant, hic autem artificis os digitos imitatur. Ab his πλαγίαυλος diversus erat a Lybiae populis inventus, qui a latere inflabatur, quem vastam *tibiam* a Latinis appellatam fuisse Salmasius obs. ad Solin. cum quo Servius conspirat ad Virg. Aen. XI. Meminit illius Bion. Idyll. III. 52. Ὡς εὗρε πλαγίαυλος ὁ Πάν, ὡς αὖλον Ἀθάνα. Quae verba interpres gallus, Longuepierre in sua interpretatione ita transtulit: *Pan avoit trouvé l'art d'unir les chalumeaux*; eamque interpretationem his verbis excusat: *J'ai substitué ici les chalumeaux, c'est à dire, la σύριγξ des Grecs, et la* fistula *des Latins, dont Virgile donne l'idée par ce vers:* Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula. *Parceque cette flûte, dont parle Virgile, est plus, que la flûte oblique, et qu' il est certain, et même plus connu, que Pan en fut l'inventeur.* Plura de plagiaulo Schwebelius in nott. ad Bion. et Mosch. 52. sqq.

Digitized by Google

De *fistularum* et *tibiarum* differentia copiosius etiam agit Gasp. Bartholinus in diss. de tibiis veterum, 370. Accedit alia diversitas: *Tibia*, est instrumentum musicum, quod inflatur robustius et amplius, quam *fistula*, a qua differre satis indicat ipsum nomen, quum *tibia* ex ossibus, cruribus avium, gruum aliorumque animalium primum facta esse videatur. Plin. HN. xvi. 66: Calamus vero alius totus concavus, quem syringam vocant, utilissimum *fistulis*, quoniam nihil est ei cartilaginis atque carnis. Orchomenius est continuo foramine pervius, quem *auleticon* vocant. Hic *tibiis* utilior, ille fistulis; conf. Bartholinum *de tibiis* p. 370.

Flagitare est vehementer et plerumque cum strepitu et convicio, h. e. duris verbis, ut flagellis, instando postulare, seu poscere; *Postulare* est verecunde et modeste id, quod iure quodam debetur, rogare. Itaque *flagitare* maiorem vim exprimit. Sunt, qui *flagito* a flamma velint deductum, quasi flammas agito, quoniam *flagitare* idem sit, ac vehementer et veluti cum quadam inflammatione animi petere. Leg. Perotti Cornucopiae Ep. xix. col. 736. 4. seqq. Cic. pro Quinct. iii: Tametsi causa *postulat*, tamen, quia *postulat*, non *flagitat*, praeteribo. Hotomannus: Plus esse voluit Cicero *flagitare*, quam *postulare*, ut, qui *postulat*, si refutetur, non instet, qui *flagitat*, acriter assidueque urgeat. Id. Fam. ix. 8: Metno, ne te forte *flagitent*: ego autem mandavi, ut *rogarent*. Quo in loco *rogare* similiter quam *flagitare* minus esse voluit. Sed *postulamus*, quod quasi iure nostro contendimus, *rogamus*, in beneficiis et gratiae loco petimus. *Flagitatur* autem proprie, quod debetur, unde, qui debitam pecuniam poscunt, flagitatores. *Flagitare* esse cum strepitu quodam et convicio petere, ipsae litterae Fl, ut graece φλ, indicare videntur. Donatus ad Ter. Eun. ii. 3. 90: *Flagitatio* a strepitu dicitur, unde flamma et flagella et flagitare, id est personare intelligimus dici. V. Gesn. thes. voce *flagitio*. Conf. l. 4. § 2. D. de Postul.

Flagellum atrox erat olim poenae, et quidem servilis, genus. Atrocius *virgae*. Cic. pro Rab. iv: Porcia lex virgas a civium romanorum corpore amovit, hic misericors flagella retulit. Atrocius *scutica*. Hor Sat I 3. 19: Ne *scutica* dignam

Digitized by Google

horribili sectere flagello. Atrocius *fustes*. L. in servorum 10. ff. de poenis. Ex quibus causis liber fustibus caeditur, ex his servus flagellis caedi et domino reddi iubetur. Differentia haec in germanorum quoque lingua indicari potest. Hi enim *flagella* Spitzruthen, *virgam* Ruthe, *scuticam* Peitsche, *fustes* Prugel dicunt. *Flagella* vero summas arborum partes fuisse, Servius tradit. Calepinus *flagella* etiam aurigarum, esse autumat, quae excussa clarum reddant sonum, idque probare conatus ex Martiali XIV. 55: Proficies nihil hoc caedas licet usque *flagello*; et Virg. Aen. v. 578: Signum clamore paratis Epytides longe dedit, insonuitque *flagello*. At vero sonitus tantum illam nondum probat significationem. Servius hunc locum per virgam exponit, quae sonat in morem *flagelli*. Adde Martialem X. 62, scuticam paedagogis tribuere et ferulam. Igitur servile *flagellum* durius utraque fuit. *Ferula* milites quoque caedebantur, si quid contra disciplinam facerent. *Fustes* iisdem impingebant ob gravius delictum, ob levius autem crimen, praesertim si cives romani essent, tantum *vite* eos percutiebant.

FLAGITIVM *V.* FACINVS.

FLAGRAT dicimus, quoties incendium significatur, quod alitur, ut flagrantibus aris apud Virg. Aen. XII. 171. Sed quoties odor, qui fracta specie maior est, per R dicimus *fragrat*, ut: thymo *fragrantia* mella (1).

FLAVVM dicimus rubeum, sicut: flava Ceres; *furvum* nigrum. Hor. Od. II. 13. 21: Quam paene furvae regna Proserpinae. *Fulvum* rubeum et nigrum, ut: fulvum leonem, fulvam aquilam et fulvum aurum. Sic Virg. Aen. XII. 792: Fulva pugnas de nube tuentem, quae haberet igneum de caelesti et sordidum de lugubri, aut certe de Aenea iracundiam, de Turno tristitiam. *Fulvum* certe aurum, cui ad decorem splendoris sui ingeniti aliquid addatur. Agraet. R. *Flavum colorem* simplicem, *fulvum* e nigro et rubro denotat. R.

FLERE est lacrymis dolorem suum testari, quod cum fit effusius, dicitur lacrymare; *Gemere* est moeste suspirare, seu

(1) Apud eumdem Georg. IV. 169. et Aen. I. 436. Conf. Nicol. Erythraei Index in hos Virgilii locos, litt. F.

Digitized by Google

crebra suspiria cum lugubri sono edere; *Lamentari*, sive *miserari* est cum eiulatu aegritudinem animi aperire (1); *Plorare* vero est voce flebili et querula dolorem ostendere. *Plangere* fit percussu membrorum. *Vociferari* est immani voce aut dolorem aut indignationem ostendere. Enn. in Annal.: Flentes, plorantes, lacrymantes ac miserantes. Ter. Phorm. I. 2. 46: Suam matrem *lamentari* mortuam. Sen. Ep. LXIII: *Lacrymandum* est, non *plorandum*. Plaut. Amph. v. 1. 47: Uxorem tuam neque *gementem* neque *plorantem* audivimus.

FLVCTVO animo, *fluctuor* animo et corpore. R.

FLVMEN idem fluit et manet; ideoque ceteris fluviis maior est. *Fluvius* temporibus siccatur. Quamvis aliis aqua perenne defluens dicatur. Corn. Front.

FLVVIVS et FLVMEN est, quod fluit continue; *Amnis* id flumen est, quod circuit aliquid, nam ab ambitu amnis. Itaque Tiberis amnis, qui ambit martium campum et urbem. Varro LL. IV. 9. *Festus*: amnis proprie dicitur a circumnando, quoniam ex graeca praepositione sumtum, quae est ἀμφὶ, significat circum, et nare, fluere. Conf. Gesn. thes. voc. *amnis*.

FOEDERATI *V.* SOCII.

FOEDVS est, quod iussu populi, atque senatus auctoritate per fecialem sacerdotem solemni ritu feriebatur; *Pactio* est conventio paciscendae amicitiae et societatis causa certis conditionibus firmata (2); *Sponsio* est, quae a magistratibus et imperatoribus iniussu populi fiebat, atque deditione eorum per quos facta esset, infirmabatur. Ita *foedus* pactione, *pactio* sponsione firmior et stabilior fuit, vel, *foedus* sanciebatur religione, *pactio* et *sponsio* firmabantur poena, auctore capto.

(1) Huc referendum: *Queror* quoque, quod idem est *Lamentor*. Nam *lamentando*, quae res sit, quae nos agat, explicare solemus. Quidam tamen *lamentor* a *queror* sic distingui dicunt, ut *lamentari* sit voce querula, et tristi oratione cladem suam testari.

(2) Ergo *pactio* est generale, *foedus* speciale; *pactio* item est duorum et plurium; *foedus* semper ad plurimos attinet; *foedera* porro sunt publica; *pactiones* etiam privatorum. Vid. Goclenii Observationes LL. p. 333. Omne *foedus* est pactio, sed non omnis *pactio* est foedus. *Foedus* enim est species *pacti*. *Sponsio* est obligatio eius, qui alteri aliquid promisit.

Digitized by Google

Cic. Caecin. XVIII: Quae lex, quod *foedus* aut *pactio*. Id. ad Quir. post redit. V: Quum omnium provinciarum *pactiones*. quum omnia cum omnibus *foedera*. Sallust. in Iug. XXXIX: Suo atque populi iniussu nullum potuisse *foedus* fieri. Liv. IX. 5: Consules profecti ad Pontium in colloquium, cum de *foedere* victor agitaret, negarunt, iniussu populi *foedus* fieri posse, nec sine fecialibus caeremoniaque alia solemni. Itaque non, ut vulgo credunt, Claudiusque etiam scribit, *foedere* pax caudina, sed *sponsione* facta est. Id. ibid: Tam *sponsiones*, quam *foedera* sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta divinas religiones fides humana colitur, sed iniussu populi nego quidquam sanciri posse, quod populum teneat.

FENERO dicitur dantis, sed *feneror* accipientis. Qui *feneratur*, ad usuram accipit; qui *fenerat*, fenori exponit, seu ad usuram dat. Cicero aliquando hoc discrimen non observat, *fenerari* enim accipit pro *fenerare*, ut: Amic. IX: Neque enim feneramur beneficium. R.

FENVS et MVTVVM varie differunt. *Mutuum* erat gratuitum, neque usurae debebantur; *fenus* exhauriebat debitores. *Illud* sub amico adspectu dabatur, *hoc* inexplebilis habendi cupiditas invenerat. *Mutuum* est honestum, *fenus* bonis omnibus turpe videbatur. Porro *mutuum* ad tempus necessarium dabatur, *fenus* in certum statumque diem. Diximus, inquit Heineccius in syntagm. A. R. L. III. tit. 15. § 6., contractum fenoris proxime accedere ad locationem, conductionem, quia nummi usui dantur, et accipiuntur certa mercede. Unde Hor. Sat. I. 2. 9: Omnia conductis coëmens obsonia nummis. Ubi nummi conducti, sunt fenore sumti. Sed *fenus* tamen proprie non est locatio, quia nummorum non usus, sed abusus est. Accedit, contracta locatione eamdem rem reddendam esse, contracto fenore non item. Quare in negotio usurario duplex intervenit contractus, mutui puta et fenoris, quorum ille re, id est, stipulatione initur. Neque enim citra stipulationem fenus contrahebatur, nisi nauticum, D. de naut. fen. v. § 1. et VII. Item *fenus* reipublicae, vel mensae argentariae, ut et in his rebus, quae mensura constant. Cuiacius obs. VIII. 15. R.

Digitized by Google

FENVS et USVRA differunt, ut Graecorum δάνειον et τόκος. Hinc satyricus mercedem fenoris dixit pro usura fenoris: et Isidorus ex antiquiore aliquo auctore usuram definit incrementum fenoris, ab usu aeris crediti adpellatam. Ubi fenus idem est illi cum aere credito, cuius incrementum, vel accessio, usura dicitur. Quam differentiam inter fenus et usuram Ictos neglexisse Salmasius queritur de Usur. p. 84. *Molinaeus, inquit, haec si observasset, non dixisset, usuram et fenus idem esse, et synonyma proprie loquendo, nisi, quod usurae nomen latius patet in iure, quia fenus non capitur, nisi pro usura stricte sumta, videlicet in mutuo.* Sed rectius monet cel. Gesnerus in thes. voc. *fenus*, utrumque τὸ fenus notare et ipsum caput, seu pecuniam ea conditione creditam, ut usura eius nomine solvatur, et usuram, seu impendium, quod pro usu aeris alieni datur. Falsus enim est Salmasius, qui priorem intellectum solum pro vero et proprie habuit cap. 2. et 5. Meliora docuit Gronovius in mantissa pecun. vet. cap. 1. p. m. 93. seq. Exempla rem declarant. Svet. Octav. XXXIX: Pecuniam levioribus usuris mutuati, graviore fenore collocassent. Quidquid sit, scriptores utique his vocabulis utuntur pro synonymis; sed inde non sequitur, semper fuisse synonyma, quum differentia harum vocum non interierit.

FOETVS generale omni animanti etiam homini, speciatim avium et piscium; *Catuli* ferarum, speciatim eorum animantium, qui clausis oculis in lucem eduntur, *Pulli* pecudum, qui apertis oculis nascuntur inter pecora, maxime vero de gallinis dicitur; *Hinnuli* cervarum, caprarum, leporum et similium. Valla IV. 71. R.

FORA sunt loca nundinationis et negotiationis, vel iudiciorum et litium exercendarum sedes; *Fori* (1) sunt tabulata navium, sive spatia in navibus apertiora, per quae incedunt item canales angusti et oblongi. Sunt et *fori* area theatri, ubi eduntur spectacula. *Forum* autem in singulari masculino

(1) *Forum* in singulari masculino significare locum apertum ac patentem, satis notum est, unde et gladiatores foros facere dicuntur, cum longo sectantur circuitu. Non. R.

Digitized by Google

pro quolibet scamno sumi, testatur Gifanius loc. persaepe cit. p. 99. Cic. de Sen. VI: Cum alii malos scandant, alii per *foros* cursent, alii sentinam exhauriant. Virg. Aen. VI. 414: Deturbat laxatque *foros*. Varro de Vita Populi Rom.: *Fori* longi cum operculis.

FORCIPES sunt medicorum, quibus dentes evellunt, vel spicula vulneribus extrahunt, item fabrorum, quibus ferrum, ignem, aliudve quid tenent (1) quasi forbicapes, quod forbum, id est, calidum capiunt; *Forfices* sunt sartorum et tonsorum, quibus pannos, fila et crines incidunt, vel amputant. Lucil. Sat. XIX: Quivis *forcipibus* dentes evellere. Virg. Aen. XII. 404. seqq. Necquicquam spicula dextra Sollicitat, prensatque tenaci *forcipe* ferrum. Id. Aen. VIII. 453: Versantque tenaci *forcipe* massam. Colum. XII. 43: Si qua sunt in ea vitiosa grana, *forficibus* amputant. Charisius et Papirianus grammatici volunt dici *forpices* tonsorum, quod pilum secant. Sed haec vox apud idoneos auctores nullibi exstat.

FORICA est secessus publicus, in quem onera ventris deiiciuntur: a quo *foricarii* appellati, qui foricarum vectigal conducebant. Alias *foricarii* foricas, aliasque res sordidas tractant. *Latrina* est privata et familiarica sella. Iuvenal. Sat. III. 36. seq.: Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter, inde reversi Conducunt foricas. Paulus Ictus D. de Usuris. XVII: Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit, ut solet a *foricariis*, qui tardius pecuniam inferunt.

FORMA oris et naturae, *Figura* artis, *Pulchritudo* totius corporis. *Forma* immobilis et naturalis, *vultus* movetur et fingitur. *Vultum* sibi fingere multi possunt, *formam* nemo. Donat. R.

FORMOSVS est forma praestans; *Speciosus* saepe pro pulchro ponitur. Ulpianus tamen speciosas personas dici affirmat clarissimas personas utriusque sexus. Immo et *formosum* fortem quoque denotare, Dousa Fil. Plautin. Explanation. III. 13. in spec. ad Milit. Glorios. p. 267. auctor est. H.

(1) Vid. Virgil. Georg. IV. 175. ubi *Vulcani* Cyclopes ait versare tenaci *forcipe* ferrum.

Digitized by Google

FORMOSVS et PVLCER Vavassor. in antiq. p. 532. ita distinguit: Videntur *formosa* non posse dici, quae sensu carent, aut quibus quasi sensus non tribuitur, ut, oratio, vestis, domus formosae non dicantur, sed pulchrae; *formosus* tamen annus appellatur, ceu quaedam quasi persona. *Venustus* item et *formosus* ita differunt, ut illud tantum de feminino sexu dicendum videatur, quia est a Venere, quam tamen differentiam non exacte observant veteres.

FORNAX est balneatorum, pistorum et figulorum, a quo *fornicarius*, qui *fornacem* custodit, et *fornicator*, qui in balneo accendendi ignis curam habet. In genere autem *fornax*, est focus occlusus, calefaciendo conclavi destinatus. *Furnus* est pistorum tantum. Unde furnarius ἱπνοκαύστης, sive καμινοκαύστης, et furnaria ministerium furnarii. Svet. in Vitell. II: Antiochi cuiusdam *furnariam* exercentis filia. Ulp. ad Edictum 18. L. 29. D. ad Legem Aqu.: Si *fornicarius* servus coloni ad *fornacem* obdormisset. Paulus ad Vitellium D. de Instr. L. XIV. 2: Continetur autem et *fornicator*.

FORS (1) est fatorum lex, *Fortuna* est eventus incertus. *Illa* est Graecorum εἱμαρμένη; *haec* τύχη. Inde et *fortuna* pro bonis atque facultatibus nonnumquam usurpatur. Sic Cicero statim ab initio ferme orationis pro Rabirio sat mire dicit fortunae opes, de cuius distinctione multa habet Clericus arte Crit. Vol. I. p. 228. ut multis inquit, confunduntur, quod loco Lucani v. 61. et Curtii x. 5. comprobat. *Fors fortuna* est fatalis eventorum causa. Accius in Andromeda p. 9. ubi Stephanus ex Nonio addidit, *fortem* esse casum temporalem; *fortunam* vero ipsam Deam: Quibus natura prava magis, quam fors et fortuna obfuit. Lucil. Satyr. XII: Aut *forte* omnino, aut *fortuna* vincere bello. Ter. in Phorm. v, 6. 1: O *fortuna* o *fors* fortuna, quantis commoditatibus! In quem locum Donatus: *Fortuna*, inquit, dicta est incerta res. *Fors fortuna* eventus fortunae bonus. Aliud *fortuna* est, aliud *fors fortuna*; nam *fors fortuna* est, cuius diem festum colunt, qui sine arte

(1) *Fors* est casus temporalis; Fortuna ipsa Dea. Quem falli necesse est, si *forte* poni etiam pro fortuna illa gubernatrice neget, quod exempla satis ostendunt, a cel. Gesnero thes. v. *fors* prolata.

Digitized by Google

aliqua vivunt; huius aedes trans Tiberim est. Varro de LL. v. 3: Dies fortis fortunae adpellatus ab Servio Tullio rege, quod is fanum fortis fortunae secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit iunio mense; v. Gesn. thes. l. c. Interdum tamen *fors* pro ipsa *fortuna* ponitur (1). Scaliger ad Manilium: Vulgus indoctum nescit distinguere *forte* a *sorte*. Catullus LXIV. 238: Agnoscam cum te reducem *fors* prospera sistet. Ovid. Fastor. II. 782: Audentes *forsne* Deusne iuvet: quod est in veteri proverbio: *Fortes fortuna* adiuvat. Taubmannus ad Plauti Bacch. III. 8. 75: nam ni illic hodie forte fortuna foret, ita commentatur. Fortuna, dea incerti eventus: culta, quae posset prodesse et obesse. Fors fortuna, dea prosperi eventus, quae tantum prodesse. Illa dubia dicta est, haec etiam fors absolute nonnumquam legitur, et celebratur ab infimae sortis hominibus, operariis, rusticis, servis, et omnibus, qui sine arte aliqua viverent. Invocatur a comicis servis, ut passim apud Terentium.

FORSITAN est adverbium dubitandi; *forte* casus ablativus a voce fors fortis. Illud est Italis: *forse*; hoc autem: *per aventura, a caso*. TH. VALL.

FORTIS ille dicitur, qui in rebus adversis non perturbetur, dolores constanter ferat, neque ad pericula exhorrescat. *Strenuus*, qui ad res gerendas impiger sit, alacer ac promptus. Priori opponitur *timidus*; posteriori *iners* atque *ignavus*. *Robustus* et *Validus* proprie pertinent ad corpus. Sall. Catil. LI: Decium Silanum, virum *fortem* ac *strenuum*. Quintil. XII. 3: In proeliis *strenuus* et *fortis*. Cic. Phil. II. 32: Cae-

(1) *Fors* et *fortuna*, inquit Comenius, videntur esse fortuita, et fortuito contingere; quae tamen non forte eveniunt, quia Deus est, qui alium prae alio fortunat. Alias fuere nonnulli ex antiquis, quibus neque *fortuna*, neque *casus* quicquam essent praeter fatum. Omnia enim ex causarum connexione pendere putarunt. Alii maluere talia esse quaedam; quaedam vero sine causa necessaria evenire. Quae si esse possent in consultatione posita, *fortunam* fecerunt auctorem; sin temere atque ab inanimis proficiscerentur, v. g. montis ruina, *casum* nominarunt. Haec Iul. Caes. Scaliger Poëtic. cap. III. 1. p. 188. ed. v. Ex quo apparet, *fortunam* physice sumtam esse in rebus secundum electionem; *casum* vero in iis rebus, quae fiunt sine electione.

Digitized by Google

sari obviam longissime processisti: celeriter isti, redisti, ut cognosceret te si minus *fortem*, attamen *strenuum*. Th. Vall.

Fortitvdo venientibus obstat; *Patientia*, quod iam adest, tolerat et perfert. Cic. in Part. Orator.: Magnitudo animi uno genere *fortitudinem* et *patientiam* complectitur. R.

Forvm. *V.* Platea.

Fratres dicuntur, qui eodem patre nati sunt: *Germani* qui eamdem matrem habent. Quam differentiam tradidit Varr. de Gradibus I: Germanus, inquit, de eadem genitrice natus est, non ut multi, de eodem germine, qui tantum *fratres* dicuntur. Sed, quod pace Varronis dicere liceat, vana est haec differentia, nec ab idoneis auctoribus observatur. Alias datur inter *fratres* proprie sic dictos haecce differentia, ut alii sint germani, qui ex eodem patre et eadem matre procreati; alii uterini, qui ex eadem matre, sed ex diversis patribus nati; alii vero agnati, qui ex eodem patre, sed ex diversis matribus orti. Ut vero matris amor, quam patris erga filios longe est tenerior; ita inter fratres habere se videtur. Nam qui eadem matre sunt geniti et uterini vocantur, plus quam de substantia eadem participant. Vid. Lorini Tom. II. Comment. in v. 9. Psal. LXVIII. 264. Ter. in Adelph. II. 4. 4: Te habeam fratrem, o mi Aeschine, o mi Germane! Id. in Andr. I. 5. 67: Si te in germani fratris dilexi loco. Hoc ergo differunt, quod germani (1) sunt, qui eumdem utrumque parentem habent. *Fratrum* nomen generale est, quo et *fratres* germani continentur; et *fratres* consanguinei, qui de uno patre nati sunt, licet diversas matres habeant, et fratres uterini, qui ex eadem matre tantum geniti sunt; item fratres patrueles, qui ex duobus patribus procreantur; quae omnia in iurisconsultorum (D. de Gradib. leg. 1. § 6. Novell. 118. c. 2. et 3.) et aliorum scriptorum libris passim occurrunt.

Fremere est magnum sonare. Virg. Georg. II. 160: Fluctibus et fremitu assurgens Benace marino. *Fremere* est emittere sonum varium et turbulentum, seu murmur edere prae ira, qualis exaudiri solet in tumultu populari, in hostili congres-

(1) *Frater* ex patre aut matre esse potest, *germanus* ex ambobus iisdem. Serv. R.

Digitized by Google

sione et in mari furentibus ventis, unde et *fremor*, qui est rumor hominum, *fremitus* ferarum. Agret. *Frendere* cum gemitu vel iracundia miserum aut minax sonare. Virg. Aen. III. 663: Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem, Dentibus *infrendens* gemitu. *Frendere* est strictis et concussis dentibus minaciter sonare, ut faciunt irati et furiosi. Virg. Aen. I. 563: Cuncti simul ore fremebant.

FRONDES sunt arborum; *Folia* sunt tam herbarum et florum, quam arborum; cur autem frondes arboribus atque plantis datae, leg. Rhodiginus L. A. XXXII. cap. 26. c. 1519. Lucr. v. 970: Circum se foliis et frondibus involventes.

FRONDEVM est totum de frondibus, ut truncus; *Frondosus* vero est lucus. Serv.

FRVGES (1), sunt, quae siliqua, seu folliculo continentur, ut faba, lupinum, et reliqua legumina; *Frumenta*, (2) quae aristam habent, ut triticum, avena, hordeum, et alia, quae nondum demessa, appellantur segetes. Cic. Verr. v. 7: Olei et *frugum* minutarum. Ulpianus ad Sabinum D. de Usu et Hab. XII. 28: Neque foliis, neque oleo, neque *frumento*, neque *frugibus* usurum. Sed interdum *frugis* nomen generale est (3), quando nempe denotat, quicquid, teste Spigelio, ex fructu terrae in alimoniam vertimus. Nam Plin. HN. XVIII. 9, facit duo genera *frugum:* Frumenta, ut avena, triticum, hordeum; Legumina, ut faba, cicer. Plin. Ep. v. 6: Medios (Tiberis) agros secat, navium patiens, omnesque fruges devehit in urbem, hieme dumtaxat et vere. Et Iulianus Iurisconsultus tradit D. de Verb. Signif. LXXVII. *Frugem* appellari

(1) *Fruges* dicuntur omnia, ex quibus grana legimus. Sed *frugum* duo sunt genera, frumentum et legumen. *Frumentum* est, ut triticum, hordeum et similia, quae falce metimus. Legumen autem, ut est, faba, cicer, et similia, quae non metimus, sed manu legimus. Christoph. in Virgil. Georg. I. R.

(2) Antiquos, eosque litteras graecas ex latino agro plane exstirpantes, pro Phryges etiam *fruges* dixisse, Ian. Laurenbergius in antiquario p. 187. col. a. auctor est.

(3) A *frumento* fit frumentarius, a, um, et frumentaceus, a, um. *Hoc* est ex frumento; *illud* in frumento. Sic Blattae dicuntur frumentariae; frumentaceae autem non dicuntur. Edunt enim *frumentum*, non fiunt e frumento. Goclen. Scalig. exerc. Plin. p. 159.

Digitized by Google

omnem reditum, non solum qui ex frumentis aut leguminibus, verum etiam, qui ex vino, vel ex silvis caeduis, vel cretae fodinis, lapicidinis percipitur. Qua notione *fruges* arbores dixit Cornificius: Ut folia, quae, *frugibus* arboreis tegmina gignantur.

Frvi (1) est omnem rei fructum et commoditatem percipere, neque ad necessitatem modo, sed et ad delectationem et compendium convertere; *Uti* ad necessarium vitae usum cultumque accommodare. *Frui* est re aliqua delectari, sine respectu ad alia commoda. *Utimur* vero re illa, in qua non constituimus finem, sed alterius rei gratia. Dum *utimur* aliqua re, ulterius tendimus; dum *fruimur*, in illa quiescimus. Utor armis, domo, liberis, praeceptore, diligentia operaque, ut inde emolumenti aliquid bonique consequar. *Fruor* bonis meis, tuo adspectu, tuo colloquio, tuo cantu, i. e. delectationem voluptatemque percipio ex hac re, atque ex huius rei usu. Ita sapiens honestis iocis et lusu *utitur*, stultus *fruitur*, ille iocatur, ut non deficiat a labore, hic tantum ut delectetur; ita *utimur* instrumento, non *fruimur*. Itaque plus est *frui*, quam *uti*. *Hoc* enim respicit caduca et fluxa; *illud* vero constantia; iuxta illud Augustini: *Utendum* est terrenis, sed *fruendum* coelestibus. Alias *fruimur* nostris rebus; *utimur* autem alienis. Conf. Schardii Lexicon Iuridic. p. 390. col. b. Quod autem *frui* etiam passive usurpetur, docet Ios. Scaliger in appendice ad Coniectan. in Varronis de LL. Lib. p. 196. edition. Stephan. Cato: Si quid est, quo *utar*, *utor*; si non est, ego sum, cui per me *uti* atque *frui* licet. Cic. Fam. vii. 30: Id cuiusque est proprium, quo quisque *fruitur* atque *utitur*. Liv. ii 34: *Fruantur*, *utantur* annona, quam furore suo fecere.

(1) *Frui* est alicui rei inhaerere propter se ipsam. Ita. S. August. cap. 4. de Doctrina Christiana. Valla v. 5. Elegant. *Uti* est alterius rei gratia, *frui* nullius, sed propter se. *Hoc* alterius finis, ad quem illud tendit: qui has habet, quiescit et contentus est, qui *utitur*, numquam conquiescit, sed semper ulterius tendit. Hinc praeclara illa differentia apud Iurisconsultos, inter usum et usumfructum. Imper. § 3. Institut. de Usu et Habitat. R.

Digitized by Google

Frvstror (1) verbum commune utrumque significat, fallo et *fallor*; *Frustra sum* est fallor et decipior, in quibus verbis multifariam implicatis facete lusit Ennius in Satyris. Nam, qui lepide postulat alterum *frustrari*, Quem *frustratur*, *frustra* eum dicit *frustra* esse. Nam qui sese *frustrari*, quem *frustra* sentit, Qui *frustratur*, is *frustra* est: si non ille est *frustra*. Quorum versuum sensus est: Qui studet alium lepide fallere, non statim potest dicere, eludi ac *falli* eum, quem ipse fallere vult. Nam ubi quis sentit *frustra* alium operam dare, ut se *fallat*; tum nisi fallitur is, cui tenditur, frustra est is ipse, qui eum *frustrari* conabatur.

Fvlget natura, ut ignis, sol; *Splendet* rasura atque artificio, ut aurum et argentum; *Candet* autem carbo et ferrum in igne: *Nitet* corpus cultum a natura vel artificio. Haud usquequaque tamen hoc discriminis scriptores observant. Serv.

Fvlmen est telum ipsum, quod emittitur, seu est fulguratio cum ipso telo in terras producta. Virg. Georg. I. 328: Ipse pater media nimborum in nocte corusca Fulmina molitur dextra. Sumitur et *fulmen* eleganter quoque metaphorice. Ut cum Cicero vocat Scipiones romani imperii fulmina; vel cum dicit orationis fulmina. Conf. Doleti phrases, seu formul. LL. fol. 16. fac. b. col. 2 *Fulgur* est ignis sive coruscatio, cum fulmine emicans (2); *Fulgetra* est *fulgor* tantum sine *fulmine*. Cic. de Div. II. 19: Tum et *fulgura* et *tonitrua* existere. Si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse *fulmen*. Sen. Natur. Quaest. I. 1: Nubes mediocriter collisae *fulgurationes* faciunt; maiore impetu pulsae *fulmina*. Frequenter tamen *fulgur* pro *fulmine* usurpatur. Svet. in Aug.

(1) Pro *frustrari* veteres etiam *frustrare* dixisse, testatur Pomponius in Maiali his verbis: Miseret me eorum, qui sine frustis ventrem *frustrarent* suum.

(2) Perottus in Cornucopiae epig. XXVII. col. 791. lin. 57. seq. dicit, *fulgur* et *fulgetrum* immo et *fulgurationem* dici lucem illam, et quasi vibrationem luminis, quae ante cernitur, quam tonitruum fragor audiatur, cum simul fieri certum sit. Nec mirum est, quoniam lux sonitu longe est velocior. Sed eruditus Comenius inter haec vocabula hanc constituit differentiam: Cum fulgurat (inquiens) *fulgur* est; cum fulgura iterantur, *fulgetrum*; cum fulmina intermiscentur; *fulminatio*. (*Fulguritum* dicitur fulgore tactum vel exustum. Non.)

Digitized by Google

XXIX: Cum expeditione cantabrica per nocturnum iter lecticam eius *fulgur* perstrinxisset, servumque praeducentem exanimasset. Id. in Domit. XVI: Continuis octo mensibus tot *fulgura* facta nunciataque sunt, ut exclamaverit: Feriat iam, quem volet. Plin. II. 43: Si in nube luctetur vapor, *tonitrua* edi; si erumpat ardens, *fulmina*; si longiore tractu nitatur, *fulgetra*. Id. XV: Colitur ficus, arbor in foro ipso ac comitio Romae nata, sacro *fulguribus* ibi conditis.

FVLTIO cum fit; *Fultura*, cum facta est, dicitur, ut quid stet firmiter, idoneis fulcitur *fulcris*, sive *fultionibus*, praefulciturque tempestiva *fultura*, antequam ruat. Front.

FVNDATVM dicitur, quod principia habet, in quibus prudentiae signum est; *Constitutum* vero est, quod habet exaedificationem, quod virtutis est indicium. Goclen. H.

FVNDERE et EFFVNDERE separat Sen. Ep. C: Fabianus mihi non *effundere* videtur orationem, sed *fundere*; adeo larga est et sine perturbatione, non sine cursu tamen, veniens. Nimirum *fundere* est sensim in omnes partes, (liquorem imprimis) spargere; ut *fundit* sol radios, artifex metallum; *effundere* autem est uno impetu sine modo proiicere, ut populus concitatus se *effundit*, prodigus *effundit* opes Cic. Phil. III. 2: C. Caesar adolescens patrimonium suum *effudit*. *Fundere* est supina manu libare, quod fit in sacris supernis; *vergere* est conversa in sinistram partem manu, ita fundere, ut superne convertatur, quod in infernis sit. Serv.

FVNESTVM est, quod luctu dignum est; *Luctuosum*, quod post mortem affert luctum; ideoque omnino est grave. Goclen. H.

FVNGI est agere; *Defungi* vero peragere atque perficere. Agr. Lucretium autem *fungi* pro *pati* non inique persaepe posuisse, Schoppius III. Verisimilium cap. 6. p. 153 docet. H.

FVNIS (1) est maior crassiorque: *Restis* minor. Unde in navibus *funes*; in lectis et sellis *restes* dicuntur. Varro de R. R. I. 22: Sic quae fiunt de cannabi, lino, iunco, palma,

(1) Funis aurea (in foemin. gen.) dicit Lucretius. Quid autem proprie sit iste funis aureus, tradit Turnebus Advers. v. 25. col. 165. seq. tom. I.

Digitized by Google

scirpo, ut *funes*, *restes*, *tegetes*. Colum. XI. 3: Illinitur vel nauticis veteribus *funibus*, vel quibuslibet aliis *restibus*. Lucil. Satyr. VI: Tres a Deucalione grabati *restibus* tenti. *Laqueus* fere est, qui artus et ligamina artuum habet.

FVNVS (1), est cadaver iam ardens; quod dum portatur, *exequias* dicimus, crematum *reliquias* et *bustum*, conditum iam, *sepulcrum*. Serv.

FVRCA et PATIBVLVM olim multum differebant. Nam *furca* proprie est instrumentum bisulcum, vel trisulcum, quo aliquid perfossum portatur, et est lignum geminum in modum litterae v., ita ut initium et caput esset a tergo hominis, qui eam ferret; inde paulatim divaricatum circa pectus et humeros, ad manus volam pertingebat; *Patibulum* vero erat stipes transversus, quem noxii dispessis in eum manibus circumferebant, priusquam tollerentur in crucem. *Illa* erat levior poena servorum, qui ob minima delicta (in exemplum) circumduci solebant collo *furcae* inserto, unde furciferi dicti. Vid. Schardii Lexicon p. 395. col. b. *Hoc* erat supplicium damnatorum ad crucem. Svet. Ner. XLIX: Cum comperisset nudi hominis cervicem inseri *furcae*, corpus virgis ad necem caedi. Plaut. in Carbonaria: *Patibulum* feram per urbem, deinde affigar cruci. Sallust. Historiar. VI.: *Patibulo* eminens affigebatur. Sed posterior aetas *furcam* usurpavit pro *patibulo*, quo fures suspenduntur. Isidorus Etymologiar. V: *Patibulum* vulgo furca dicitur, quasi ferens corpus. Suspensum enim et strangulatum haec exanimat.

FVRFVRACVLVM seu *Perforaculum*, aliud est quam *terebra*. Differunt autem eodem modo, quo apud Graecos τέρετρα et τρύπανα. Graecum epigramma de instrumentis fabrilibus: Τρύπανα, δ' ἐνδίνητα, καὶ ἀκμενητα τέρετρα. Terebra est τέρετρον, perforaculum τρύπανον. Salmas. exerc. plin. p. 774.

FVRIOSVS (2) est, qui ita iactatur agitaturque, ut neque

(1) *Funus* est pompa exequiarum, dictum a funalibus. Etenim noctu efferebantur propter sacrorum celebrationem diurnam. Donat. R. Alias *funebres umbras* adumbrationem sepulturae in inani sepulcro esse, testatur idem Turnebus Adv. XXIII. 3. col. 809. Tom. II.

(2) *Furiosus* est, a quo furor numquam recedit; *furiatus* vero, qui furit ex causa. Serv. R.

Digitized by Google

corpore, neque animo consistere possit; *Insanus* (1) est, qui non habet mentem integram, qui mente captus est, et ob hoc non servat modum, minusque sapit, quam stultus; unde patet, *furorem* esse temporis, *insaniam* perpetuam; furiosum plus significare, quam insanum esse. Nam, ut ait Plato in Timaeo: Δύο δ' ἀνοίας γένη, ἡ μὲν μανία, ἡ δ'ἀμαθία: id est, duo amentiae genera, alterum quidem insania, alterum vero inepta stultitia. Ter. in Eunucho II. 2. 23: Hic homines prorsus ex *stultis* insanos facit. Hor. Sat. II. 3. 158: Quid avarus? Stultus et insanus. Cic. Tusc. III: Itaque non est scriptum: si *insanus*, sed si *furiosus* esse incipit.

Fvrtim, cum incipit, *furaciter* quasi artificiose a consuetudine furandi; *furtive* quod iam ablatum. Ergo *furtim*, et *furaciter* furax; *furtive* locus facit. Fronto.

Fvsco album opponitur; *Nigro* candidum. Fr. G. Dif.

G.

Galea et Cassis differunt. *Galea* capitis fuit munimentum, factum ex felis vel mustelae, quae γαλέη dicebatur, corio, ut *cassis* ex ferro. Isiodorus XVIII. 18: *Cassis* de lamina est, inquit, *galea* de corio. Unde haec duo distinguit Tac. Germ. VI. 4: Vix uni alterique *cassis*, aut *galea*. V. Sam. Pitisci not. ad Curt. v. 13. Polybius tamen, Livius, Dion. Halicarnassensis et Plutarchus aeneas quoque *galeas* cognoscunt. V. Poeschelii comment. ad Polyb. de Mil. Rom. p. 128.

Gallicvs et Gallicanvs differunt. Heumannus ad Cic. Cat. III. 3. *Gallicanae* copiae ita differunt a *gallicis*, ut *gallicae* vocentur, quae constant e Gallis, *gallicanae* quae in Gallia versantur Romanorum copiae. Ita in orat. pro Quinctio IV. dicitur negotium *gallicanum*, quod romanus aliquis habet in Gallia. Et in fragmento orat. in Pison. p. 329. edit. Graev.:

(1) Insaniam enim censuerunt inconstantiam, insanitatem sanitate vacantem: posse tamen tueri mediocritatem officiorum, et vitae communem cultum atque usitatum. Furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia caecitatem, quod cum maius esse videatur, quam insania, tamen eiusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, insania non item. Non. R.

Digitized by Google

Primus enim gallus, deinde *gallicanus* haberi coeptus est. Eodem modo a Cic. Fam. Ep. XIII. 36: Siculus vocatur, qui natus est in Sicilia; at ep. 38: Quaestura siciliensis quam gesserat in hac insula Cicero. Atque aliud est exercitus germanicus, aliud exercitus germanicanus apud Eutropium X. 7. n. 7. Sic et a graeco differt graeciensis apud. Gell. XIX. 10, et Plin. HN. IV. 2, a romano romanensis, ab hispano hispaniensis, de quo postremo vocabulo v. Fabri Lex. Bellum hispaniense in Cic. or. pro lege Man. IV. et X. hispaniensis Poenorum exercitus apud Liv. XXIII. 28. et apud eumdem c. 48. libri eiusdem, exercitus Romanorum hispaniensis.

GALLVS natione; *Gallicus* seu *Gallicanus* ex Gallia. Fronto.

GARVM aliud est quam *Muria*. Nam *muria* ex thynnorum, *garum* ex scombrorum tabe conficiebatur, quae et liquaminis nomine, et liquoris sociorum vocabatur. Et *muria* pauperum tantum erat, contra *garum* divitum, unde et fastosum a Martial. Epigr. III. 103 vocatur. Manilius v. sub finem *garum* sive liquamen elegantissime describit: Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris Evomit, et misto gustum sale temperat oris. V. Scaliger lect. aus. II. 28. Burmannus ad Quinct. VIII. 2. De *garo* classicus est locus Plinii HN. XXXI. 43. Plura vide sis in Gesneri thes. v. *garum*.

GAVDEO commodo proprio; *Laetor* alieno. H.

GAVDIVM est affectio animi modeste et constanter se efferentis (1); *Laetitia* vero est exultatio quaedam animi effuse et inaniter elati, eventu rerum expetitarum. *Haec* cadit in quemlibet, et in turpibus rebus esse potest; *illud* in sapientem, et in rebus bonis semper est, ut ait Sen. Ep. LXXII: Imperfectis adhuc interscinditur *laetitia*; sapienti vero con-

(1) Sive *Gaudium* illud dicimus, cum ratione movetur animus placide atque constanter: cum autem et inaniter et effuse idem exultat animus, *laetitia* gestiens, vel nimia, dici potest. Leg. Doletus loc. persaepe cit. fol. 67. fac. b. col. a. Scalig. Poët. I. 2. p. 9. Laetitiam vocat animi in corpore sane affectionem. Differt autem laetitia ab exultatione hunc in modum, ut haec sit in re, illa autem in spe, sicuti Lorinus Tom. I. Commentar. in Psal. IX. v. 3. p. 126. col. 1. B. ex Hieronymo probe adnotavit. Conf. Gellii II. 27.

Digitized by Google

texitur *gaudium*. Sallust. Catil. LXI: Varie per omnem exercitum *laetitia*, moeror, luctus atque *gaudia* agitabantur. Id. ib. XLVIII: Veluti ex servitute erepta *gaudium* atque *laetitiam* agitabat (1). Hanc tamen confundit Cato in Orat. pro Rhodiensibus: Adversae res se domant et docent, quid opus sit facto; secundae res *laetitia* transversum tradere solent a recte consulendo atque intelligendo. Quo maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto *gaudio* in potestatem nostram redeamus. Plaut. Poen. v. 4. 105: Quum hac me *laetitia* tanta, et tantis affecistis *gaudiis*. Cic. in Catil. I. 10: Qua *laetitia* perfruere? Quibus *gaudiis* exultabis? Liv. XXXIII: Occupati animi praesenti *laetitia*, nihil, quo vanius fieret *gaudium* suum, auribus admittebant. Id. XXXVI: Elatum insolentem iuvenem immodico *gaudio*. Exultatio membrorum atque corporis *laetitiam* designat. Agraet. Cic. Tusc. IV. 31: Atque ut confidere decet, timere non decet; sic quidem *gaudere* decet, *laetari* non decet: quoniam docendi causa a *gaudio laetitiam* distinguimus.

GEMMA proprie est oculus vitis, quem primo vere emittit. Deinde per similitudinem est omnis lapillus pretiosus, cuiuscumque coloris vel naturae sit; *Margarita* sive *margaritum* est concharum partus, qui apud rubrum mare coalescit. Cic. Orat. in Verr. VI. 1: Nego ullam *gemmam*, aut *margaritam* fuisse. Svet. Aug. XXX: *Gemmas* ac *margaritas* quingenties HS. una donatione contulerit. Plin. HN. VII. 30: Inter spolia Darii, Persarum regis, unguentorum scrinio capto, quod erat auro *gemmisque* ac *margaritis* pretiosum. Servius grammaticus haec discernit, ut *gemma* diversi coloris sit, *margarita* alba; *illa* integra, *haec* pertusa. Ulpianus vero ad Sabinum XX. L. XIX. § 13 et seqq. D. de Auro arg. *Gemmae* sunt, inquit, pellucidae materiae, quas, ut refert Sabinus libris ad Vi-

(1) *Gaudium* est, cum animus exhilaratur aliqua re grata atque iucunda, neque tamen ita ad exteriora diffunditur ultra modum, ut facile appareat. Laetitia vero est, cum ita movetur animus aliqua re iucunda, ut et ad exteriora egrediatur ille motus, et maxime in vultu appareat in ipso homine. Hinc dicunt stoici, gaudium in sapientem cadere posse, laetitiam non posse. Christoph. in Virg. Georg. I. R.

Digitized by Google

tellium, Servius a Lapillis ita distinguebat, quod *gemmae* essent pellucidae materiae, velut smaragdi, chrysoliti, amethysti; *lapilli* autem contrariae superioribus naturae; *margaritas* autem, nec gemmis, nec lapillis contineri satis constitisse. Ibidem Sabinus ait, concham apud rubrum mare et crescere et coalescere. Quam differentiam soli iurisconsulti agnoscunt, ceteri auctores non observant, qui *gemmae* et *margaritae* vocabulis ita, ut prius dixi, fere utuntur, et *lapilli* nomen communiter tribuunt *gemmis* et *margaritis*, ut Catullus, LXIX. 4, cum dixit: Pelluciduli deliciis lapidis, *Gemmas* intellexit; *Margaritas* Horatius Sat. I. 2. 80; Ep. II. 2. 180. seqq., ubi, talia cimelia videtur prorsus contemnere.

GENA est membrana, oculos tegens; *Cilium*, quod alias extremus genae superioris est ambitus, habet pilos; *Mala* est pars infra oculos, ruboris sedes; *Bucca* quasi follis infra illam. H.

GENAE (seu palpebrae) sunt membranae superiores inferioresque, quibus oculus aperitur et clauditur, ut Ennius de dormiente: Imprimitque genam genae. *Malae* autem sunt eae faciei partes, quae infra oculos eminent, rotundae, in speciem mali. Sed vetustissimi *genas* pro *malis* dixerunt, ut observavit Plin. HN. XI. 58: his verbis: Infra oculos *malae* homini tantum, quas prisci *genas* vocabant, XII. Tabularum interdicto radi a foeminis eas vetantes. Et *malae* appellantur etiam partes intra os. Plaut. Bacchid. IV. 2. 16: Ne nucifrangibula excussit ex malis meis. Id. Trinumm. II. 4. 74: Ambabus malis expletis vorem.

GENERALE est, quod omnes species, quae sub genere sunt, includit, ut, homo omnes homines; mare omnia maria; *Universale*, quod omnia rerum genera universim continet, ut animal homines et bruta. Cic. Acad. IV. 23: Qui loquitur de *universis*, nihil excipit; quid enim potest esse extra *universa*? Hinc iurisconsulti recentiores iudicium *generale* appellant, cum actor in *genere* multas et diversas res simul petit, ut si agit negotiorum gestorum, tutelae, aut pro socio; quibus iudiciis qui conveniuntur, hi multas res simul administrarunt: *universale* ubi petitur ius universum, ut in iudicio bonorum possessionis vel familiae erciscundae, in quibus ipsum

Digitized by Google

ius possessionis et haereditatis, non illa, ex quibus constat, inspicitur. Quae differentia, etsi magnos auctores habet, mihi tamen ideo non probatur, quod veteres nulla universalia iudicia nominant, sed tantum *generalia* et *specialia*, ut Paulus ad Sabinum vI. 6. l. 39. D. pro socio: Quod Sabinus in omnibus bonae fidei iudiciis existimavit, sive *generalia* sint, veluti pro socio, negotiorum gestorum, tutelae, sive *specialia*, veluti mandati, commodati, depositi. Hic obiter notandum, adverbium *generaliter* longe esse strictius adverbio *universaliter*, quemadmodum Philippus Decius in Enarrat. in Regul. I. Tit. ff. de Regul. Iur. n. 17. p. 7. col. b. ostendit. H.

Genero, Pario, Gigno differunt, sed quidem non perpetuo; ita: vir *generat* mulierque *parit*, sed *gignit* uterque. R.

Genitrix est quae genuit, vel peperit, vel generis originem dedit, ut Venus *genitrix* a Romanis culta; *Mater* est tam illa, quae aluit et educavit, quam quae genuit; in genere dicitur mater foetum pariens, quomodo etiam differunt *genitor* et pater. Virg. Aen. vIII. 634: Geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros et lambere matrem. Plaut. Prol. Menaechm. 19. 20 et 21. Ita forma simili pueri, uti *mater* sua Non internosse posset, quae mammam dabat: Neque adeo *mater* ipsa, quae illos pepererat. Arnob. vII. *Genitrix* et *mater* superstitionis, Etruria. Id. II. *Genitore* illo ac *patre* prolatas.

Genvs (1) est initium cuiusque ortus, quod vel a patria ducitur, vel a parentibus (2); *Gens* est principium familiae, *Stirps* est pars *gentis*, ut Cornelii omnes unius sunt *gentis*; et uno nomine continentur omnes. At vero partes istius *gentis*

(1) *Genus* familiae, *gentem* regionem recte dicimus. Agraet.

(2) Et sic *generis* nomine omnes utriusque sexus venire, Decius in Enarrat. in Reg. II. Tit. ff. de Regul. Iur. n. 65. p. 29. col. b. affirmat, allegans Baldum in l. 1. de Prob. sic dicentem: De *genere* meo dicuntur etiam, qui sunt cognati. *Genus* et *species* aliter accipi a philosophis, aliter a iurisperitis, Antonius Del Re in Tract. de Iuramento calumniae cap. 1. num. 11. p. 3. tradit. Dubium autem et commune *genus* apud grammaticos sic differunt, ut commune sit rerum animatarum, dubium vero rerum fere inanimatarum. Genus et pro modo sumi, videndum est ex Gifanii Observation. LL. p. 100.

Digitized by Google

sunt plures, discretae cognominibus, eaeque *stirpes* et *familiae* nominantur, ut Cinnae, Dolabellae, Lentuli, Scipiones, Sullae. Sic ergo *gens genus* et *stirpem* continet, non contra *genus* et *stirps gentem*. Caesar in laudatione Iuliae amitae apud Svet. vI: Maternum *genus* ab regibus ortum: paternum cum Diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater; a Venere Iulii, cuius *gentis* familia est nostra. Papinianus Quaestionum IV. lib. I. D. de Prob. Quotiens quaeritur, *genus* vel *gentem* quis haberet nec ne, eum probare oportere. Cic. Amic. XIX: Qui aliquamdiu propter ignorantiam *stirpis* et *generis* in famulatu fuerint. Id. de Orat. I. 39: Quum Marcelli a Liberti filio *stirpe*, Claudii patricii eiusdem nominis haereditatem *gente*, ad se rediisse dicerent; nonne in ea causa fuit oratoribus de toto *stirpis* et *gentilitatis* iure dicendum? *Genus* ad vivos pertinet; *Familia* et *gens* etiam ad defunctos. *Genus* ad nobilitatem; *Familia* ad copiam refertur, unde et paterfamilias dicitur. Donat.

Gens est multitudo unius populi, seu unius generis multiplicata propago, ut *gens* romana (1); *Natio* est genus hominum ex diversis *gentibus* collectum, seu hominum ex una stirpe multitudo, ut *natio* Graecorum, *natio* Germanorum. Cic. Off. I. 17: Propior est societas eiusdem *gentis*, *nationis*, linguae, qua maxime coniunguntur. Id. Nat. Deor. III. 39: Deum non curare singulos homines, nec civitates, nec *nationes*, nec *gentes*. Tac. Germ. II: Ita *nationis* nomen, non *gentis*, evanuisse paulatim. Ulp. D. de Censib. 1: Prope barbaras *gentes* et *nationes* collocatas. Sed interdum *gentis* nomen latius patet (2), ut cum vocamus ius gentium, quod omnibus nationibus et universo generi humano commune est, et *natio* de singularibus hominibus quoque dicitur. Cic. Sext. XLIV: Quae esset nostra *natio* optimatium. Plaut. in Menaech. II. 1. 33: Nam ita est haec hominum natio Epida-

(1) Christianis scriptoribus *gentes* dicuntur ethnici infideles. Gifanius *gentium* vocem (loc. cit. p. 104) pro iis sumi dicit, qui non sunt cives romani.

(2) Ita *nationes* non *gentes* coaluisse paulatim etc. Tacit. sub init. lib. de German. tradit. R.

Digitized by Google

mnia, voluptarii atque potatores maximi. [Postremo *gens* plures nationes complectitur. Ita *gens* itala habet Subalpinos, Insubres, Neapolitanos, aliosque, qui eiusdem gentis *nationes* sunt. Tacit. Germ. xxxviii: Nunc de Suevis dicendum, quorum non una, ut Cattorum, Teucterorumque *gens*; maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc *nationibus*, nominibusque discreti. Th. Vall.]

Gesta sunt publica; *Acta* privata. H.

Gestvs est vultus et corporis moderatio; *Gestio* rerum perpetratio. H.

Gibbvs terga premit, cervicem *Struma* molestat. R.

Glacies est, quae ex coitu aquae constagnat; *Nix* ventorum ritu cadit. Alias *glacies* dicitur congelatus liquor et hyemis ornamentum: *Nix* vero est pluvia in lanae formam concreta. Fronto.

Gloriam inter et Claritatem distinguitur apud Sen. Ep. cii: Quid intersit inter *claritatem* et *gloriam*, dicam. *Gloria* multorum iudiciis constat; *claritas* bonorum. Enimvero eodem modo *gloria* a Cicerone definitur, Tusc. iii. 2: *Gloria* est solida quaedam res et expressa, non adumbrata; ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. *Gloria* est consentiens opinio et existimatio multitudinis de dignitate cuiusquam, seu est frequens de aliquo fama cum laude, sicuti infit Perottus in Cornucop. Epigr. ii. col. 57. lin. 38. Comparatur autem *gloria* gloriosis actionibus, et tunc vera dicitur. Ne autem gloriabundus prorsus vivat inglorius, ipse de se et gestis suis gloriatur. Graeci *κλέος gloriam*, *δόξαν* dignitatem vocant, et quidem observante Scaligero iii. Poëtic. cap. 109. p. 371. ubi et *τοῦ ἔπαινου καὶ ἐγκώμιου* p. 370. datur differentia. *Laus* est clara atque illustris alicuius commendatio, seu rei bene aestimatae praedicatio. *Illa* in tacita opinione; *haec* in aperta praedicatione consistit, et illustrior est. *Illa* ab universis et ipsa fama proficiscitur, *haec* a singulis. Cic. in Catil. I: Sin autem servire meae *laudi* et *gloriae* mavis. Et in iii: Omnia ornamenta *honoris*, monumenta *gloriae*, *laudis* insignia condi et collocari volo. Id. pro Arch.: Ad populi rom. *gloriam laudemque* celebrandam. Id. Nullam enim virtus aliam mercedem

Digitized by Google

laudum periculorumque desiderat, praeter hanc *laudis* et *gloriae*. Ad Fam.: Quae ad tuam *laudem* et *gloriam* pertinebunt. Tac. Hist. IV. A *laude gloriaque* gentis exorsus.

GLORIVS est unius gloriae; *Gloriator* non habet causam gloriandi; sed tamen *gloriatur*; *Gloriosus* pluribus de causis esse cogitur. Alias est *gloriosus*, qui se vel inaniter iactat, vel alterius inani laudatione effertur et laudari quaerit. Perottus. Front.

GNATVS filius; *Natus* pullus. Front. R.

GRAECVS qui ex Graecia est, ut *graecus* homo (1), *graecum* vinum; *Graecanicus*, qui graeci formam et similitudinem habet, ut vestis *graecanica*, trochleae *graecanicae* apud Catonem, h. e. machinae tractoriae, quae fiunt ad similitudinem graecae litterae *θ*; *Graeciensis*, qui *Graecis* frequens et usitatus est. Varro de LL. IX. 3: Itaque ut hic alia *graeca*, alia *graecanica*, sic analogiae. Gellius XIX. 10: Offendimus eum cubantem in scimpodio graeciensi.

GRAMMATICVS (2) et GRAMMATISTA ita distinguuntur, ut *ille* sit absolute perfecteque doctus litterarum; *hic* mediocriter eruditus; *ille* latine possit scribere; *hic* saltem latina intelligat. Svet. de claris Gramm. IV: Sunt, qui litteratum a litteratore ita distinguant, ut Graeci *grammaticum* a *grammatista*, et *illum* quidem absolute, *hunc* mediocriter doctum existiment. Id. ib. 24: Legerat in provincia quosdam veteres libellos apud *grammatistam*. Confirmat illam Augustinus conf. I: Adamaveram latinas litteras non quas primi magistri, scil. grammatistae, sed quas docent qui grammatici vocantur. Similiter Aelius Lampridius in Alexandro Sev. grammatistas quos Severus in pueritia habuit, distinguit a grammaticis, quibus in patria Romaeque usus est. Idem discrimen observat Iulius Capitolinus in M. Antonino philosopho: Usus est ma-

(1) Sic dicimus quoque homo romanus, homo italicus, homo adolescens, homo novus, homo valens etc. qui omnes sunt loquendi modi a divina illa vetustate celebrati; a supervenienti vero barbarie, Hadriano Cardinale de Serm. Lat. p. 195 loquente, neglecti.

(2) *Grammaticus* est, qui veteres libros et codices emendat, corrigit, explicat, distinguit, qui hodie criticus dicitur. R.

Digitized by Google

gistro ad prima elementa Euphormione litteratore. Et mox: Usus praeterea grammaticis graeco Alexandro, etc.

GRANDIS (1) ad partem aetatis pertinet, et idem est, ac crescendo factus magnus, ut grandis natu; *Maior* generaliter et ad summam aetatis refertur. Ponitur etiam ad comparationem aetatis. *Grande* (2) incremento; *Magnum* amplitudine; *Immane* praecipuae amplitudinis est. Front.

GRATIA malae et bonae rei causa. Nam sic dicimus inimicitiarum ut beneficii gratia. Ita ut Sallust. opprobrii *gratia*. Cicero: Religionis et supplicii *gratia* colendam et fruendam tradiderat. Et Ter. Eun. v. 3. 2: Qui referam illi sacrilego *gratiam*? Agraet. R.

GRATIAS *agimus* verbis, *gratiam habemus* animo et voluntate, *gratiam referimus* (3) vel *reddimus* factis, *gratiam facimus*, cum remittimus aliquid, ne praestetur, aut praestiti religione solvimus. Cic. Fam. v. 11: Nec enim tu mihi habuisti modo gratiam, verum etiam cumulatissime retulisti. Id. Phil. III. 10: Meritoque vestro maximas vobis gratias omnes et agere et habere debemus. Svet. in Aug. XVII: *Gratiam fecit* coniurandi cum tota Italia pro partibus suis, id est remisit necessitatem coniurandi. Id. in Tib. XXXV: Equiti romano iurisiurandi *gratiam fecit*, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum ante iura-

(1) *Grandem* ad aetatem veteres retulerunt, non ad corpus, et in parte aetatis dicitur *grandis*, non in tota vita, nisi addatur natu, ut *grandis* infans. Don. R.

(2) Eius deminutiva sunt *grandiusculum* et *grandiculum*; opposita vero *adolescens*, *parvum* et *tenue*. Leg. Gambarella l. c. p. 308.

(3) *Gratiam referre* etiam in malam partem pro ulcisci, seu talionem reddere, sumi, Cicero (Orat. pro Sylla XVI) auctor est his verbis: Permitto aliquid iracundiae tuae, do adolescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti. Quod si esses usu atque aetate robustior, essem idem, qui soleo, cum sum lacessitus. Nunc tecum sic agam, tulisse ut potius iniuriam, quam *retulisse gratiam* videar. Sic Ter. Eun. v. 3. 2: Qui *referam* illi sacrilego *gratiam*? Alias ex mente Goclenii in Observ. LL. p. 233. *Gratias agimus* beneficiis acceptis; *Gratificamur* rem gratam facientes; *Gratulamur* in rebus laetis, quando nempe Deo pro re bene gesta *gratias agimus* maxime decentes. Vid. Oliverii Arzignanensis Commentar. historicus et litteratus ad Val. Max. I. c. 1. f. 3. fac. a. Edit. Ascens.

Digitized by Google

verat. Plaut. Rud. v. 3. 58: Iurisiurandi volo gratiam facias, id est, solvas me religione praestiti iuramenti.

GRATVLAMVR in rebus laetis, *gratias agimus* beneficiis acceptis, *gratificamur*, rem gratam facientes. R.

GRATVS, qui gratiam refert, et est etiam in adversis. *Iucundus* in prosperis. *Iucundus*, non qui laetus est, sed qui est alteri causa gaudii. In *iucunditate* est gratia delectationis, in *gratia* est etiam commodi delectatio. *Iucundum* est dulce, et specialius *gratum* est acceptum, et generalius *grata* est aegro medicina, verum insuavis et iniucunda. Sitienti potus et gratus et iucundus est. *Gratum* dicitur proprie illud, pro quo nos sentire debemus, in quo differt a iucundo. *Gratum* est v. g. officium amici in luctu et dolore meo, non item iucundum. *Iucunda* est aberratio inimici me petentis, se ipsum ferientis, sed *grata* non est, h. e. nihil illi eo nomine debeo. Exempla rem demonstrant, in quibus tamen sunt etiam, in quibus magis ad iucunditatem et suavitatem, quam ad animum, quo illa excipiatur, respicitur. *Gratum* est, vox flebile gaudentis, certe animum gratum significantis, si in malis aliquid tamen commode et non nimis triste accidat. Cic. Att. III, 66: Ista veritas etsi *iucunda* non est, tamen *grata* est. Id. Famil. IV. 6: Cuius officia iucundiora scilicet saepe mihi fuerunt, numquam tamen gratiora. Ip. ib. IV. 2: Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quod ab optimo fit animo, tamen hoc mihi multo iucundius est et gratius. Id. ib. X. 3: Quae omnia mihi *iucunda*, hoc extremum etiam *gratum* fuit.

GRAVARE differt a *gravari*. *Hoc* idem est, ac *graviter* ad aliquid persuadere; *illud* autem aliquid *grave* reddere. H.

GRAVIS ad vim, *stabilis* ad tempus refertur. Donat. R.

GRAVITER, si facere nolo, *Acerbe*, si iniuriis affligor. Paedian. R.

GREMIVM dicitur illa pars, quae est intra complexum femorum; *Sinus* vero intra pectoris brachiorumque complexum; vel *Gremium*, est accinctae vestis secretum; *Sinus* vero concavitas, veluti in *sinu* gestantur infantes, in *gremio* foventur et reponuntur. *Gremium* vestis receptaculum, interius iacens secretum; *sinus* exterius expansum receptaculum. Ter. Adelph. IV. 75: Hic non amandus? Hiccine non ge-

Digitized by Google

standus in *sinu*? Virg. Aen. I. 718: Haeret; et interdum *gremio* fovet inscia Dido. Id. Aen. VIII. 712: Pandentemque *sinus*, et torta veste vocantem, Caeruleum in *gremium*. Hinc *sinus* appellatur quaecumque vestis laxitas, et proprie ea, quae ante pectus descendit supra cincturam, apta rebus occultandis et abscondendis; *gremium* autem dicitur e contrario, ab ingressu difficili. Nam veteribus in toga *sinus* ita laxi fuerunt, ut vel a sinistra in dextrum humerum reiicerentur, vel a sinistro humero in brachium, et interdum ad lumbos atque ima crura demitterentur. Svet. Caes. LXXXII: Toga caput obvolvit, simul sinistra manu *sinum* ad ima crura deduxit. Quinct. XI. 3: Illud vero non ferendum, quod quidam, reiecta in humerum toga, tum dextra *sinum* usque ad lumbos reduxerunt. Id. ib.: *Sinum* vero in dextrum humerum ab imo reiicere solutum ac delicatum. Et ab hac postrema significatione manarunt locutiones proverbiales apud Ciceronem, Senecam, Tibullum et alios, in *sinu* esse, gaudere, flere, odisse, pro eo quod est *in occulto*. In *sinu* habere, Scaevola Digestor. D. de Prob. XXXI. 27: Quod omnem fortunam et substantiam quam a matre susceperat, in *sinu* meo habui, id est, in fide et potestate mea. In *sinum* convertere, vel conferre, pro in rem suam. Lamprid. in Commodo: Praedam omnem in *sinum* contulit. Id. Ib.: Qui etiam condemnationes in *sinum* vertisse dicuntur. *Sinus* etiam pro *gremio* accipitur, quod ostendit Sciopp. his Petronii verbis: Manum demisit in *sinum*, et pueri vasculum pertractavit. Vorst. lat. mer. suspecta p. 26: Senecam *sinum* pro *gremio* posuisse, Kappius ad Iensium p. 31. ostendit: Si viscera sua in *sinu* videt. Idem fecisse Ovidium Iensius l. c. ex Borrichio profert.

GVBERNACVLVM inter et REMVM qualis detur differentia mathematica, tradit Henricus Monantholius in Commentar. ad Aristotelis Mechan. p. 76. his verbis: Dissimilitudo est *gubernaculi* et *remi* ex differenti loco, ad quem utrumque navim movet. Utrumque enim navim movet ad locum, qui contrarius est ei, ad quem mare impulsum movetur. Movetur enim navis ad centri, cui est annexa, motum. Centrum autem in *remo* est scalmus, in *gubernaculo* cardo. Movetur hoc contra, quam depulsum mare. Mare autem retrorsum rec-

Digitized by Google

a *remo* depellitur; movet igitur *remus* recta antrorsum navim. Contra mare a *gubernaculo* oblique impellitur, vel dextrorsum, vel sinistrorsum. Movet igitur oblique navim (quod est intelligendum de puppi, non de prora, quae in partem, ad quam mare movetur), sinistrorsum, si illud dextrorsum; vel dextrorsum, si illud sinistrorsum. H.

GVSTARE et SAPERE ita differunt, ut *gustare* sit saporem recipere; *sapere* vero saporem dare. Homo dicitur *gustare*, cibus vero dicitur *sapere*. Homo comedens *gustat*, et cibus, qui comeditur, *sapit*. Hinc versus: *Gustat* lingua cibum, qui bene cumque *sapit*.

GVTTA, utpote liquoris particula minima, stat, seu, ut alii dicunt, manat, sive profluit e *gutto*, seu *gutturnio*, non *guttatim*, sed rivatim: *Stilla* vero ex loco superiore cadit. H.

H.

HABENA impuberum fere poena erat. Minell. ad Horat. R

HABERE (1) est rem detinere, sive iure dominii, sive quo alio modo: *Tenere* (2) est corpore possessioni insistere, licet ius possidendi non competat; *Possidere* pro domino uti. *Hoc* solius domini est et liberi, qui utitur re sua, et iure possessionis fruitur. *Illa* duo cadunt etiam in servum, commodatarium, vel usufructuarium. Cic. Flacco XXI: Hanc fiduciam commissam tibi dicis: *tenes* hodie ac *possides*. Liv. XXVI. 11: Quod ille bello captum *possideret haberetque*. Florentinus Institut. D. de Accept. VIII. 1. 18. Quodve tu meum *habes*, *tenes*, *possides*. Ulpianus ad edictum 49. l. 38. D. de Verb. Oblig.: Plane si *tenere* sibi licere stipulatus sit servus, utilem esse stipulationem convenit. Licet enim *possidere* civiliter non

(1) *Habere* etiam pro habitare atque morari apud Ciceronem atque Livium poni, Gifanius loc. persaepe cit. p. 105 testatur. Quod autem proprie sit *habere* honorem, et *habere* honores, tradit Hadrianus Card. loc. cit. p. 193.

(2) Tenere a τείνειν, h. e. tendere, derivatur. Ad tenendum enim aliquid nervos tendi est necesse. Ideoque tenere idem est, quam apprehensum habere.

Digitized by Google

possint; *tenere* tamen eos nemo dubitat. Id. D. de vi arm. LXIX. 1: Quod autem ait praetor; Quaeque ibi *habuit*; si accipimus, ut omnes res contineantur non solum, quae propriae illius fuerunt, verum et si quae apud eum depositae sunt, vel ei commodatae, vel pignoratae, quarumque vel usum, vel usumfructum, vel custodiam *habuit*, vel si quae ei locatae sunt. Cum enim dicit praetor *habuit*, omnia haec habendi verbo continentur.

HABERE potest etiam fur et nequam; *Possidet* nemo, nisi qui rei relictae, aut donatae, aut emtae dominus est. Ita in habente onus, in possidente ius est. Front. R.

HABITVS intelligitur omnis corporis cultus ornatusque: ut *habitus* militaris, religiosus, scenicus. Denotat et *habitus* roboratam in animo consuetudinem; cum proprie sit, quicquid quis habet proprium. *Vestitus* nomine sola vestimenta continentur. Unde M. Cato orationes inscripsit, unam de *habitu*, alteram de vestitu. Svet. Cal. LII: *Vestitu* calceatuque et cetero *habitu* neque patrio, neque civili. Id. Ner. XXXVIII: In illo suo scenico *habitu*.

HAS MANVS huius hominis dicimus, *hanc manum* multos homines coniungentes. Agraet.

HASTA, quod astans solet ferri. *Iaculum*, quod ut iaciatur, fit. *Tragula* a traiiciendo. Varro. R.

HEBESCIT (1) quod natura obstupescit; *Hebetescit*, quod amittit aciem. Front.

HERBIDVM (2) locum dicimus, in quo herba est, etsi aridus esse consueverit; *Herbosum*, qui herbam facile generat, etiamsi ad tempus aridus sit. Agr.

HEROS, i. e. vir illustris et divinus, etiam de vivis: *Divus* de mortuo dicitur. Sic Bassianus Caracallus de fratre, quem occiderat: Sit *divus*, dum non sit *vivus*. Quamquam, crescente in dies adulatione, multis imperatoribus Romanorum adhuc vivis haec appellatio est tributa, v. g. *Divus* Rodulfus, Ferdinandus, Leopoldus, etc. Leg. Goclenius loc. cit. p. 234.

(1) Conf. Perotti Cornucopiae epigr. CXV. col. 1005.
(2) Alias dicitur *herbidum*, quod est ex herba; *herbosus* autem locus dicitur herbis abundans.

Digitized by Google

Perperam vero a multis latine scribentibus beati coelites, potiusquam *sancti* ex optimorum scriptorum auctoritate, *divi* appellantur. Hanc quidem appellationem, a recta scribendi ratione abhorrentem, respuit vel ipsa christiana sapientia. Namque *divi* a Romanis dicebantur vel dii ipsi, vel imperatores, qui post mortem per apotheosin in deos fuissent relati. Quum autem scriberent *divus Caesar*, *divus Claudius*, idem plane valebat ac *deus Caesar*, *deus Claudius*. Quare iam cuique satis perspicuum est, quam inepte hoc veteris superstitionis atque adulationis titulo donentur a christianis scriptoribus viri, qui summa quadam integritate, innocentia et pietate insignes, digni habiti fuerunt, qui religiose post mortem a nobis colerentur. Th. Vall.

Hevs adverbium vocantis; *Heu* respondentis et dolentis. Agr.

Hiare (1) est ore aperto esse, seu os diducere, vel tacitum tamen; *Hiscere* est incipere loqui, auctore Diomede. Unde *hoc* convenit homini tantum; *illud* etiam inanimis; sic qui oscitat, *hiat*. Sed flores, dum prorumpunt, *hiscunt*. Cum aperiuntur ligna ariditate, terra aestu, flores maturitate, tum dicuntur *hiare*. Varro in Marcipore: Video *hiantes*, non audio. Sallust. Historiar. II. Atque *hiavit* humus multa vasta et profunda. Virg. Aen. III. 313: Raris turbatus vocibus *hisco*. Liv. VI. 16: Nec attollere oculos aut *hiscere* audebant.

Hiberna sunt loca ubi milites hiemem transigunt, velut in urbibus, vicis. *Hibernacula* sunt tentoria scortea, sub quibus hiberno tempore retinentur. Unde sub pellibus esse, et *hibernare* dicuntur. Sallust. Iug. XXXVI: Milites mense ianuario ex *hibernis* in expeditionem evocat. Liv. V. 2: *Hibernacula* etiam, res nova militi romano, aedificari coepta. Tac. Ann. XIV. 38: Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda. Sed interdum *hibernacula* eadem, quae *hiberna*, vid. Gifanii Observationes

(1) *Hiare* est aliquid sua se sponte vel externa aliqua vi aperire vel discindere, ut tellus aestu et lingua ariditate vel nimio labore hiant. *Hiscere* est tantum oris, et quidem humani, accipiturque pro eo quod est loqui, aut os aperire ad loquendum. Anton. in Virg. Georg. I. R.

Digitized by Google

in LL. p. 109. Tac. Ann. II. 23: Legionum aliae itinere terrestri in *hibernaculo* remissae.

Hirundo avis est, quae tignis adhaeret, seu est avicula aestate tectis haerens, hieme recedens. De *hirundine* domestica agit Conradus Gesnerus Histor. Animal. p. 528. seq. Eas autem diversas esse, tradit idem ibid. p. 543. seq. Vid. Plin. HN. x. 49. *Hirudo* est vermis aquaticus, haerens cuti et hauriens sanguinem. Inde et dicta sanguisuga. Agr.

Hispanos (1) cum dicimus, nomen nationis ostendimus; cum autem *hispanienses*, cognomen eorum, qui provinciam *Hispaniam* incolunt, etiamsi non sint *hispani*. Fl. Sosip.

Historia est eorum temporum, quae vidimus, vel videre potuerimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, a videndo; *Annales* (2) sunt eorum annorum et temporum, quae aetas nostra non novit. Unde Livius ex annalibus et historiis constat. Cf. Gell. v. 18. Serv.

Histrio est, qui personatus in scena fabulas agit voce gestuque, seu, qui alicuius personae actiones historice, i. e. ad oculum repraesentat. Comenius. Unde idem actor dicitur et ludio, vel ludius, et cantor. *Mimus* vero est, qui hominum mores et dicta factaque gesticulationibus imitatur, a quo pantomimus omnium personarum, et archimimus personae principis dignioriisque effector. Nam e μιμεῖσθαι, quod est imitari, *mimus* dicitur. Svet. Vesp. xix: *Archimimus* personam eius ferens imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi. Arnob. II: Quid pantomimos, quid mimulos, histriones, cantores tuba, tibia, calamoque flantes? Id. lib. IV: Quid *pantomimi* vestri, quid *histriones*, quid illa *mimorum* atque exoletorum multitudo? Sed haec vocabula aliquando confunduntur, ut quos Tac. Ann. XIII. vocat histriones, eosdem pantomimos Svet. in Nerone XXVI.

(1) Adde et *hispanicus*, *a*, *um*. Ut hispanicum bellum, h. e. in Hispania gestum; hispanicus gladius, i. e. in Hispania factus; exercitus hispanicus, qui constat ex hispanis. Conf. Gifanii Observ. LL. p. 109.

(2) Annales secundum annos sunt congesti, ut Taciti, et Dionis Cassii historia. Historia autem est generalius. Historia orationes habet, affectus commovet, Annales non ita. vid. Gell. Schoettgen. R.

Digitized by Google

Homo marem iuxta ac foeminam significat. *Vir* de masculo tantum genere usurpatur. Th. Vall.

Homonymia una voce multa vocabula designat (1); *Synonimia* multis vocibus idem testatur. Front.

Honestvm ad formam; unde Ciceroni honestus eques idem est, ac probe ornatus ac splendide vestitus eques. *Liberale* ad vultum refertur. Donatus.

Honos (2) appellatur administratio reipublicae cum dignitatis gradu, eaque vel cum sumptu, vel sine erogatione contingens (3); *Munus* autem, quod cum sumptu, sine dignitate, in republica subimus. Itaque honorem gerens non potest cogi, *munus* aliquod titulo dignitatis institutum administrare; at munus sustinenti *honor* deferri potest, ut iurisconsulti tradiderunt. Ulp. Disputationum I. 7. D. de Decur. Etsi maiores annis septuaginta sint, *munera* quidem civilia obire non coguntur; *honores* autem gerere debent. Paulus Lib. I. Sententiar. I. 7. D: *Honores* et *munera* non ordinatis omnibus, sed potioribus quibusque iniungenda sunt.

Hoplomachvm sunt, qui putent, eumdem esse cum *mirmillone*. Perizonius ad verba Svet. Calig. xxxv: Threci, et mox *hoplomacho* comparavit, *hoplomachum* interpretatur mirmillonem, qui graviori armatura erat instructus. Lipsius Sa-

(1) Latine dicitur aequivocum ab aeque et vocando, quia v. g. isto nomine *cancer* aeque signum zodiaci et carcinoma vocatur, atque piscis. Ita vox *canis homonymia* est, ab aeque vocando multas et diversas res ut: Latrat in orbe *canis*, nat in aequore, fulget in astris. Haec Ioannes Herbinius, in clave ad facilitatem et usum logicae lect IV. p. 19.

(2) *Honor* dignitatis consummatio, vel privatim vel publice: *laus* secunda existimatio recte factorum. Front.

(3) Aliquando principatum, terrasque in *feudum* acceptas, et sic ipsum magistratum, denotat. Unde *honorem gerere* est magistratum gerere. Leg. Scipionis Gentilis liber singular. Orig. ad Pandect. p. 213 et Reinesii III. Var. Lect. cap. 1. pag. 313. Gifanius loc. persaepe alleg. p. 110. seqq. dicit, *Honorem* pro honorario, munere atque stipendio quoque sumi. Qualis autem detur differentia inter *onus* et *honorem*, tradit Ioannes Girardus epigramm. legali XLVIII. 69. his verbis: Publica (si constat sibi res) incommoda secum, Privatae multum commoditatis habent. Te quoties *onero*, toties te semper *honoro*: Quid? quod *onus* vitas, te quoque vitat *honor*.

Digitized by Google

turnal. II. 11. dubius animi est, separetne *hoplomachos*, an cum mirmillonibus, aut Samnitibus confundat. Nam et in *mirmillonem* vox graeca convenit, quia tectus armis; at verius fortasse in Samnitem, cuius nomen ante Ciceronem celebre desiisse sub imperatoribus videtur, et abiisse in *hoplomachum*. At res, armaque eadem. Festus *mirmillones* olim Gallos esse adpellatos monet. Si autem Lipsii verbis fides est habenda, utique *hoplomachus* differt a *mirmillone*.

Horrendvs est teter et abominandus in rebus profanis; in sacris *venerandus*, ut Virg. Aen. III. 677: Concilium *horrendum*. Lib. VI. 10: *Horrendaeque* procul secreta Sibillae. *Horridus* vero est incultus, aut durus et rigidus. Id. Aen. IV. 251: Et glacie riget *horrida* barba. *Horridum* plerumque extans et prominens, ut in addito versu: R. Varro in Sequiulysse: Tum equum mordacem, calcitronem, *horridus* miles ac vir non vitabat. Similiter *horridula* carmina et *horridulae* orationes apud Cic. *Horrendum* aliquando admirandum: *Horridum* despicabile aliquid adpellamus.

Horret corpus, *trepidat* cum motu animi. Fronto. Nec tamen hoc discrimen sibi apud scriptores semper constat.

Hortvs est locus clausus, ubi olera cibi causa coluntur. Galli appellant *jardin potager;* nos: *un orto*. Plin. HN. XIX. 19: Ex *horto* plebi macellum. Cic. Senect. XVI: *Hortum* agricolae succidiam alteram appellant. *Horti* in numero multitudinis sunt qui deliciarum causa parati, statuis, diaetis piscinis, ambulacris et topiario opere instruuntur. Italice: *un giardino*. Plin. Ep. VIII. 18: Amplissimos *hortos* eodem quo emerat die, instruxit plurimis et antiquissimis statuis. Nep. Attic. XIV: Nullos habuit *hortos* nullam suburbanam aut maritimam sumptuosam villam. Vide Viridarium. Th. Vall.

Hospes est, qui recipit et qui recipitur. Agr. *Hospes* ex humanitate et amicitia amicos gratis accipit, cui cum altero ius hospitalitatis intercedit. *Caupo* omnes mercede seu pecunia accipit, et eius domus patet omnibus. Cic. Divin. I. 37: Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, et Megaram venissent, alterum ad *cauponem* divertisse, ad *hospitem* alterum. Interdum tamen hospes sic confuse dici videtur, ut non tantum *hospes* hospitem, sed caupo quoque *ho-*

Digitized by Google

spites accipiat. Cic. pro Cluentio LIX: Hominem multorum *hospitum*, A. Binnium quemdam *cauponem*. Quamquam si verum quaeramus, et locus totus consulatur, iocus est ac lusus in verbis *caupo*, *hospes*, invitare, hominem accipere, de via decedere. Rursus *hospes* ac *peregrinus* saepe pro eodem. Sunt in eam rem apud Tullium testimonia quam plurima. Alias *hospes* differt ab *advena* et *peregrino* qui non sunt nobis amici aut cogniti, nec a nobis eo titulo excipiuntur. Ita Cic. Agr. II. 34: Nos autem hinc Roma qui veneramus, iam non *hospites*, sed *peregrini* atque *advenae* nominabamur. Omnia sunt perspicua, si Gesneri notionem *hospitis* generalem spectes. *Hospites* sunt, tam qui in privato alicuius *hospitio* sunt, quam qui in publico; quod diversorium, stabulum, vel tabernam meritoriam adpellamus tam qui recipit, quam qui recipitur. V. *Peregrinus*.

HOSPITIVM et DIVERSORIVM peregrini est et ad tempus, *hoc* in medio itinere: *illud* in eo loco, quo tendimus, et negotiorum nostrorum causa per aliquod tempus commorari debemus. *Familiaritas* quotidianam requirit consuetudinem; *Taberna* seu *caupona* pretio recipit, et ab ignotis praebetur. Goclen. H. *Domus* est sedes firma et stabilis. In *hospitio* et *diversorio* commoramur (italice: *soggiorniamo*); *domi* vero habitamus. Cic. de Senect. sub fin.: Ex vita ita discedo, tamquam ex *hospitio*, non tamquam ex *domo*: commorandi enim natura *diversorium* nobis, non habitandi locum dedit. TH. VALL.

HOSTIA dicta, quod Dii per eam hostiantur, i. e. aequi ac proprii reddantur. Serv. in Aen. Virg.: *Sacrificium* nominabatur, quoniam animal omne in se impurum mola salsa acceptum fiebat Diis. R. *Hostia* dicitur de parvis animalibus, ut ovibus et volucribus: *Victima* de magnis, ut tauris (1). Plaut. Pseud. I. 3. 95: Nolo *victimas*, agninis me extis placari volo. Virg. Georg. II. 146: Hinc albi, Clitumne, greges et

(1) Eruditus Rachenbergius in Germ. med. c. alleg. scribit, ipsas *victimas* apud plerosque olim commodasse humanum sanguinem, effusum ante *Deorum* aras, et diro carmine devotum: introducta immani illa ac barbara Scytharum consuetudine, qui *Deos* immortales hominum scelere ac sanguine posse placari arbitrabantur.

Digitized by Google

maxima taurus, *Victima*. Arnob. VII: *Hostias* caedat et *victimas*. Id. ib.: Quoniam volucres *hostiarum* quoque in numero ponitis. Gellius ita distinguit, ut *hostia* a quolibet; *victima* eius qui vicerit, manibus debeat immolari. Isidorus vero, *Hostia* est, inquit, quae ante proelium commissum; *victima*, quae post victoriam immolatur. Quam differentiam refellit etymon *hostiae*, quod tradit Ovid. Fastor. I. 336: Hostibus a-motis *hostia* nomen habet. Sed observavit iam Servius, haec licenter confundere auctoritatem; v. Brissonius de formulis l. I. p. m. 13. *Hostia* est ducis, cum ad hostem proficiscitur; *Victima* cum venit; *Holocaustum* igne consumitur; *Sacrificium* est generale. H.

Hostis ille dicitur, adversus quem publice bellum gerimus; *Inimicus*, cum quo simultates aut odium exercemus. Cic. Leg. Manil. x: Qui saepius cum *hoste* conflixit, quam quisquam cum *inimico* concertavit. Th. Vall.

Hvivsce et Hvivsqve diversa esse tradit Victorinus in libro de orthographia his verbis: *Huiusce* et *huiusque* recte scribuntur, sed suo loco utraque. Nam ab hocce et hacce fit *huiusce*; *huiusque* autem aliud significat, id est, uniuscuiusque. Conf. Brissonii de Formulis I. 52. Ego posterioris significationis exemplum apud idoneos scriptores nondum inveni; et credo ita differre sola scriptura propter affinitatem litterarum C. et Q. de qua diximus lib. I. de usu antiquae locutionis. Itaque eadem est fortuna *huiusce* diei et *huiusque* diei apud Ciceronem, Plinium et alios.

Hvmatvs intelligitur humo contectus; sic inhumatus est insepultus; exhumatus vero e sepultura extractus. *Sepultus* (1) quoquo modo conditus, ut qui in sarcophago, hypogaeo, vel pyramide situs est. Cic. Tusc. I. 43: Cuius hoc edicto admoneor, ut aliquid etiam de *humatione* et *sepultura* dicendum existimem. Id. de Legibus II. 22: Quod nunc communiter in omnibus *sepultis* ponitur, ut *humati* dicantur, id erat proprium tum de his, quos humus iniecta contegeret. Vetus inscriptio: Inferendi. in. area. humandi. sepeliendique. ius. potestasque. esto.

(1) De huius vocabuli origine vid. Perottus loc. cit. epigr. xxx. col. 831. lin. 51. seqq.

Digitized by Google

HVMANITAS et LITTERAE saepe coniunguntur, sed tum *humanitas* significat doctrinam politiorem elegantioremque; vid. Schardii Lexicon Iuridic. p. 424. seqq., *Litterae* scientiam communium et variarum artium. Varro R. R. I: Qui sint *litteris*, aliqua *humanitate* imbuti. Cic. Verr. VI. 44: Tu sine ulla bona arte, sine *humanitate*, sine *ingenio*, sine *litteris* intelligis et iudicas. Id. pro Arch. II: Patiamini de studiis *humanitatis* ac *litterarum* paulo loqui liberius. Id. de Orat. II. 17: Homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium *litterarum* et politioris *humanitatis* experti.

HVMANITER significat φιλανθρώπως; *Humane* autem ἀνθρωπίνως, quibus addendum *humanitus*, quod idem est, ac humano more, quae tamen differentia nimis ieiuna atque coacta est. Westerhovius ad Ter. Heaut. I. 1. 47: Quod Charisius et Diomedes grammatici ita distinguunt inter *humane*, *humanitus* et *humaniter*, ut *humane* sit ἀνθρωπίνως, *humanitus* et *humaniter* φιλανθρώπως in eo quidem falluntur. Plin. HN. X. 83: Ursi humanitus strati, i. e. ἀνθρωπίνως, more hominum. Nonius *humanitus* et *humaniter* ἰσοδύναμα facit.

HVMIDVM est, quod extrinsecus seu exterius habet aliquid humoris; *Madidum* vero atque *uvidum*, quod intrinsecus, unde *uvae* dicuntur, ut tradit Servius, cui non assentior. *Humidum* (1) enim proprie est, quod in profundo continet humiditatem, ut terra; *uvidum* est, quod in superficie tantum, ut lapides in flumen deiecti, vestes rore aut fluctibus adspersae, quas *uvescere* dixit Lucret. I. 306 et 307 his verbis: Denique fluctifrago suspensae in littore vestes *Uvescunt*, eaedem dispansae in sole serescunt. Virg. Ecl. X. 20: *Uvidus* hiberna venit de glande Menalcas. *Illud* Graecis est ὑγρὸν, *hoc* διερὸν, ut Aristoteles disserit de Ortu et Interitu II: *Madidum*, quod madefactum ita est, ut liquor permeet totum corpus.

HVMIDVM est, quod humorem habet; *Humectum*, quod hu-

(1) Quemadmodum a *succidus*, quod est succulentus, seu succiplenus, bonae notae verbum *succidare* defendit; sic ab *humidus humidare*, et quidem adnotante litteratissimo Reinesio Var. Lect. II. 8. p. 196. qui et lib. III. 18. p. 675. dicit, *humidare* verbum apud Gariop. V. 33. etiam extare.

Digitized by Google

morem inducit. Pacuvius: Terra exhalat auroram *humidam*, *humectam*.

Hvnc et Istvm in proximo notant; *illum* ostendit quidem longe stantem, sed in conspectu; *eum* absentem refert. Alias *hunc* ponimus, quando de prima; *illum*, quando de secunda et *istum* quando de tertia persona est imprimis sermo. Front.

Hymnvs fit voce naturali; *Psalmus* aliquo musico instrumento.

Hypotheca proprie dicitur de re solo inhaerente; quae sine traditione, nuda conventione tenetur; *Pignus* vero de re mobili, cuius possessio tradita est creditori, usque dum quid praestetur, vel fiat a debitore, ut scribunt iurisconsulti ix. § 2. D. de Pign. Act. I. 238: Inst. de Act. § 7. D. de Verb. Sign. *Hypotheca* est pignus immobile, quod creditori obligatur, quod ad ius et potestatem attinet, possessione apud debitorem remanente; *pignus*, proprie sic dictum, in manus vel aliter possidendum traditur creditori; cuius possessionem ad tempus consequitur creditor; ceterum dominium penes debitorem est. Quae tamen differentia et proprietas raro (1) observatur, et pignus de re immobili dicitur. Ter. in Phorm. iv. 3. 56, 57 et 58: Ager oppositus est pignori ob decem minas, Aedicula item ob decem alias. Tac. Histor. iii. 65: Domo agrisque pignori acceptis. Ulpianus ad edictum 25. D. de Relig. ii. Is, qui pignori dedit agrum, si in eum suum mortuum intulerit, religiosum eum facit. Papinianus responsor. D. de Pign. I. 2: Cum praedium pignori daretur, nominatim, ut fructus quoque pignori essent, convenit. Quin etiam ipsi iurisconsulti, cum ad naturam actionum respiciunt, his duobus nominibus promiscue utuntur pro qualicumque re, de qua inter creditorem et debitorem convenit, ut sit pro debito obligata. Unde Marcianus libro singulari ad formulam hypothecariam D. de Pign. vi: Inter *pignus*, inquit, et *hypothecam* tantum nominis sonus differt; videlicet quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interest praeter sonum et originem, qua alterum latinum nomen est, alterum Graecum ab ὑποτίθημι.

(1) Vid. Iohann. Arnoldi Corvini Posthumus Pacianus lib. iv. Definit. 2. p. 112. Edition. secundae.

Digitized by Google

I.

IACIMVS tela; *Obiicimus* crimina. Goclen. R.

IACTAMVR mari; *Fatigamur* in terris. H.

IANVA est in ingressu aedium, dicta, quia Iano consecratum erat omne principium; *Ostium* est in partibus interioribus, sive est pars ianuae, qua patet introitus et exitus, quasi os aedium dictum. Plaut. Pers. v. 1. 6: Hic volo ante *ostium* et *ianuam*. Sed haec fere confunduntur, sicut eadem sunt ianitor et ostiarius. *Fores* proprie dicuntur, quae sunt in primo aedium ingressu, dictae ab eo, quod foras spectent, seu quae foris aperiuntur, sicut apud veteres. R. *Valvae* autem sunt fores duplices, complicabilesque, quae, ut ait Varro, revolvuntur, et se velant. Sed in communi sermonis usu generaliter dicuntur omnia ostia, *fores* et *valvae*, nec refert qua parte aedium collocatae, simplices an geminae sint. Serv. Vid. *Porta*.

IEIVNIVM dies est, *Ieiunitas* cibi abstinentia. Front. R.

IGITVR sententias coniungit et continuat; *Nunc* tempus praesens indicat. H.

IGNARVS est, qui ignorat (1); *Immemor*, qui oblitus est. Serv.

IGNAVIA est tarditas in exequendis negotiis (2); *Pigritia* seu *pigredo*, sive *pigritudo* (utpote quibus vocibus veteres promiscue sunt usi) in aggrediendis; *Inertia* est agendi inscientia, quam parit *ignavia*. Itaque *ignavus* nihil efficit; *piger* otiosus desidet et nihil molitur; *iners* imperite agit. Cic. Off. I. 29: Nec propter *pigritiam* aut *ignaviam* deserant. Id. Cornif.: Nec tua *ignavia* etiam *inertiam* adferat.

IGNOMINIA imponitur ab eo, qui potest animadversiones notare. *Infamia* ex multorum sermone nascitur (3). Front.

(1) Contra *Gnarus* rem novit. Gnavitas autem rerum ignorantiae ideo est praeferenda, ne nos ignoratio in peccata praecipitet. Comenius.

(2) Sic *Ignavus* nihil efficit; cum contra gnavus in negotiis semper est strenuus. Quoniam itaque gnavitas ad omnia prodest, merito *ignavia*, monente Comenio, fugienda.

(3) Pertinet autem *infamia* ad famosas tantum et turpes actiones.

Digitized by Google

IGNORATIO et IGNORANTIA hoc differunt, quod *Ignoratio* est rei quae nescitur, nec sciri potest, nisi prodatur (1); *Ignorantia* autem est rei, quae sciri potest, aut debet, sed errore hominum, aut negligentia ignoratur. Cic. Amic. XIX: Ut in fabulis, qui aliquamdiu propter *ignorantiam* stirpis et generis in famulatu fuerint. Aliquando tamen *ignorantia* sumitur pro ignoratione. Cic. Flacc. XX: Ubi adolescentes nihil possent discere, nisi *ignorantiam* litterarum. Lucr. VI. 53: *Ignorantia* causarum conferre Deorum Cogit ad imperium res.

IGNORARE est non satis cognitum et exploratum habere. *Nescire* omnino non scire. *Alterum* est imprudentis, aut negligentis, *alterum* inscientis et imperiti. Arnob. II: Hoc ipsum *ignorans* et *nesciens*. Id. ib. Confitemur nos *ignorare*, *nescire*, etc. Quid ergo? nos soli *ignoramus*, *nescimus*. Svet. Claud. XXIX: Impunitates, supplicia largitus est, et quidem inscius plerumque et *ignarus*.

IGNOSCIT, qui dissimulat se nosse, quod comperit, et ita silentio peccata impunita dimittit; omnibus autem ignoscere, hoc est, quae punienda iudicantur, non punire et nulli ignoscere, aeque crudele Seneca censet, Clement. II. 2. *Concedit*, qui omnia peccata condonat. Fronto. Indulget, qui peccaturis humanum se ac benignum praebet. TH. VALL.

ILLEX et ILLIX (proprie avem alios allicientem denotans) hoc differre volunt, quod *illex* sit, a quo lex non servatur;

quae ex contractu, vel ex delicto oriuntur, sicuti tradit Ludvell. Commentar. Instit. IV. tit. XVI. § 2. p. 651, et est bonae famae prorsus contraria, quoniam pro omni turpitudinis dedecorisque genere etiam ponitur, et persaepe ad ipsam personam refertur. Leg. Doleti phrases, seu formul. LL. fol. 76. fac. b. col. 1. Ignominiam autem minus esse, quam infamiam, inde patet, quoniam ignominiosi non sunt infames, ut infamium ac damnatorum poenis teneantur, quemadmodum passim Icti atque politici testantur. Sed haec differentia non utique satis custoditur.

(1) Sed *ignoratio* sui est, cum quis se effert et superbe gerit, cum tamen sit humilis et infimi loci. Cicero pro Cluentio de superbo quodam tribuno plebis sic scribit: Quinctio, quod erat odium, Dii immortales! Quae superbia, quanta *ignoratio*, quam gravis atque intolerabilis *ignorantia*!

Digitized by Google

Illix qui inlicit et invitat (1); in quo sane illis adsentior. Nam ab inliciendo dicitur promiscue *illix* et *illex*, ut pellex a pelliciendo. Varro LL. IX: Hoc ipsum indicium scriptum inveni in M. Iunii Commentariis, quod tamen ibi idem est, quod illiciti *illex*, quia I cum E et C cum X magnam habet communitatem. Plaut. Asin. I. 3. 67: Lectus *illex* est. Id. Poen. III. 4. 36: Qui illi malae rei tantae fuimus *illices*.

ILLIVS *similis* ad mores refertur; *Illi similis* ad vultum; *hoc* ad formam externam; *illud* ad qualitatem spectat. Clarus.

IMAGO et IDOLVM *theologice* sic differunt, ut *illa* ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas fiat; *hoc* autem numquam, nisi ad miserorum animas sacrilego ritu et varia superstitione illiciendas, sicut tradit Henricus Hoepffnerus Sect. III. Saxoniae evangelicae c. VII. p. 441. *Hoc* ad seipsum dicitur; *illa* vero ad aliquid. Ideoque dicitur alicuius rei, sive animatae, sive inanimatae, exemplum, seu exemplar, sive repraesentatio. Conf. Dolet. loc. nuper ad Not. CC. alleg. fol. 74. fac. a. col. 1. Proprie autem inter *exemplum* atque *imaginem* haec datur differentia, quod *exemplum* ponatur, ut aliquid fiat, *imago* autem nullum talem finem habeat; sed ut duae res sub una atque aequali intellectione comprehendantur propter assimilationem, quae dicitur ὁμοίωσις. Vid. Scaligeri Poët. III. c. XLIX. p. 292. H.

ILLVVIES sordium est; *Ingluvies* ventris. *Illud* quidem a lavando; *hoc* ab inglutiendo dictum. Agraet.

IMBVTVS *litteris* est, qui non plane est doctrina perfusus, nec perfectus litteris, sed qui solum litterator est. *Imbuere* enim est proprie aliquid inficere primo succo aut levi colore. R.

IMBER est aqua largius ex concretis nubibus cadens. Dif-

(1) *Illex*, producta sequenti syllaba, significat, qui legi non paret, qui legem putat tenere se nullam. *Illex*, correpta sequente syllaba, significat inductionem ab illiciendo. R.

Unde illicere et illectare et inescare, seu aliquem in aliquid blanditiis trahere. Est autem res plena periculi speciosis illectamentis illici et vanis oblectamentis oblectari et quidem Comenio sic monente. Ponitur et illicere pro persuadere, vel in sententiam aliquem attrahere, quemadmodum *illex* pro suasore.

Digitized by Google

fert a *nimbo*, qui repentinus est, praeceps et brevior; a *pluvia*, quae iugis et lentior. Ovid. Metam. xI. 516: Cadunt largi resolutis nubibus *imbres*. Liv. I. 16: Subito coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque, tam denso regem operuit *nimbo*, ut conspectum eius concioni abstulerit. Cic. ad Att. xv. 16: Equidem *pluvias* metuo, si prognostica nostra vera sunt. Ranae enim ῥητορεύουσιν. Quum haec scriberet Tullius, erat in villa ad Lucrinum lacum. Quare metuebat, ne reditus suus in Tusculanum diuturnis illis pluviis intercluderetur, quae rusticantibus aut iter facturis molestiam afferre consueverunt. Th. Vall.

Immissvm dicitur, quod ita fit, ut aliquo loco requiescat, veluti tigna, trabes, quae immittuntur in parietes; D. de Verb. Sign. ccxlII. *Proiectum* est, quod provectum extra parietem vel aedificium nusquam quiescit, qualia meniana et suggrundia sunt, auctore Labeone. Cuius differentiae exempla suppeditant libri iurisconsultorum.

Immolare et Mactare hoc differunt, quod *immolare* proprie est victimas mola salsa tactas ante aram statuere; *Mactare* vero est victimas caedere et inde porrigere, sive offerre. Leg. Perotti Cornucopiae epigr. I. col. 138. lin. 27. seqq. Varro de Vita Pop. Rom. II: *Mactare* verbum est sacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis augere, ut adolere. Unde et magmentum, quasi maius augmentum. Nam hostiae tanguntur mola salsa et tum *immolatae* dicuntur; cum vero ictae sunt, et aliquid ex illis in aram datum est, *mactatae* dicuntur, per laudationem itemque boni ominis significationem; et quum illis mola salsa imponitur, dicitur *macte esto*.

Imperare est onus imponere, ut apud Sallust. Iug. xlvII: *Imperavit*, frumentum et aliâ, quae bello usui forent, comportare. Denotat quoque imperare ex auctoritate aliquid iniungere. Sic, scribente Comenio, *imperator* imperat exercitui, imperatorio iure edicens imperia; *Romanus* autem *imperator* ad imperium electione promotus, imperiali maiestate eminet. *Iubere* est velle aliquid necessario fieri, quod ad dignitatem et utilitatem alterius pertineat, ut, regem populus iussit, et bellum ex auctoritate patrum populus iussit.

Digitized by Google

Livius. *Mandare* vero est gerendum, pronunciandumve aliquid alteri committere. Unde *mandata* appellantur praecepta principum, quae praesidibus in provincias proficiscentibus dabantur, ut quod illis cautum esset et ipsi provinciales observarent. Hoc amplius. *Imperamus* non aliis modo, sed etiam nobismet ipsis; *Iubemus* tantum his, qui in nostra sunt potestate; *Mandamus* quibuslibet. Ter. Eun. I. 2. 21: *Imperavi* egomet mihi omnia adsentari. Id. ib. II. 3. 98: Iubeo, cogo atque impero. Coelius Ciceroni: In hoc negotio nulla tua, nisi loquendi, cura est, hoc est, *imperandi* et *mandandi*. *Praecipere* est praeceptorum in schola, et omnium etiam magistratuum et iudicum. V. *Dominari*.

Imperivm et Regnvm sunt, qui ita separent, ut rex *regnum* habeat et regnet, imperator autem *imperium* et imperet. Enimvero *imperium* etiam regibus tribuitur, verbaque *imperare* et *regnare* promiscue ponuntur. Eutrop. I. 1, 2, 6, 7; VI. 7. Bene itaque Gesnerus in thes. *regnum*, imperium regis, regio, quae a rege possidetur. Per eminentiam tamen imperatoribus rom. imperium tribuitur, non item regnum.

Si quando Romani imperium militare ultra statutum tempus alicui permittebant, *imperium prorogari*; sin magistratum, ut consulatum, praeturam, diutius alicui concedebant, *continuari magistratum* dicebant. Liv. IX: Fabio, sicut priore anno populus, continuarat consulatum, ita senatus in insequentem annum prorogavit imperium. Lib. VIII: Singulare hoc ei accidit, prorogatio imperii non ante in ullo facta et acto honore triumphus. V. Sigonius de antiquo iure Pop. R. p. 408. Legimus quidem, etiam praetoribus aliquot urbanis imperium prorogatum, sed prorogatum est ipsis militare imperium, quod in praetura urbana extra ordinem obtinuissent. Cic. Ep. ad Q. Fr. I. 1: Quod si tibi bellum aliquod magnum et periculosum administranti, prorogatum imperium viderem, tremerem animo.

Imperivm est civilis quaedam magistratus auctoritas, quae in prehendendo et animadvertendo consistit; *Potestas* est minor magistratus coercitio et generaliter pro agendi libertate haud inique ponitur. Itaque dictator, consules et prae-

Digitized by Google

tores, qui vocare, prehendere, tenere, abducere poterant, *imperium* simul et *potestatem* habebant; tribuni vero plebis, aediles curules et quaestores *potestatem* tantum, quia alteri prehensionem solam, alteri neque prehensionem, neque vocationem habebant. *Cum imperio* esse dicebatur apud antiquos, cui nominatim a populo dabatur imperium: *cum potestate* esse dicebatur de eo, qui a populo alicui negotio praeficiebatur. Fest. *Potestas* omnes magistratus in genere, qui auspiciis vel maioribus vel minoribus creabantur. Gell. XIII. 15: *Dominium* est ius utendi, abutendi re, et excludendi alios. *Imperium* est in personas, *dominium* in res. *Imperium* est mandantis, *dominium* possidentis. R. Praeterea *imperium* aliquando bellicum est et militare, quo imperatori exercitum habendi et belli gerendi facultas datur; *Potestas* semper est civilis. Unde, *cum imperio* esse dicebatur dux, qui imperabat exercitui; *cum potestate* esse magistratus, qui iurisdictionem habebat, aut civili aliquo munere fungebatur (1). Cic. pro Fonteio: In honoribus petendis, in potestatibus, in imperiis gerendis. Id. Epist. ad Q. Fr. I. 1: Quare cum istis in urbibus cum summo *imperio* ac *potestate* verseris. Ulpianus de Officio Proconsulis D. ad l. Iul. m. VII. 1: Magistratus populi romani, quive imperium potestatemve habet. Id. Inst. D. Const. Princ. I. 1: Populus ei et in eum omne suum *imperium* et *potestatem* conferat. V. *Dominari.*

IMPETRAT, qui acquirit; *Conservat*, qui impetrati essentiam continuat. H.

IMPIETAS est, quae adversus patriam et parentes committitur; *nefas*, quod in Deum; sed non ubique servatur haec differentia.

IMPLVVIVM, quo aqua impluit collecta de tecto, seu est locus in aedibus sine tecto, quo imber impluit. *Compluvium*,

(1) Conf. Doleti phrases, seu formul. eleg. fol. 74. fac. b. col. 2. ubi et fol. 131. fac. b. col. 1. extat: *In potestate esse*, quod non active sed passive capiendum esse arbitror. Nam ea dicuntur esse *in potestate nostra*, quae in potestatem nostram venerunt. Sed dicimur in potestate eius esse, qui potestatem auctoritatemque in nos habet, vel sub cuius potestatem subiecti sumus aut sponte, aut donationis iure, aut emptionis nexu, aut accepti beneficii obligatione.

Digitized by Google

quo de diversis tectis aqua pluvialis confluit in eumdem locum. Fest.

IMPROBVS et MALVS differunt. Improbus enim malo adhuc est intolerabilior. Sall. Iug. XXXI: Bonus tantummodo segnior fit, ubi negligas, at malus improbior. V. Burmanni not. ad Phaedri IV. fab. 18.

IMPRVDENS per se, *Ignavus* per alios. Donat. R.

IMPRVDENTIA et CVLPA videntur discerni posse, ita ut *imprudenter* peccemus nescienter, cum *culpa* autem scientes, volentes, proinde flagitiose. Plaut. Epid. v. 2. 63. R.

IMPRVDENTIA verborum est, *Audacia* factorum. Sed hoc non est perpetuum.

IMPVLSOR in re mala, *Adiutor* in re bona dicitur. Goclen. obs. 32.

IMVM summo respondet; *Infimum* ut infra humum. Fronto.

IMVS loco, *infimus* ordine. R.

INCEDIT qui graviter et cum dignitate; *Vadit* qui magnis passibus et cum impetu progreditur. Senec. Quaest. Nat. VII. 31: Tenero et molli ingressu suspendimus gradum: non ambulamus, sed *incedimus*. Virg. Aen. I. 500: Regina ad templum forma pulcherrima Dido *Incessit*. Liv. VII. 24: Inferenda sunt signa, et *vadendum* in hostem. TH. VALL.

INCERTVM nec tempus, nec numerum recipit; *Dubium* est, ubi nescimus quid eligamus. Fronto.

INCESTVS in consanguineas et sacras, *Adulterium* in nuptam, *Stuprum* in virginem et viduam, et fit saepissime cum violenta libidine.

INCHOAT qui incertum facit; *Incipit*, cuius exitum sperat. Fronto.

INCIDIMVS incauti, imparati, ex improviso; *irruimus* parati et de industria.

INCIDVNT res praeter spem; *Veniunt* exspectatae. Gocl. H.

INCOLA a CIVE et MVNICIPE differt. D. ad Municip. XXIX. Nam *cives* origo, vel manumissio, vel adeptio, vel allectio; *Incolas* domicilium facit. C. de Incol. VII. Haec Brissonius.

INCRVSTATIONES solido de marmore (1); *Tectoria* ex mar-

(1) *Incrustationes* sive crustationes, sunt, cum crustae parieti,

Digitized by Google

propterea *infulae* et *vittae* saepe confundantur. In pontifice idem erat *infula*, quod in rege diadema. Gesn. in thes., voce *infula*, omnem rem distinctius exponit. *Infulae* sunt quasi inferulae, dependentia circa caput filamenta, quae a *vitta*, seu *vittis* constringuntur. Non moramur Isidorum, qui haec permutare videtur, dum *vittas* ab *infula* dependentes facit, in quo consentientem ac praeeuntem habet Servium ad Aen. x. 538: *Infula*, cui sacra redimibat tempora *vitta*. *Infulas* dependisse a *vitta*, docet Lucr. I. 88. de Iphianassa, Cui simul *infula* virgineos circumdata comptus Ex utraque pari malarum parte profusa 'st. Virg. Georg. III. 487: Lanea dum nivea circumdatur *infula vitta*. Ovid. ex Pont. III. 2. 74: Ambiat ut fulvas *infula* longa comas; Dumque parat sacrum, dum velat tempora *vittis*. Semper ergo una fuit *infula* et *vitta*. Satis autem est, alterum memorasse apud intelligentes rerum. Unde promiscue nonnumquam haec duo poni videntur, salva interim propria utriusque significatione.

Ingenivm et Natvra eamdem quidem rem exprimunt, neque tamen omnino sunt eadem. Landinus ad Hor. Od. II. 189: Nonnumquam ad vitam et ad mores pertinet *ingenium*, et dicimus, malum ingenium fuisse in Clodio, bonum in Milone. In quo loco videtur idem significare, quod *natura*, sed hoc differt, quod *natura* communior est, *ingenium* particulare. Itaque non recte diceremus: novi *ingenium* humani generis, sed novi *naturam*. Recte autem, si dico, novi ingenium uxoris meae, id est, novi, qui mores illi a sua particulari natura sunt. Bene Gesnerus in thes.: Ingenium proprie natura dicitur cuique ingenita.

Ingens (1) valet immensus, τρισμέγιστος, et plus est, quam *magnus*. Plaut. Capt. IV. II. 64: Ignem *ingentem*, ita dico, *magnus* ut sit. Lucr. VI. 677: Maxima quae vidit quisque, haec *ingentia* fingit. Ter. Eun. III. I. 1: *Magnas* vero agere

(1) Quasi incens, ab *in* et *censeo*, quod tamen sit, ut censeri non possit, sicuti (praeter Comenium) ex Iosephi Scaligeri notis in Orpheum adnotavit litteratissimus Gerardus Ioannes Vossius in Etymologico LL. p. 266. col. b. Sunt etiam, qui ingens a Gente, Perotto teste, dictum velint, quasi sit ultra gentem suam, et sic omnino magnus atque immensus.

Digitized by Google

gratias, Thais, mihi? *Ingentes.* Quem versum afferens Cic. Amic. XXVI, ait: Satis erat respondere *magnas*; *ingentes* inquit. Semper auget assentator id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult esse *magnum.*

INHIBERE est retinere et retrahere ab incepto opere, aut cursu, quo modo *nautae* dicuntur *inhibere* navem, cum eius impetum contraria remorum percussione retardant; *Prohibere* (1) est avertere et impedire, ne quid fiat, vel incipiatur: Unde *prohibitoria* edicta appellantur, quibus praetor vetat aliquid fieri. Virg. Aen. I. 525: *Prohibe* infandos a navibus ignes. Id. XII. 693: Parcite iam Rutuli, et vos tela *inhibete* Latini. Cic. Att. XIII. 21: *Inhibere* illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum *nauticum.* Quamquam id quidem sciebam; sed arbitrabar sustineri remos, quum *inhibere* essent remiges iussi. Id non esse eiusmodi, didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur. Non enim sustinent, sed alio modo remigant. Liv. XXVI. 39: Cum rostris concurrissent, neque retro navem inhiberent. Iust. II. 12: Commisso proelio, ite cessim, *inhibete* remis.

IN IVS VOCATIO differt a *citatione*, quae posterior voce praeconis fiebat ad evocandos, et ad tribunal arcessendos ipso iudicii die tum actorem tum reum. Observante, ex Ant. Goveano, Fr. Taubmanno ad Plauti Asinar. III. 4. 74. in ius vocare est in ius ad magistratum manu ducere; citari autem, quo verbo hodie abutimur, est voce praeconis vocari coram magistratu.

INIMICVS *V.* HOSTIS.

INIQVVS sibi et aliis; *Iniurius* aliis. R.

INIVRIA semper iniusta est, *Laesio* etiam iusta esse potest. Ascon. Paedian. *Iniuria* a *contumelia* hoc distat. *Iniuria* levior res est. Pacuvius in Periboea: Patior facile *iniuriam*, si est vacua a *contumelia.* Non. R.

INNOCENS (2) est, qui ab omni iniuria, aut maleficio se

(1) Hoc est generale et ante rem inceptam; illud speciale, et fit, re iam incepta.

(2) Innocens re, innoxius animo dicitur, teste Servio in X. Aen.

Digitized by Google

abstinet (1); *Innocuus*, qui alteri non nocet. *Illud* de hominibus tantum; *hoc* etiam de bestiis et herbis dicitur. Plaut. Captiv. III. 5. 7. seq.: Decet innocentem servum atque innocuum confidentem esse. Virg. Aen. VII. 229. seq.: Littusque rogamus Innocuum. Quamquam *innocuus* interdum sumitur παθητικῶς pro eo, cui non nocetur. Id. Aen. X. 301 et 302: Sic consedere carinae Omnes *innocuae*, id est, illaesae, ut interpretantur Nonius et Servius, a quibus Valla frustra dissentit.

INNVERE (2) est facie significare; *Annuere* (3), concedere. Virg. XII. 41: *Annuit* his Iuno. Sed utrumque narium, vel labiorum: *Nutare* capitis, sic per metonymiam etiam dicimus nutare aedificia, cum male solidata ruinam minantur. *Nictare* oculorum, quando nempe eos contrahimus, atque pupillam, cilia et palpebras motitamus Plaut. Asin. IV. 1. 39: Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat. Enn. Annal.: Forte feram si ex nare sagaci Sensit, voce sua nictatque, ululatque ibi acute.

INOPIA est paucitatis, *Caritas* pretii: potest enim annona copiosa et tamen cara esse. R.

INQVILINVS est conductor aedium alienarum, seu qui in alieno privato domicilio habitat, proprie tamen in conducto, sive sit in urbe, sive ruri, ac idem est, atque cohabitator; *Colonus* praediorum rusticorum. L. ult. de Migr. XXXVII. D. de A. G.

INSCITIAM aliud, aliud *Inscientiam* fuisse aureo saeculo (nam argenteo idem erat inscitia, quod inscientia) merito observarunt nonnulli. *Inscientia* est defectus prudentiae; *inscitia* est adversum stimulum calces, inquit Ter. Phorm. I. 2. 27. Heumannus ad Cic. p. Mil. XXI.

(1) Quasi non nocens. Contra vero proprie nocens dicitur, qui iniuriam, aut maleficium commisit. Conf. Perotti Cornucop. epig. IV. col. 463. lin. 42. seq.

(2) Innuit vel capite vel supercilio: Annuit ad id, quod dictum vel factum est. Front.

(3) Seu nutu voluntatem suam indicare. *Nuimus* enim, seu *innuimus* cum, loquente Comenio, alicuius rei indicium facimus nutu aut renutu; *annuendo* scilicet vel abnuendo. Sed voluntas nostra in multis nutat, saepeque ipsi divino numini renutat.

Digitized by Google

INSCIVS aliquid nescit; *Nescius* nil novit. *Alter* in parte erat; *alter* in toto. Fronto.

INSIGNE singulari numero aliud est; aliud *Insignia* (1), in quibus vestis et sella regia accipi potest. Servius.

INSIMVLAT, qui arguit, vel fingit, vel criminatur per simulationem quamdam; *Simulat*, qui externo gestu aliquid probare vult, quod non est. Fronto.

INSITA arbor est, cui infissae alienum germen includitur; *Adsita*, cui incolumi aliquid, ut sustineat, adiungitur. Hor. Ep. II. 2. 170. seq.: Qua populus *adsita* certis Limitibus vicina refugit iurgia.

INSOMNIA significat vigiliam, seu tempus somno vacuum, cum dormiri non potest. *Insomnium* vero id, quod per somnum videmus, seu nobis in somnis obversatur; etsi Latini eo, nisi multitudinis numero, non utuntur. Alterum Graeci vocant ἀϋπνίαν; alterum ἐνύπνιον. Caecilius Plocio: Consequitur comes *insomnia;* ea porro insaniam adfert. Ter. Eun. II. 1. 13: Aut mox noctu te adigent horsum *insomnia*. Svet. Calig. L: Incitabatur *insomnia* maxime: neque enim plus, quam tribus nocturnis horis, quiescebat. Sallust. Catil. XXVII: Dies noctesque festinare, vigilare, neque *insomniis* neque labore fatigari. Id. Histor. IV: Quia pacto vitam dederant, *insomniis* occidere, id est, vigiliis. Virg. Aen. IV. 9: Quae me suspensam *insomnia* terrent! Id. Aen. VI. 897: Sed falsa ad coelum mittunt *insomnia* manes. *Insomnia* plurali numero significare volunt grammatici, *somnia*; singulari vero numero vigiliam, ut Pacuvius in Antiopa, p. 338. edit. Stephanianae et quidem ex Charisio dixit: Perditu illuvie atque *insomnia*, i. e. vigilia. Sos.

INSTITVTVM. V. MOS.

ISTITVTIONES sunt praecepta, quibus docentur homines atque instituuntur, ut institutiones oratoriae, iuris civilis et

(1) Alias *Insignia* dicuntur signa et ornamenta virtute parta. *Insignis* autem est Comenio nostro, qui certis signis est discretus. Deinde ponitur quoque pro claro, praestanti atque nobili viro. Sed *insigne* neutrius generis est signum gentilitium. Sic sceptrum et purpura sunt *i*[illegible]*gis*. Toga est *insigne* pacis et otii. Moeroris *insignia* [illegible] est ater vestitus.

Digitized by Google

aliarum artium; *Instituta* (1) sunt boni mores, consilio et ratione inducti, qui per quamdam consuetudinem observantur (2). Liv. XXXV: Suam disciplinam, suaque *instituta* sequi iubet. Cic. Agr. II. 1: Est hoc in more positum *institutoque* maiorum.

INSTITVTVS et IMBVTVS differunt. Cic. Mil. IV: Ad quam legem non *instituti* sed *imbuti* sumus. *Instituti* disciplinae est, *imbuti* educationis et consuetudinis, Parrhasius recte. Sic et pro. Arch. VIII: Nos *instituti* rebus optimis, i. e. doctrina eruditi. Heumannus ad Cic. pro Mil. IV. Cic. de orat. II. 39: Sin sit is, qui et doctrina mihi liberaliter *institutus*, et aliquo iam *imbutus* usu.

INSTRVCTVM est, quod paterfamilias ornatus, vel usus sui causa habet (3): *Instrumentum* vero, quod ad exercendam colendamve rem adhibetur. Itaque praediis instructis legatis supellex, bibliotheca, tabulae et mancipia, caeteraque, quae ibi fuerunt usus aut delectationis gratia, *instructo* continentur. At cum *instrumento* legatis ea insunt, quae fructus quaerendi, cogendi, conservandi causa parata sunt, ut auctor est Ulp. D. de Instr. XII.

INSVETVS adiectivum vim negandi habet. *Insuetus* laboris, contumeliae est, qui laborem vel contumeliam non sustinet.

(1) *Instituta* philosophiae sunt doctrina, qua philosophi suos discipulos voce et disputationibus quotidianis instituunt. *Institutum* est mos, ut Ciceroni *institutum* Platonis dicitur mos conveniendi et disputandi in academia. Sic dicitur pro instituto suae vitae, sectae etc. Gocl. R.

(2) Vid. Goclenii Observationes LL. p. 234. seq. Rhodiginus L. A. XVIII. cap. 19. col. 998. G. ea quoque voluit *instituta* dici, quae sunt principum institutiones, quae ad optimum illum legis scopum certa ratione nos non dirigant, quae quasi legis nomine indigna sint, et sacro illo legis nomine privata potius, quam decreta et edicta nuncupentur. Pro *instituto* Ciceronem quoque institutionem dicere, ex Gifanii phrasibus LL. eleg. p. 119 est discendum.

(3) *Instructum* ab *Instrumento* sic differre Schardius loc. cit. p. 458. col. b. opinatur, ut totum a parte. Nam *Instructi* nomine non modo quae fundo necessaria sunt, continentur; verum etiam quae praeterea testator habuit, quibus suum fundum instruxit. *Instrumenti* vero ea dumtaxat, sine quibus fundus dici instructus non potest.

Digitized by Google

Sic etiam dicuntur corpora insueta ad onera portanda, Cic. Si vero *insuetus* participium est a verbo insuesco, non habet eamdem vim. Liv. XXIV. 28: Ita se a pueris *insuetos*. Tibull. I. 4. 42: Operi insuetae manus. Lex. Fabr. p. m. 858.

INTELLIGERE et PERCIPERE hoc differunt, ut *illud* fere ad res et personas, *hoc* ad verba et sermonem referatur.

INTELLIGITVR aliquid argumentis, *Animadvertitur* sensibus, praesenti animo utentibus. Ascon. Paedian. Plerumque enim *animadvertimus* rem aliquam oculis, aut quovis sensu corporis, sine animi attentione; ergo plus est *animadversum* quam *intellectum*. An ab aliis *intellectum*, ab aliis *animadversum* intelligi posset? quod si est, rursus plus erit *intelligere* quam *animadvertere*. Paedian. R.

INTER COENAM est in coena, seu inter coenarum missus, aut fercula, quae antiqui terna, aut ad summum sex in coena praebebant (1); *Super coenam* est inter coenandum. Svet. Aug. LXXI: Si vellent *inter coenam* vel talis, vel par impar ludere. Id. Tib. LVI: Cum soleret ex lectione quotidiana quaestiones *super coenam* proponere.

INTERDICERE FORO plus est quam *Interdicere* (2) *advocationi*. Nam *advocatione interdicta*, reliqua fori negotia non sunt interdicta. *Foro interdicto*, advocationes quoque interdicuntur. Fori enim pars est advocatio, ut tradunt iurisconsulti D. de Poenis. Plin. Ep. v. 14: Is, interdicendum ei advocationibus in quinquennium, censuit.

INTEREA, i. e. inter hoc tempus, toto hoc temporis spatio, a principio usque ad finem; *interim*, i. e. intra hoc tempus, antequam finiatur.

INTERFICERE et PERIMERE prisca sunt, *occidere* ob caedem dictum est, *Iugulare* ob iugulum, *Necare* (3) a nece. *Interfi-*

(1) De ferculorum in coenis appositorum apud veteres Romanos imprimis numero leg. Stukii III. Antiquitat. Convival.

(2) *Interdicere* proprie idem est ac prohibere, et ne aliquid fiat, vetare. Deinde denotat ex interdicto petere, et ad ipsos litigatores pertinet. Sic ex Goclenii sententia interdicimus vetando; *Denunciamus* autem iubendo. Et differunt haec duo verba, ut nolo et volo.

(3) Antiqui dixere quoque *internecare*, pro interficere, quod verbum totam ferme multitudinem complectitur. Unde internecio, quod vitae privationem, seu potius interitum universum designat.

Digitized by Google

cere a facto, *perimere* ab emtione, quasi iure tollere. Corn. Fronto.

INTERIRE est ex quacumque causa occidere, et emori *Perire* casu vel infortunio, ut igni, fame, naufragio. Itaque *interire* generalius est, et maiorem vim habet, quam *perire;* quod aliquando significat evanescere et extenuari, spe decidere (1). Plaut Capt. III. 5. 35: Vel te interiisse, vel periisse praedicent. Ter. Hec. III. 1. 42: Interii! cur mihi non dixti? Sed non semper observatur haec differentia, ut Curt. VI: Callisthenes quoque ante tortus interiit. Petronius in Satyr.: Non enim tam magnum facinus admisimus, ut debeamus torti perire.

INTERPRETES sunt, per quos inducitur pactio; *Sequestres*, apud quos pecunia deponitur. Paedian. R.

INTERROGARE est noscendi causa quaerere, *Percontari* (2) vero arguendi, ut tradit Quintil. IX. 2: Quid enim tam commune, quam *interrogare* vel *percontari*? Nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noscendi, alterum arguendi gratia videatur adhiberi. Ego contra observavi, *percontari*, ut plurimum esse noscendi gratia quaerere; *Interrogari* autem refellendi, arguendive, sicut *interrogari* legibus dicebatur reus, cum primum ab accusatore actio intendebatur. Cic. de Republ. VI: Ego illum de suo regno, ille me de nostra republica percontatus est. Id. de Nat. Deorum III: Sin me *interrogare* non tam intelligendi causa, quam refellendi. Sallust. Catil. XVIII: Legibus ambitus interrogati poenas dederant.

INTERROGATIO est illa cui necessario respondetur, aut etiam, aut non. *Percontatio*, cui nihil horum. Donat. R.

(1) Hoc levius est quam *interire;* subinde recuperandi relinquit spem et neutiquam omnium rerum finem denotat. Plaut.: Capt. III. 5. 32: Qui per virtutem peritat, non *interit*. Non. Marc. Conf. Perotti Cornucop. Epigr. XLI. col. 862. lin. 42. ubi *perire* dictum est, quasi in totum ire, quod, qui *perit*, prorsus abit. Sed non semper haec observatur differentia.

(2) Rectissime h. l. scriptum est percontari a conto, qui est pertica nautica, quae altitudinem aquae pertentat, et non percunctari, quasi per cuncta quaerere.

Digitized by Google

INTERVLAM et TVNICAM, teste Salmasio ad Tertull. de Pallio p. 409, professor quidam sic distinxit, quasi tunica sub toga semper gestaretur, interula sub pallio, quo nihil, ait Salmasius, imperitius nec ineptius dici potest. Unde gentium expiscati sint bellam istam differentiam, id equidem nescire possum, sed nec ipsi me docere, si viverent, nam id nusquam est, et tunica sub pallio communiter gestata, haud secus quam sub toga. Unde illud vulgare proverbium: Tunica propior pallio; et apud Plautum in Poen. v. 2. 15: Sed quaenam illaec avis est, quae huc cum tunicis advenit? Numnam it a balneis circumductus pallio? Ex quibus versibus constat, palliatos etiam tunicas habuisse. Profecto tam palliati, quam togati, tam Graeci, quam Romani tunicas habebant, et sub tunicis interulas. Eadem quippe differentia Latinis tunicae et interulae, quae Graecis χιτών et χιτωνίσκον. Interula sub tunica habebatur, et ἀμέσως corpori insidebat, atque ἐπὶ γυμνοῦ, ut vocant Graeci. Lineae autem erant, et nostris respondebant camisiis.

INTRO significat ad locum, ut eo intro: *Intus* in loco, ideoque intus est. Notat situs in occluso, et denotat quoque motum ex occluso, ut, sum intus. Quam differentiam Lucilius quoque refert his verbis: Nam veluti *intro* aliud longe esse, atque *intus*, videmus; Sic et *apud te* longe aliud est, neque idem valet *ad te*. *Intro* nos vocat ad sese, tenet *intus* apud se. Plaut. Aulul. I. 2. 3: Redi nunc iam *intro*, atque *intus* serva. Id. Capt. I. 2. 89: Ibo *intro*, atque *intus* subducam ratiunculam.

INTVERI est oculorum; *Contemplari* et *Speculari* animi: *Aspicere* animi et oculorum simul. R.

INVALESCERE de rebus potius, *Corroborari* et *Confirmari* de personis dicitur.

INVENIRE proprie significat 1.° in rem amissam venire, 2.° in rem novam venire, et 3.° inventionibus officii praeire, et est consilii, inquit Valla; *Reperire* vero fortunae. Sed alii contra putant (vid. Goclenius l. c. p. 235. ubi inter alia est, nos invenire quaesita, reperire autem non quaesita). *Invenire* vel casus, vel *consilii* esse; *reperire* laboris et studii, quod verbi etymo nituntur probare. Deducitur enim ex *re* et

Digitized by Google

pario, id est laboriose adquiro. Sed haec differentia non observatur, et optimus quisque latinitatis auctor his verbis promiscue utitur. Varro de RR. III: Et hunc, dum serpit, non solum in area *reperit*, sed etiam si rivus non prohibet, in parietes stantes *invenit*. Cic. de Orat. II. 4: Nequaquam satis est reperire, quid dicas, nisi id inventum tractare possis. Id. Tusc. III. 10: Nam ut medici, causa morbi inventa, curationem esse *inventam* putant; sic nos, causa aegritudinis *reperta*, medendi facultatem reperiemus. Plaut. Aulul. IV. 2. 13: Ibo hinc intro; perscrutabor fanum, si *inveniam* uspiam aurum, dum hic est occupatus. Sed si *reperero*, o fides! Id. Capt. III. IV. 36. seq.: Tu enim *repertus*, Philocratem qui superes veriverbio! Pol, ego ut rem video, tu *inventus* etc. Ovid. Metam. I. 654: Tu non *inventa*, *reperta* es; hoc est, tu, quae inveniri non potuisti, quod in iuvencam mutata esses et formam puellae amisisses, reperta es in bucula (1). Reperimus nostra, invenimus aliena. Fronto. R.

INVENIRE sapientis est, *Incipere* audacis, *Perficere* constantis. Donat. R.

INVENVSTVS, cui displicens obiicitur; *Infelix*, cui placens negatur. Donat. R.

INVIDIA quae proprie dicitur, plus est, quam *odium* (2). Nam *invidia* est detestantis et abominantis alterius turpitu-

(1) Perperam nonnulli Ovidiano hoc exemplo conantur confirmare, aliquod discrimen intercedere inter *inventum* et *repertum*. Siquidem Ovidiana verba: *Tu non inventa reperta luctus eras levior*, nihil aliud significant nisi: Te levius lugebamus antequam esses inventa, quam postquam te invenimus. Deprehendimus enim te buculam factam, quae eras puella. Itaque ex hoc etiam loco satis patet, posse utrumque promiscue usurpari. Sic Cic. Rosc. Am. XV: Ille quomodo crimen commenticium confirmaret non *inveniebat*; ego res tam leves qua ratione infirmem, *reperire* non possum.

(2) *Invidia* autem atque *invidentia* inter se sic differunt, ut ebrietas atque ebriositas. Quippe *invidia* est, cum invidetur, hoc est, actus ipse invidendi. *Invidentia* vero est aegritudo animi, quae propter res secundas alterius suscipitur, quaeque nullam iacturam invidendi afferant. Nam si quis doleret eius rebus, a quo ipse laederetur, non recte diceretur *invidia*. Haec Perottus in Cornucopiae epigr. II. col. 99: *Invidia* activam et passivam significationem habet. *Invidentia* tantummodo activam.

Digitized by Google

dinem cum infamia coniunctam; *Odium* vero est adversantis malum, quod videtur, et alicuius vel facto vel dicto laesi, vel se laesum opinantis. *Illi* gratia; *huic* amor opponitur. Et in *invidia* homo aut res est apud multos, *odio* et multis et uni esse possumus. Sallust. Iug. xxv: Quod in *invidia* res erat. Id ib. xiii: Uti ex maxima *invidia* in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret.

Invidvs, qui actu alicui invidet; *Invidiosus*, qui morbo invidentiae laborat, et invidiam sustinet. Clarus.

Invitare et Vocare distant. Westerhovius ad Ter. And. ii. 6. 22: ad coenam *vocabo*. Loquitur ex more. Id. Phorm. in fin.: Me ad coenam *voca*. Unde servus vocator dicitur. Martial. Ep. vii. 85. 11; *Invitari* vero maxime dicuntur quibus iam in ipsa coena cibus potusque ponitur. Sed differentia non est perpetua.

Invivm est sine via: *Avium* extra viam; *Devium* est desertum. H.

Involat, qui in die venit; *Surripit*, clam, idest furtive. Serv. et Front.

Iocvs est in verbis; *Ludus*, sive *lusus* in rebus vel factis. *Hic* est exercitium delectabile, *ille* est verbum aut factum ludicrum, seu est condimentum sermonis tempestive adhibiti. Quae duo iuncta proverbialiter fere dicuntur de re levi et nullius pretii, quae ludibrio haberi possit. Lucil. Sat. iii: Susque et deque fuere, inquam, omnia, *ludus iocusque*. Ter. Eun. ii. 3. 8: *Ludum iocumque* dices fuisse illum alterum. Cic. Verr. iii. 60: Paucos homines, hoc adiutore, Q. Opimium, per *ludum* et *iocum* fortunis omnibus evertisse. Confunditur tamen aliquando haec differentia, et *ludus* in verbo, *iocus* in facto est, ut Valla pluribus exemplis ostendit.

Iracvndia ex iniuria, *Dolor* ex miseria. Donat. R.

Iracvndvs est, qui natura in iram pronus est; *Iratus* est, qui offensus excanduit; seu *iracundus* ex natura et ex parva nullave causa praecedente irascitur, *iratus* ex offensa seu ex aliqua causa irascitur; sicut *iracundia* naturae ad iram proclivitatem ostendit; *ira* est subita excandescentia; *illa* de moribus et vitio multum irascentis, *haec* de causa est; *haec* casu nascitur, *illa* est animi vi-

Digitized by Google

tium; odium vero inveterata *ira* est. Sic *ira* non est vitium, si quis malis rebus irascitur; sed cum *iracundus* nimis facile et furenter excandescit. Tu fac nihil iratus, sine *iracundiam* defervere. Comenius. Sen. de Ira, I. 4: *Ira* quo distet ab *iracundia*, apparet; quo ebrius ab ebrioso, et timens a timido. *Iratus* potest non esse *iracundus*, *iracundus* potest aliquando *iratus* non esse. Svet. in Claud. xxxviii: *Irae* atque *iracundiae* conscius sibi. Interdum tamen *iracundia* pro *ira* usurpatur. Ter. Adel. iii. 2. 12: Vix sum compos animi, ita ardeo *iracundia*. Cic. Orat. ii. 75: Si litem tuam facias, aut laesus efferare *iracundia*.

Irasci levius, et ob levia et inania; *succensere*, gravius h. e. in re gravi et iusta et iustis de causis irasci. Nec tamen hoc ita perpetuum, ut nihil prorsus in contrarium exstet. *Indignari* graviter ferre. H.

Irritvm testamentum est, cum sine vitio quidem est, sed destituitur vel ab haerede, vel ab testatore, quando capite minuitur. Leg. Schardii Lexicon Iuridicum p. 478. col. b. Alias *irritum* proprie dicitur, quod est improbatum, seu quod effectu firmum non est. Pro futili quoque et vano poni Gifanius loc. cit. p. 121. seqq. est auctor. *Ruptum* est, si vitium superveniens in ipsum testamentum incurrat; *Nullum* et *iniustum* est, quando vitium tempore testamenti factionis exstat. tt. I. et D. quib. med. test. infirm. et de rupt. et irr.

Irrogatio et Acqvisitio mulctae poenaeque non quidem multum, aliquid tamen differebant. Erat formula *irrogationis* eadem atque *acquisitionis*, nam utraque et crimen et poena comprehendebatur, sed in *acquisitione* res verbo peragebatur, in *irrogatione* scripto. Sigonius de antiq. iure P. R. p. 560. Cic. pro Rab. iii: Nam quid ego ad id longam orationem comparem, quod est in eadem mulctae *irrogatione* praescriptum? De *irrogatione* mulctae poenaeque plura Sigonius. Quamquam igitur fere synonyma sunt, nihilo tamen secius aliquid distant.

Iter (1) est via latior et publica, quae populo patet, sive

(1) *Iter* est ubi aliquis it, vel per pe
quo pecudes aguntur, *via*, in qu

Digitized by Google

illo in via, et ipsa via; *Semita*, quasi *semi iter*, seu *dimidia via*, loquente Comenio, est angustior et privatus trames; *Via* continet utrumque. Aelius Gallus de Verborum, quae ad ius pertinent, significatione: *via* est, sive *semita*, sive *iter* est. Plaut. Trin. II. IV. 80: Decedam ego illi de *via*, de *semita*. Liv. XLIV. 43: Simul in silvam ventum est, ubi plures diversae *semitae* erant, et nox appropinquabat, cum perpaucis maxime fidis *via* devertit. Phaedr. pr. III. 38: Ego porro illius *semita* feci *viam*. Hoc est, quum Aesopus paucas fabulas reliquerit, ego plures cogitavi. Plaut. Rud. I. 3. 29: Saltem aliquem velim, qui mihi ex his locis aut *viam*, aut *semitam* monstret. Ennius ap. Cic. Divin. I. 58: Qui sibei *semitam* non sapiunt, alteri monstrant *viam*. Cic. Verr. IV. 23: Iam intelligetis, hanc pecuniam, qua *via* modo visa est exire ab isto, eadem *semita* revertisse; hoc est quae palam erat ablata, occulte est reddita. Quo loco promiscue *via* et *semita* usurpantur. Mart. VII. 62: Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos, Et modo, quae fuerat *semita*, facta *via* est. Plaut. Cas. III. 5. 40: De *via* in *semitam* degredi. V. *Via*.

IVDEX ab ARBITRO et RECVPERATORE differt. *Arbitrum* praetor dabat, ut, auctore Festo, totius rei arbitrium haberet et potestatem, cum *iudex* cognosceret causas omnes, quae et iuris et facti, sed quae essent et leviores et ad diiudicandum faciliores. *Recuperatores* idem dabat praetor, qui de rebus privatis recipiendis reddendisque cognoscerent, quando videlicet de facto controversia erat, quod Car. Sigonius exemplis explicat atque confirmat de iudiciis I. 22. 1722. sc. conf. et Pitiscus T. I. sub arbiter p. 152. sc. et T. III. sub recuperatores p. 251. Ex quibus apparet, praetorem iudiciorum fuisse directorem, qui causas iudicibus, aut arbitris, aut recuperatoribus, quos quilibet litigantium a praetore postulabat, pro causae conditione dabat cognoscendas, sententiasque latas deinde exsequebatur, ita tamen, ut maior arbitrorum, quam iudicum esset potestas, siquidem illi arbitrium in rebus, quae stricti iuris non essent, nec legibus definitae, ex naturali aequitate libere pronunciabant, et ni reus paruisset, eumdem condemnabant; v. Pitiscus l. c.

Distinguunt inter duo haec verba *iudicare* et *ius dicere*.

Digitized by Google

Illud iudicum vel adsessorum in iudiciis fuisse, qui tantum ex legibus cognovissent, seu de causis iudicassent, credunt; hoc vero praetoris, qui suffragiis iudicum collectis tandem iuris sententiam inter litigantes tulisset, uni eorum parti ius addixisset, alterique abiudicasset, hocque modo sententias iudicum, ex legibus latas fuisset exsecutus; v. Acerra Philol. N. T. I. 783. n. 14. At vero hoc discrimen a scriptoribus antiquis non ubique observatur, qui *iudicare* ut verbum generale usurparunt et de eo, qui ius dicebat, et qui iudex tantum iudicio assederat. Loquendi formae Livio receptae sunt. Iudicare alicui capitis, pecuniae, perduellionis i. e. condemnare aliquem capitis, ad solvendam pecuniam, perduellionis, e. g. VI. 14: *Iudicatum* pecuniae duci vidit; XXVI. 3: Quod vel capitis vel pecuniae *iudicasset* privato; it. paullo post: Sempronius perduellionis se *iudicare* Cn. Fulvio dixit. At vero condemnare aliquem capitis, pecuniae, perduellionis, in primis ad eum, qui iudicio praesidebat, pertinuisse credo, qui sententiam ex iudicum suffragiis collectam fuit exsecutus. Si consules etiam ob privata haec iudicia iudices κατ' ἐξοχήν vocabantur, etiam iudicis nomen, quod vi originis a forma loquendi ius dicere derivant Varro de LL. IV. 7, et Isidorus X. 8, praetori congruum fuit, quamvis adsessores postea hoc iudicum nomen in primis gesserint.

IVDICARE praesentia, *prospicere* futura. Donat. R.

IVDICIVM significat iurisdictionem (1): *Ius* continet leges et decreta, quibus constituendo exercendoque iudicio utimur. Itaque hoc prius est. Unde autem *ius* derivetur, tradit Scipio Gentilis lib. singul. Originum p. 204 et 206. Ab Helfrico Ulrico Hunnio (Disp. I. Collegii Institut. § 1. p. 2. seq.) dicitur divinarum et humanarum rerum notitia, iustique et iniusti scientia. Eius nomen varie accipi, probat Arnoldus Corvinus a Belderen Part. I. lib. I. Digestor. per §§ strictim explicatorum tit. I. p. 4. Sallust. Hist. I: Utique *iura* et

(1) *Iudicium* dici putat M. Varro, quasi *ius* dicendi, hoc, est, potestatem audiendae causae et sententiam iustam proferendi, quam denique et exsequi potest, et quod suum est, cuique addicere.

Digitized by Google

iudicia sibimet extorquerent. Liv. XLIX: Totam Acarnaniam sub *ius iudiciumque* regis venisse. Id. LI: Sub *ius iudiciumque* suam totam coëgit gentem. Praeterea *iudicium* (1) ad privatarum litium iudices, ut recuperatores, aut arbitros, *ius* ad praetores pertinet. Unde dicimus in *iudicio*, cum de iudice loquimur; in *iure* vero, cum de praetore: sicut illud edictum. Ne quis eum, qui in *ius* vocabitur, vi eximat, pertinet ad magistratum populi romani; alterum de eo, per quem factum erit, quo minus quis in *iudicio* sistat, ad iudicem pedaneum, ut interpretatur Ulpian. D. de Interr. IV. Plaut. Menaech. IV. 2. 18: Aut ad populum, aut in *iure*, aut ad *iudicem* res est. Cic. Off. II. 24: *Iuris* et *iudiciorum* aequitate suum quisque teneat. Id. pro Quinctio: In provincia *ius* dicebatur; et Romae *iudicia* dabantur.

IVGES et IVNCTI differunt. Quocumque firmarentur iumenta ad vehicula modo, sive aequa fronte, sive alia post alia, iungi dicebantur. Sed equi *iuges* sunt, qui iungebantur inter se aequali fronte, ac velut sub eodem iugo. Festus: *Iuges*, eiusdem *iugis* pares. Unde et coniuges et seiuges. Non hoc vult, quasi *iuges*, qui sint sub eodem *iugo*, nam ex seiugibus duo tantum habuerunt iugum, sed, qui eiusdem iugi, hoc est, ordinis. Itaque adiunxit pares, id est, pari modo collocati. Eadem ratione differunt *iugare* et *iungere*. *Iugantur* animalia, quum vel sub unum mittuntur iugum, vel aequali fronte, velut sub uno iugo constituuntur. *Iunguntur* autem, quando quovis modo firmantur ad vehiculum. Schefferus de Re vehic. I. 13:

IVGVM est continuum montis cacumen, vertice inferius; italice: *una giogaia o continuazione di monti*. *Vertex* est summum montis cacumen; itali: *la vetta del monte*. Liv. XXXVI. 15: Id *iugum* sicut Apennini dorso Italia dividitur, ita mediam Graeciam dirimit. Id. ib.: Hoc *iugum* ab Leucate et mari ad occidentem verso per Aetoliam ad alterum mare

(1) *Iudicia publica* et *privata* differunt. *Privatis* enim *iudiciis* quisque, quod sua intererat, persequebatur, *publicis*, vel ipse populus ea, quae reipublicae detrimenti quidquam adferre potuissent, vel accusator, populi nomine, crimina publico dedecori futura vindicabat. Heinecc. R.

Digitized by Google

orienti obiectum tendens, ea aspreta rupesque interiectas habet, ut non modo exercitus, sed ne expediti quidem facile ullos ad transitum colles inveniant. Ovid. Metam. IV. 656:

Quantus erat mons factus Atlas, iam barba comaeque
In silvas abeunt; *iuga* sunt humerique manusque:
Quod caput ante fuit summo est in monte cacumen.

Cic. Verr. VI. 48: Ignes, qui ex Aetnae *vertice* erumpunt. TH. VALL.

IVRGIVM est inter benevolos aut propinquos levis verborum velitatio, dissensio vel contentio: *Lis* inimicorum concertatio vehementior. Ceterum *lis* plerumque res est, de qua est controversia, quae addicitur alteri; praesente tamen adversario. Nam, eo absente, non temere statim adhuc adiudicare praesenti rem solemus, sed comperendinamus. Conf. Turneb. Advers. XIII. 27. col. 451: Itaque *lis* nulla nobis esse potest cum eo, quem in potestate habemus, auctore Caio Iurisconsulto D. de Iudic. IV. Cic. de Repub. IV: *Si iurgant*, benevolorum concertatio, non *lis* inimicorum, *iurgium* dicitur. Id. de Legibus II: Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requiem habet *litium* et *iurgiorum*. Liv. V: *Iurgiis* ac *litibus* temperatum. Id. XLVIII: Itaque cum hodie *litibus* et *iurgiis* supersedere aequum sit. Ovid. Fast. I. 73. seq.: *Lite* vacent aures, insanaque protinus absint *Iurgia*, differ opus, livida lingua, tuum. Cic. Fragm. de republ. ap. Non. v. 34: *Iurgare* ergo lex putat inter se vicinos, non *litigare*. Sed discrimen non est perpetuum. Litem pro iurgio positam habemus ad Heren. IV. 40: Conturbatus est adolescens; nec mirum, cui etiam nunc paedagogi *lites* ad auriculas versarentur, imperito eiusmodi conviciorum. Capidur. ad h. l. ita nunc *lites* pro *iurgiis* ponit. Distat enim a *lite* *iurgium*, quod *iurgium* levior res est, siquidem inter benevolos, *lis* inter inimicos dissensio.

IVRGIA verbis, *rixae* manu peraguntur. Unde sanguineae *rixae*. Hor. Od. I. 27. 4. Vet. Glossa, rixa μάχη. Tac. Hist. I. 64: *iurgia* primum; mox rixa. Apparet tamen ex Cicerone, rixam verbis quoque fieri. Academiae nostrae magna cum Zenone *rixa* est, Fam. IX. 22. Conf. Fabr. thes. p. 438.

Digitized by Google

Ivrisdictio cuivis iure magistratus competebat; *Imperium* vero, proprie sic dictum, lege tantum curiata, adhibitis auspiciis dari poterat. Liv. v. 46: Magistratibus ergo, qui iudiciis praeerant, *iurisdictio* tribuebatur et *imperium*. R.

Ivs (1) generale est; *Lex* iuris species. *Ius* ad non scriptum etiam pertinet (2); *Leges* ad *ius* scriptum. Serv.

Ivsivrandvm. *V.* Sacrvm.

Ivstitia, virtus est, qua suum cuique tribuimus, eaque erga Deos *religio*, erga parentes *pietas*, vulgo autem *bonitas*, creditis in rebus *fides*, in moderatione animadvertendi *lenitas*, *amicitia* in benevolentia nominatur. R.

Ivssvm plus est quam *Mandatum* (3), ut *iubere* plus est quam *mandare*, de quibus supra diximus. Nam *iussum* necessitatem iniungit; *mandatum* autem licet repudiare, et non suscipere. Unde si filiusfamilias egit *mandato* patris, non restituitur in integrum, quoniam licuit illi non agere. Si vero *iussu* patris egit, datur restitutio, quia oportuit illum patre iubente agere, ut *iurisconsulti* scribunt.

Ivstvm est, quod ex lege descendit, *aequum* vero, quod ex natura. Agr. *Iustum*, in quo nihil iniquum est, *clemens*, in quo etiam multum de iusto remittitur. Donat. R.

Ivventa (4) significat lanuginem erumpentemque barbam, atque ipsum tempus primae adolescentiae; *Iuventus* Dea iuventutis est, quae graece dicitur *ἥβη*; *Iuventus* et iuvenilem aetatem, et iuvenum multitudinem denotat. Sallust. Catil. v: Ibique *iuventutem* suam exercuit. Id. ib. xiv: *Iuventutem*, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse. Licet aliquando et *iuventus* et *iuventa*

(1) *Ius* est, quod omnia recta et inflexibilia exigit: *aequitas* est quae de *iure* multum remittit. Donat. *Ius* ad doctrinam pertinet: *officium* ad virtutem, Paedian. *Ius* respicit humanas leges, *fas* divinas proprie. Sed et *ius* pro more et consuetudine accipitur. Goclen. R.

(2) De divisionibus atque distinctionibus *iuris* ab interpretibus confictis vid. Antonii Matthaei Disp. xiii. Iur. Civ. p. 102. seqq.

(3) *Mandatum* proprie est edictum: deinde denotat litteras fidei publicas.

(4) *Iuventa* aetas putatur, *iuventas* numen ipsum, *iuventus* adolescentia. Acron. R.

Digitized by Google

pro Dea usurpetur. Ovid. Ex Ponto I. 10. 11: Nectar et ambrosiam, latices, epulasque Deorum Det mihi formosa gnava *Iuventa* manu. Liv. XXXVI. 36: *Iuventutis* aedem in circo maximo.

IVVENTVS, IVVENES. *Iuventa* aetas ipsa. *Iuvenilitas*, quod ὁρμὴν vel πάθος vocant Graeci. *Iuventas* Dea ἥβη. Cic. in Bruto: Ludis *iuventutis*; et Livius V. 54: *Iuventas* Terminusque maximo gaudio patrum nostrorum moveri se non passi. *Iuventus* ipsa hominis aetas, *iuventas* dea, poëtice ἥβη ut graece dicitur. Agr. R.

IVXTA respicit situm loci et ordinem, *secundum* non tantum situm loci et ordinem, sed etiam normam, modum et rationem.

L.

LABO et LABOR hoc differunt, quod *labare* est ruere et repente cadere, ut apud Virg. Aen. II. 492. seqq.: Labat ariete crebro Ianua. *Labi* vero est leniter sensimque deorsum ire, ut *labuntur* flumina; *labitur* coelum. Dicimus etiam *labi* eos, qui in lubrico figentes vestigia, in terram ruunt. Immo et labasci pro *labi* legi, Laurembergius in Antiquario auctor est. Ennius: Labat, labuntur saxa.

LABORARE et ELABORARE promiscue non usurpantur ab elegantioribus. *Illud* enim est studium et laborem in re aliqua impendere cum molestia, et fallente saepe rerum eventu; *huic* vero adiuncta est significatio fructus aut finis, ad quem laborando potissimum spectes. Cic. Parad. II: Quid enim *laboravi* aut quid egi, aut in quo evigilaverunt curae et cogitationes meae? Id. Agrar. II. 25: Quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum cultus non *elaboret?* Italice: *Qual havvi mai luogo si aspro e sassoso, a cui i contadini non rivolgano utilmente la loro cultura?* TH. VALL.

LABRA et LABIA Verrius Flaccus eo separat, quod *labra* (1)

(1) *Labrum* proprie est margo et extrema ora fluminis, lacus, fontis et aliorum huiusmodi, quae levi aquae motu perluuntur. Hinc *labra* et oris et aliarum rerum extremitates vocamus, quae in homine etiam *labia* dicuntur, et foeminino genere labiae. Haec Perottus l. cit. Epigr. XVIII. 729. 25. seqq.

Digitized by Google

sunt modica, *labia* immodica, et praeter iustum crassa, a quibus Labeonum cognomen inditum Antistiae genti. *Labra* esse virorum, *labia* mulierum vult Servius. Donatus vero ad illud Ter. Eun. II. 3. 44: labiis demissis, *labra* sunt superiora, inquit, *labia* inferiora, *labium* superius dicitur, *labrum* inferius. Agr. R. Quae differentia non observatur.

LACRIMARI est flere lacrimis; *Gemere* fit pectore; *Plorare* voce flebili; *Plangere* membrorum percussu; *Vociferari* immani voce; *Lamentari* dolorem testari. H.

LACTEVS, qui lacte alitur; *Lactans*, qui decipit, item qui lacte abundat, ut lactantes ficus; item, qui lac praebet. *Lacteo* lac sugo, sed lac dum praebeo (nato), lacto.

LACVS (1) est, qui perpetuam habet aquam, licet interdum crescat aut decrescat; *Palus* est lacus maior; *Stagnum* est, quod continet aquam temporalem, ibidem stagnantem, quae quidem aqua plerumque hieme colligitur ex imbribus, aestate exarescit (2), auctore Ulp. D. I. Ut in flumine publ. navigare liceat. Liv. LIV: Cinguntur *paludes* inexsuperabilis altitudinis, aestate et hyeme quas restagnantes faciunt *lacus*. Quamquam aliquando *lacus* dicitur, qui habet aquam ex flumine, aut compluvio, ad aquandum, vel lavandum, exceptam. Ter. Adelph. IV. 2. 44: Apud ipsum *lacum* est pistrilla. Varro de R. R. I: Cisternae faciendae sub tectis, et *lacus* sub dio. Hor. Sat. I. IV. 37: Gestiet a furno redeuntes scire, *lacuque*. [Apud christianos scriptores interdum *lacus* significat locum munitum et clausum, in quo leones continentur, pro eo quod esset *septum* aut *vivarium*. Sulpic. Sever. Hist. Sacr. II. 7: Principes pervicere, ut (Daniel) in *lacum* demitteretur: sed obiecto bestiis nullum periculum fuit. TH. VALL.]

LAEDITVR corpus, *Offenditur* animus. R.

LAETAMVR de nostris, *gratulamur* de alienis. Hoc gratificans Cic. dixit: Neque istius hominis perditi subita *laetitia*,

(1) *Lacus* lacuna magna est, ubi aqua contineri potest, *palus* paululum aquae in altitudinem et palam diffusae. Varro. R.

(2) Alii dicunt, *lacum* stagnum maius esse, aquas habens defluas; *Paludem* autem terra uliginosa scatentem atque ita stantem. Sed *stagnum* aquam stagnantem sive a propria scaturigine, sive a stagnante, quod restagnationem vocamus.

Digitized by Google

quam huius hominis amplissimi nova *gratulatio*, divitiis eum commovebat. Agr.

Laetvs adspectu, *hilaris* vultu, *gaudens* animo. R.

Lamina est lata portio ferri, aeris, plumbi, stamni, auri, argenti, *bractea* vero potius auri argentive ac orichalci; est enim tenuis et plicabilis; *lamina* autem crassior. Valla IV. 84.

Laniena est taberna, in qua laniantur et venduntur carnes, vulgo: *beccheria*. *Macellum* est forum in quo omnis generis obsonia prostant venalia. Plaut. Epid. II. 2. 15: Per myropolia, et *lanienas*, circumque argentarias rogitando sum raucus factus. Plaut. Aulul. II. 8. 3: Venio ad *macellum*, rogito pisces, indicant caros, agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia. Th. Vall.

Lanii, qui laniant pecora; *Lanistae*, qui laniandis praesunt gladiatoribus, seu sunt gladiatorum doctores, qui usum armorum docent auctoratos. Vid. Reinesii Var. Lect. III. 46. 612. Sed avium *lanistae* Columellae dicuntur, qui, testante Laurembergio in Antiquario p. 248, aves ad pugnam condocefaciunt. *Lanistarum* quoque memor est Martialis Epigr. VI. 82. 2. ad Rufum, et XI. 57. 3. in Vacerram.

Lapillos, Gemmas et Margaritas (1) distinguit Ulp. ad Sabin. XX. 19. § 17. seq. D. de Aur. arg. leg. quod, *gemmae* sint pellucidae materiae, velut smaragdi, chrysoliti; *lapilli* non item; *margaritae* sint partus concharum apud rubrum mare crescentium et coalescentium.

Lapis e saxo, *Saxum* magnum et naturale. R.

Lares et Penates hoc differunt, quod *lares* erant communes omnium aedium (2); *penates* autem singularium ae-

(1) Dicitur et *margaritum* in neutro, sicuti testatur Varro in Hecatombe apud Nonium his verbis: Ubi illa phalera gemmeaque ephippia et arma *margarito* candentia.

(2) *Hos* vicorum atque itinerum quoque Deos esse, Arnobius Afer indicat, quando advers. Gent. III. 124 hunc in modum scribit: Possumus, si videtur, summatim aliquid et de laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo, quod Graeci vicos cognominant lauras. Quaenam autem differentia sit inter *lares*, *lemures*, seu *larvas* atque *manes*, tradit Augustinus de Civit. Dei IX. 11. et ex eo Blondus Flavius de Roma triumph. I. Litt. a. III. fac. a. uterque haec verba proferens: Plato-

Digitized by Google

dium proprii, et *illis* res divina fiebat ad focum, *his* in atrio, aut interiore parte aedium. Plaut. Mercat. v. 1. 7: Ego mihi alios *penates* deos persequar, alium *larem*. Graevius ad Cic.

nicos affirmare, animas hominum daemones esse, et ex hominibus fieri putare *lares*, si meriti boni sunt; *lemures* seu *lares*, si mali: *manes* autem incertum, utrum boni vel mali. Plura lege apud Claudium Salmasium, stupendae eruditionis virum, in Not. et Animadvers. ad Epictet. et Simplic. p. 323 et 328 ut et Christoph. Ad. Rupertum in Dissert. II. ad Val. Maxim. II. 4. § 3. p. 143. Ex lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus pacato et quieto nomine possidet, *lar* dicitur. Qui vero propter adversa vitae merita nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exsilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, caeterum noxium malis, id genus plerique *larvas* perhibent. Cum vero incertum est, quae cuique eorum sortitio evenerit, utrum lar sit an *larva*, nomine manem deum nuncupant et honoris gratia dei vocabulum additum est. Apul. de Deo Socrat. p. 50. Consule Salmasium ad cap. 74. Tib. et Schild. ad Svet. Calig. c. 5. Originem *laris familiaris* docet Serv. ad Aen. VI. 152. Apud maiores omnes in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut *lares* colerentur in domibus, unde etiam umbras *larvas* vocamus. Martian. cap. 2. p. 40. *A medietate aeris usque in montium terraeque confinia Hemithei Heroesque versantur. — Ibique manes, i. e. corporis humani praesules adtributi qui parentum seminibus manaverunt! — Verum illi manes, quoniam corporibus illo tempore tribuuntur, quo prima fit conceptio, etiam post vitam iisdem corporibus delectantur, atque cum his manentes adpellantur* lemures. *Qui si vitae prioris adiuti fuerint honestate in* lares *domorum urbiumque vertuntur: si autem depravantur ex corpore*, larvae *perhibentur ac maniae.* Rem paucis expediamus. *Penates* et *lares* interdum distinguuntur, interdum permutantur. Cicero, qui in orat. pro Quintio 83. paullo ante deos penates adpellaverat, eosdem paullo post lares familiares his dicit verbis: At hic quidem iam de fundo expulsus, iam a suis diis penatibus eiectus esset. Idem infra: Illud dico, dominum expulsum esse de praedio, domino a familia sua manus adlatas esse ante suos lares familiares. Distinguuntur tamen l. XII. C. Theodos. larem igne, mero genium, penates nidore veneratos, conf. Gesneri thes. Montefalconius antiq. II. 5. ita: Genii, lares, ac penates, alii pro aliis saepe sumuntur. Genii nomen his omnibus commune est. Larum nonnumquam in inscriptionibus genii loci vocantur. Lares etiam pro penatibus accipiuntur a multis scriptoribus, et admodum difficile est, eorum officia distinguere. Vulgo creduntur, lares illi esse, qui privatas domos custodiant; penates vero, custodes domorum generatim sumtarum. Verum haec distinctio non ubique valet; quoniam inscriptiones nonnullae his omnibus promiscue utuntur. Genii etiam pro defunctorum manibus nonnumquam accipi solent, etc.

Digitized by Google

pro domo sua XLI: Ista tua pulcra libertas deos *penates* et familiares meos *lares* expulit. Cornelia Gracchorum mater in epistola ad filium, quam princeps publicavit And. Schottus inter fragmenta Corn. Nep.: *Ubi mortua ero, parentabis mihi, et invocabis deos manes parentis. In eo tempore non pudebit te eorum Deum preces expetere, quos vivos atque praesentes, relictos atque desertos habueris. Lares* familiares erant manes parentum. Hinc duo erant *lares*. Ovid. fast: v. 143: Bina gemellorum quaerebam signa deorum, Viribus annosae facta caduca morae: Mille *lares*, geniumque ducis, qui tradidit illos, Urbs habet; et vici numina trina colunt. Loquitur quidem de laribus publicis seu compitalitiis, quos duo tantum fuisse constat, quibusque accessit genius postea Augusti: sed tamen et privati lares erant quoque tantum duo, et quum genius Augusti inter *lares* quoque coleretur, tria erant numina, quae et publice in compitis et domi colebantur in larario. Et Vitellius Narcisi et Pallantis imagines aureas inter *lares* coluit, teste Svetonio. Sed *penates* aut erant manes maiorum cuiuslibet familiae, aut quos etiam ex maioribus diis praecipue colebant, singuli tamquam custodes salutis domesticae. Patet hoc ex Cic. in Verr. IV: *Quaerendum est, credo, Heius iste, num aes alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei numariae tenuerit, tanta egestas, ut deos patrios venderet.* Dicebantur enim penates aliis quoque scriptoribus dii patrii. Quinam fuerint illi penates, in eadem oratione docet Tullius: *Erat apud Heium sacrarium magna cum dignitate in aedibus a maioribus suis traditum perantiquum, in qua signa pulcherrima quatuor, Cupido Praxitelis, Hercules Myronis, duae canephorae Polycleti.* Talis fuit fortuna cubitalis Galbae, de qua Svetonius Galb. IV: Colebantur *lares* in larario, quod vocat Svetonius partem aedium consecratarum. Erat id lararium saepe in cubiculo. Svet. Domit. XVII. *Penatium* vero sedes erat plerumque focus. Hinc Graecis dicebatur ἑφέστιον.

LARGE significat profuse et liberaliter; *Largiter* multum; vel ut Iulius Modestus ait, *large* est qualitatis, *largiter* quantitatis. Quae differentia meo iudicio nimis ieiuna atque coacta est, et non magis haec adverbia differunt, quam dure

Digitized by Google

duriter, humane humaniter, longe longiter. Sed vetustiores promiscue dixerunt *large* et *largiter*, ut Catullus LXIV. 305: *Large* multiplici constructae sunt dape mensae. Apul. de aureo Asino IV: Mensas dapibus *largiter* instructas accumbunt. Diomedes I. Quaedam sunt nomina in *us* syllabam terminata, quae ex se bina adverbia faciunt, ut est veterum auctoritas. Transit enim in quibusdam rationem, et aliter ipsa enunciat, aliter consuetudo usurpat. Nam navus naviter dicunt, quod nos nave; largus largiter, quod nos large.

LARGITIO est liberalitas, vel expensa, quae fit ad aucupandum favorem in petitione magistratuum, quemadmodum Doletus scribit loc. cit. fol. 85. fac. b. col. a. *Largitas* autem est dandi promptitudo. *Haec* ex mente Agraetii dicitur esse humanitatis; *illa* vero ambitionis. Largitudo vero nusquam invenitur, nisi apud Nepotem. Sosip. R.

LASANVM et SCAPHIVM non sunt eadem. *Scaphium* Douza in explanat. Plauti p. 200. interpretatur vas illud, cui solent immeiere mulieres. Hoc significatu etiam a Iuvenale VI. 253. acceptum: Et ride, scaphium positis quum sumitur armis; sed et Martialis Ep. XI. 11: Te potare decet gemma, qui Mentora frangis in *scaphium* moechae, Sardanapale, tuae. Gifanius quoque per *scaphium* intelligit vas ex aere, ad retrimenta alvi, muliebre fere, ut *lasanum* virile. Qui pro matula accipiunt, verbo abutuntur. Sellam vocat Varro, et patrio sermone nos hodie. Vid. Taubmannum ad Plaut. p. 544. Vas urinae excipiendae muliebre cur scaphae formam habuerit, non opus est divinatione subtili. V. Gesn. thes. voce *Scaphium*.

LASERPITIVM (1) florem, at caulem *laser* aiunt. Clarus.

LASSVS cura ex praeterita spe, *lassus* ademta attentione; *Confectus* cura, confirmato timore. *Lassum* quoque a labore dictum plerique existimant. Significat enim *lassus* non solum

(1) De *laserpitio*, quod Graeci dicunt σίλφιον, conf. Perotti Cornucopiae Epigr. XXVII. 797. 18. seqq.. et in specie Leonardi Fuchsii c. 291. de Stirpium atque Plantar. Histor p. 271., ubi auctor et pp. seqq. huius herbae nomen, formam, locum et tempus, ubi et quando nascitur, immo et temperamentum, eiusque vires ex Dioscoride, Galeno et Plinio describit, additque loco appendicis, *laserpitium* in horto S. Germani Pratensis Parisiensis multum esse.

Digitized by Google

corpore, sed animo quoque fatigatum, hoc est, labore affectum. Unde lassitudo pro defatigatione accipitur, eaque molestia, quam, loquente Perotto, loc. cit. Epigr. I. 7. 55, ex labore suscipimus. *Confectus* sic vulneratus aut percussus, ut sanari non possit, quod convenit gladiatoribus. Cic. Catil. II. 11: Gladiatori illi *confecto* et saucio. *Lassum* ad corpus, *fessum* ad animum refert Landin. ad Hor. Carm. II. 6; sed denotat *lassus* etiam animo fatigatum. Ter. Andr. II. 1. 4: Animus *lassus*, et cura *confectus*. Pariter *fessus* non solum animo, sed etiam corpore fatigatum notat. Sall. Iug. LIII: Itinere atque opere castrorum et proelio *fessi*. Conf. cel. Gesneri thes. voce *lassus* et *fessus*.

LATEBRA est locus, ubi homines se occultant (1); *Latibulum* ubi ferae. Cic. Off. I. 4: Quaeque ad vivendum sunt necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut *latibula*, ut alia generis eiusdem. Liv. XLVIII: Necubi notis sibi *latebris* delitescerent latrones. Interdum tamen *latebra* est ferarum. Id. ib.: Inter vepres in *latebris* ferarum noctem unam delituit. Varro de R. R.: Ibique esse *latebras*, ubi lepores interdiu delitescant in virgultis atque herbis.

LAVDARE (2) plus est, quam *probare* et *praedicare* (3). Nam *laudamus* id, quod excellit, *probamus* bonum factum, *praedicamus* id, quod profitemur et testatum facimus. *Primum* semper est cum laude; *alia duo* etiam sine laude esse possunt. Cic. Ruf.: Non solum *probant*, sed etiam *laudant*. Id. Mario: Istam rationem olii tui et *laudo* vehementer et *probo*. Ter. Eun. II. 5. 17: Quid ego eius tibi nunc faciem *prae-*

(1) Scrutari *latebras* inquit P. Papinius Statius Thebaid. I. 615. Sic qui *latere* cupit, quaerit *latibulum* in aliquo *latebroso* loco, ubi *latenter* degat. Peccator autem, ubi quaerat *latebram*, in qua oblitescat ac deliteat? Comenius.

(2) *Laudat* etiam alienus, *gaudet* qui pater est. Don. R.

Laudare non semper originis suae significationem retinet, sed etiam ἁπλῶς usurpatur pro nominare aut citare, ut monet Gellius N. A. II. 6.

(3) *Praedicare* est solemniter aliquid narrare et laudare. Sic praedicator indicat pretium rei, quam impense praedicat. Sed praedicator Evangelii frequenti praedicatione praedicabilem dei gratiam praedicat.

Digitized by Google

dicem aut *laudem?* Ubi Donatus: *Praedicamus* argumentis. *Laudat coram*, qui non tacet apud alios, et hoc agit praesens ipse; non per epistolam. *Laudat in os*, qui apud ipsum loquitur, quem collaudat. Donatus.

Lavs facti instrumentum est, seu rei bene aestimatae praedicatio. *Laus* autem tunc est stabilis et firma, quando meritum *laudati* non poterit iam perire, scribente Salviano Massil. contra Avaritiam IV. 146. Unde autem *laus* derivetur, vid. Vossii Etymolog. LL. p. 282. col. b. Ἔπαινος et ἐγκώμιον quomodo inter se differant, leg. apud Scal. Poët. c. 109. p. 370. *Laudatio* vero est rerum gestarum relatio. Fronto.

Lectica et Feretrvm opulentioribus, *sandapila* et *capulus* egenis efferendis inserviebat.

Legatvm per testamentum constituitur, *legativum*, quod legato proficiscenti solvitur. *Fideicommissum* codicillis solis etiam relinqui poterat. *Legatum* vero solum testamento confirmatur R.

Legere et Eligere non sub eadem significatione intelligi vult Varro de RR. I: Una non solum *legitur* ad bibendum; sed etiam *eligitur* ad edendum; conf. Gifanii Observationes LL. p. 343. Ut *legitur* si colligitur; *eligitur* vero melior quaeque de plurimis. Nonius.

Legiones peditum sunt, *turmae* equitum. Serv. R.

Legvmen dicitur, quod manu legatur, nec sectionem requirat; vid. Varro de RR. I. 23. Alii legumina *legaria* etiam appellare, idem Varro loc. cit. c. 23. nequaquam vanus auctor est. *Frumenta* sunt omnia, quae ex se aristas mittunt. Serv.

Lenitas ad permittendum. Est enim *lenitas* quasi quaedam mollities, sive lenitudo, aut quaedam animi moderatio, conveniens personis non solum, sed et rebus aliis. Leg. Doletus loc. cit. fol. 87. *Facilitas* extra personam omnino quoque esse potest, quando nempe dico, orationis atque stili *facilitas*; et ad ignoscendum adhibetur. Donatus.

Lenones sunt scortorum *perductores*, etiam invitarum personarum, et in quibus stupra exercita legibus vindicantur. Paedian. E.

Digitized by Google

LEPIDVS in moribus, *facetus* in verbis, *iucundus*, qui utrisque alios recreat.

LEPVS animal est, *lepor* iucunditas voluptatis; unde gratum aliquid *lepidum* dicimus; *Lepos* eloquii, unde et suaviloquentia dicitur, seu suave dictum. Ut autem sermo *leporem* habens est *lepidus:* sic mores barbarorum prorsus sunt *illepidi*. Agr.

LEX scribitur, *ius* etiam non scriptum est, sed rigide exigit, *aequitas* de iure remittit, *fas* ad religionem pertinet, *ius* tantum ad hominem. Atque inde conficitur, *fas* plus esse, quam *ius*, et proinde in coniunctione *fas* ponendum esse loco posteriori, tamquam aliquod gravius. *Lex* (1) est *generale* iussum, quod in omnes homines resve populus scivit, rogante magistratu; *Privilegium* est, quod de singulis hominibus, aut rebus, populus plebsve iussit. Pertinet igitur ad unum. Veteres enim singula priva dixerunt, ut de Cn. Pompeio contra Mithridatem mittendo, item Ciceronis exilio et reditu; *Rogatio* (2) est cum populus, aut plebs rogatur, velint iubeantne illud fieri, sive id ad universos cives, sive ad singulos pertineat. Itaque *rogatio*, velut genus, alia duo continet, ut Gellius prolixe ostendit N. A. x. 20. In sanctione *legis* regiae de Imperio Vespasiani: Si quis huiusce *legis* ergo adversus *leges*, *rogationes*, plebisve scita, senatusque consulta fecit.

LIBER et VOLVMEN hoc differunt, quod *liber* significat quemcumque codicem, magnum aut parvum; *Volumen* proprie est plurium paginarum chartarumve involutio. Quod indicat etymon. Est enim ab involvendo, eo quod veteres *libros* in cylindri modum circa umbilicum involvere solebant. Unde hodieque dicitur evolvere *libros*, quasi involutos explicare,

(1) *Lex* est generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu. Plebiscitum est *lex*, quam plebs, non totus populus sancit et recipit. A. Gell. *Lex* ad homines. Omen ad rem divinam refertur. Donat. Sic Terentius bene: *Lege* atque omine; quia leges auspiciis servatis ferebantur. Omen autem est, quidquid ore dicitur. Donat. R.

(2) Haec vox vulgari usu ponitur pro *rogato* vel *rogatu*; eleganter vero *rogationis* nomine continetur *lex*, plebiscitum atque *privilegium*, uti h. l. Conf. Doletus loc. cit. Schardii Lexic. Iurid. p. 821, col. 2. et p. seq. col. 1.

Digitized by Google

cum lectitandi gratia aperiuntur. Gell. IV: Dat mihi *librum* grandi *volumine*. Cic. ad Appium de una epistola longissima: Mihi *volumen* a te plenum querelae iniquissimae reddiderunt. Id. ad Att. x. 10: Evolvi *volumen* epistolarum tuarum. Sed interdum haec vocabula nulla re differunt omnino, et duplicem significationem habent. Nam *liber* et certam *operis* partem denotat, ut *liber* primus, *liber* secundus: et tum *opus*, ut Cicero ad Atticum XIII: Dicaearchi *librum* accepi. Et lib. XV: *Librum* tibi celeriter mittam de gloria; cum Dicaearchi libros tres de anima et duos de gloria significaret. Ulp. ad Sabinum XXIV. 52. D. de Legat. CXI: Si cui centum *libri* sint legati, centum *volumina* ei dabimus; non centum, quae quis ingenio suo metitus est, cui ad *libri* scripturam sufficerent; ut puta cum haberet Homerum totum in uno *volumine*, non quadraginta octo *libros* computamus; sed unum Homeri *volumen* pro *libro* accipiendum est. Similiter *volumen* et pro integro *opere* accipitur, ut in proximo Ulpiani loco: et pro parte *operis*, ut Plinius singulos naturalis historiae *libros volumina* appellat. Et Plinius iunior: *Libri* tres in sex *volumina* propter amplitudinem divisi. Vid. Oliverii Arzignanensis Comment. Hist. et litteratus ad Val. Maxim. Proleg. I. fol. 1. fac. a. Liv. V.: Supersunt etiam nunc Samnitium bella, quae continua per quartum iam *volumen*. Ovidius de XV libris Metamorphoseon sic ait in Trist. I. 1. 117: Sunt mihi mutatae ter quinque *volumina* formae. Varro de LL. VI: In illis, qui ante sunt, in primo *volumine* est. Differunt a *codicibus*, qui appellabantur *libri* quadrata vel quadrangula forma, nam et triangularis formae mentio fit apud Dionys. Perieg. p. 36. quamvis alias vulgari usu omnes *libri* vocentur *codices*. Heineccius in synt. A. R. p. 18. prooem.

Liber in arboribus est pars interior corticis, quae ligno adhaeret; *Cortex* est operimentum exterius, *liber* molle et laeve; *cortex* durum, tuberibusque informe respicit latus.

Liber a Solvto ita distingui videtur a Cic. VI. 7: Ut plus sit *liber* quam *solutus*. *Liberum*, quod perspicue et aperte, *solutum*, quod omnes eximit. R.

Libertvs et Libertinvs Inst. de Libert. pr. eo differebant antiquitus, quod *libertus* dicebatur, qui manumissus erat

Digitized by Google

ex iusta servitute (1); *Libertinus* vero erat *liberti* filius (2). Svet. Claud. XXIV: Latum clavum *libertini* filio tribuit, cuius rei reprehensionem verens, etiam Appium Caecum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit; ignarus temporibus Appii, et deinceps aliquamdiu libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Quae postrema verba parum animadversa doctissimis viris occasionem dederunt immerito reprehendendi Svetonium. Deinde non ita diu post Appii Claudii aetatem alia coepit horum verborum significatio et differentia. Nam *libertus* et *libertinus* pariter dictus, qui ex servitute manumissus esset; sed *libertus* habet respectum patroni, a quo est liberatus, ut *libertus* Caesaris, *libertus* Ciceronis. *Libertinus* significat conditionem generis, ut *libertinus* homo, *libertina* mulier. Cic. in Verr.: P. Trebonius facit haeredem *libertum* suum. Et mox de eodem: Equiti romano *libertinus* homo fit haeres. Quum ergo Livius scripsit in extremo libro nono: Appii Claudii censura vires nacta, qui senatum primus, libertinorum filiis lectis, inquinaverat: et auctor *libelli* de Viris illustribus: Appius Claudius Caecus in censura *libertinos* quoque in senatum legit; In *ille* sui et posterioris temporis rationem habuit; *hic* ad priorem aetatem respexit, nisi forte *libertinos* vocavit eos, qui libertini generis fuerunt.

LIBERTAS est naturalis et licita potestas agendi ut velis (3). *Licentia* vero est morum vitaeque dissolutio, vel procacitas linguae (4). *Illa* in bonam partem fere su-

(1) Ideoque huic neque nocere, neque etiam prodesse potest id, quod fecit, dum servus fuit, quemadmodum tradit Philippus Decius in Enarr. in Tit. ff. de Reg. Iur. Ulpianus eum esse libertum definit, quem quis e servitute ad civitatem romanam perduxit.

(2) *Libertinorum* statum olim tripartitum fuisse Schardius in Lex. Iuridico p. 534. col. b. ostendit, dicendo, eos vel cives romanos, vel latinos, vel dedititios fuisse.

(3) Ideoque publica et non privata res est et opponitur servituti. *Libertas* etiam Dea est *libertatis*, cuius templum in Aventino constitutum fuisse historiae tradunt.

(4) Proprie autem *licentia* non solum est data aliquid faciendi facultas, sed et usurpata facultas. De nimia autem *licentia* scribit

Digitized by Google

mitur; *haec* in malam. *Illa* servituti opponitur, et laudem habet; *haec* disciplinae et legibus fere obstat, atque omnino in vitio habetur, raro in bonum accipitur. Liv. XXXVII: *Libertatem* cum aliis vanam ostendisset, totam in suam *licentiam* verterat. Id. XXXIV. 2: Omnium rerum *libertatem*, immo *licentiam*, si vera dicere volumus, desiderant. Auct. de caus. corr. eloq.: Est magna ista et notabilis eloquentia, alumna licentiae, quam stulti *libertatem* vocant. Confunduntur tamen quandoque haec duo, et *licentia* accipitur in bonam partem, *libertas* in malam. Sallust. Iug. CII: Belli componendi *licentiam* ipsi permittit. Cic. Off. I: Magnis enim illi et divinis bonis hanc *licentiam* adsequebantur. Aliquando utrumque in malam partem. Id. pro Flacco: Graecia hoc uno modo concidit, *libertate* immoderata et *licentia* concionum; et in Verr. v. 1: Numquam ipsimet nobis praecideremus istam *licentiam libertatemque* vivendi.

LIBERVM *esse* (1) et *in libertate esse* multum differre volunt iurisconsulti. Nam *liber est*, qui nullius potestati subiectus est, ut qui iusta *libertate* manumissus. *In libertate* vero *est*, qui se *liberum* putat, et se pro libero gerit, quamvis servus sit; itemque qui domini voluntate in *libertate* est. Ulp. D. de Liber. caus. x. 53: Quod autem diximus in *libertate* fuisse, sic est accipiendum, non ut se *liberum* doceat is qui liberale iudicium patitur, sed in possessione libertatis, sine dolo malo fuisse.

LIBIDO insanus mulierum amor est; *impudicitia*, cum vir muliebria patitur, aut cum masculis rem habet. Svet. Aug. LXXI: Ex quibus sive criminibus sive maledictis infamiam pudicitiae facillime refutavit, et praesentis et posterae vitae castitate; i. e. vanos illos rumores facile vanos reddidit vita pudica, sed infamiam libidinum numquam potuit imminuere.

Des. Erasmus Roterod. Cent. II. Epist. 47. hoc modo: Ita fit, quoties semel effractis repagulis, sese in licentiae campum effudit hominum temeritas, nullum facit insaniendi finem, donec omnia secum involvat exitio. Leg. Goclenii Observ. LL. p. 236.

(1) Huic est affine *liberum* agere, quod, testante Zasio, nihil aliud est, quam nullum habere dominum, cui subiectum esse oporteat.

Digitized by Google

Addit deinde: Circa libidines haesit; postea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines promtior, quae sibi undique, etiam ab uxore, conquirerentur.

Librarivs est, qui libros instrumentaque conscribit, et tam privatus est quam publicus. Etiam non tam scriptor dicitur, quam librorum compositor. Unde Martialis de libris suis, Epigramm. II. 8. 3.: Non meus est error: nocuit librarius illis, Dum properat versus adnumerare tibi. Apud Romanos *librarii* non solum *libros* transcribebant, sed eos quoque vendebant, eorumque tabernas in Argileto fuisse constat. *Scriba*, qui rationes publicas refert in tabulas, et tantum publicus est; *Scriptor*, qui libros componit. Cic. Orat. in Rullum II: Ornat eos apparitoribus, scribis, *librariis*, praeconibus, architectis. Id. pro Domo XXVIII: *Scribae*, qui nobiscum in rationibus, monumentisque publicis versantur. Hor. Ep. ad Pis. 354: Ut *scriptor* si peccat, idem *librarius* usque, Quamvis est monitus, venia caret. Quamquam interdum priora duo iunguntur, et *scriba* librarius dicitur, qui magistratui apparet, idem publicus, idem privatus a manu. Varro de R. R. III: Ex quibus rebus *scriba librarius* libertus eius. Senatusconsultum de Aquaeductibus: Servos publicos ternos architectos singulos, et *scribas librarios*, accensos, praeconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebi datur. Vetus Inscriptio: T. Cecienus. Felix. Augustalis. *Scriba. Librarius.* Aedilis. Curulis. Viator. Aedilis. Plebis. Accensus. Consulis. Alia: Herculi. et. Silvano. Sancto. Sacrum. L. Iun. Lyco. *Scriba. Librarius.* Aedilium. Curulium. D. D.

Librarios a *Notariis* quidam putant hoc differre, quod *librarii* scribebant litteris, *Notarii* verba dictantis per notas (1), et compendia excipiebant. *Hi* ταχυγράφοι et ὀξυγράφοι; *illi* καλλιγράφοι Graecis dicuntur. Ulp. de omnibus tribunalibus D. de var. et extraord. cogn. VIII. 1. 7: Iam et *librariis*, *notariis* et calculatoribus sive tabulariis. Paul. D. de Test. milit. Respons. XI. L. XL: Lucius Titius miles notario suo

(1) Ipsum Ciceronem de notis librum conscripsisse, ex eius fragmentis passim licet videre.

Digitized by Google

testamentum scribendum notis dictavit, et antequam litteris perscriberetur, vita defunctus est. Et constat, librarios etiam notis usos in perscribendis libris. Cic. de Orat. III: Neque *librariorum notis*, sed verborum et sententiarum modo. Quam scribendi rationem, ut incertam et obscuram, Iustinianus imperator sustulit, cum de veteri iure enucleando ita edixit: Ipse autem *librarius*, qui ea inscribere ausus fuerit, non solum criminali poena, secundum quod dictum est, plectetur, sed etiam libri aestimationem in duplum domino reddet, si ipse dominus ignarus talem librum vel comparaverit, vel confici curaverit.

Libripens et Antestatvs diversi sunt. Quoties fiebat emancipatio, adhibendi erant non minus, quam quinque testes romani cives et puberes, et praeterea alius eiusdem conditionis, qui libram teneret aeneam, unde et *libripens* adpellabatur, nec non alius, qui *antestatus* audiebat. Fit eius mentio etiam in marmore apud Gruterum, ubi narratur donatio et mancipatio facta libripende Claudio Dativo, antestato Cornelio Victore, ex quo lapide apparet, diversum a *libripende* fuisse *antestatum*; Quum vero antestari fuerit, tactis auriculis alterum testem advocare (Hor. Serm. I. 9. 76. et ibi Acro et Porphyr. in scholiis); isque ritus non solum in ius vocationi, sed etiam omnibus mancipationibus adhiberetur, non praeter rem suspicantur viri docti, *antestatum* dictum, qui testes convocaverat eorumque fidem tacta auricula obtestabatur. Heinecc. A. R. I. 12. 7.

Ligare (1) est iniicere alicui vincula, seu aliquem vinculis constringere. Comenius noster doctissimus dicit, hoc verbum habere usus varios; neque ligamina esse unius modi. Caligas enim colligamus ligulis; femori subligamus subligaria; fronti proligamus frontalia. Lictor circumligat ac perligat maleficos lictoriis loris, religatisque post tergum manibus alligat palo. Chirurgus ad obligandos vulneratos ligamentis ad deligandum idoneis est obligatus. *Alligari* quis dicitur ad aliquid, sine quo esse non possit. Donatus.

Lignvm et Materiam Ulpianus subtiliter distinxit ad Sa-

(1) Ligat quis vinculo, legat testamento. Agr. R.

Digitized by Google

binum XXV. 15. D. de Legat. III. *Ligni* appellatio, inquit, nomen generale est, sed sic separantur, ne sit aliquid *materia*, aliquid *lignum*. *Materia* est, quae ad aedificandum fulciendumve necessaria est, proprie autem est materia, seu materies, (quasi mater rei dicta) omne id, ex quo aliquid fit. Praesertim vero denotat *lignum*, seu lutum, sive lapides, queis aedes solemus extruere. *Lignum* quicquid comburendi causa paratum est. Id. D. de Usuf. XVII. 12: Nec *materia* eum pro *ligno* usurum, si habeat, unde utatur *ligno*. Paul. ad Sabinum IV. 56. D. de Leg. III: Pali et perticae in numero *materiae* redigendi sunt, et ideo *lignorum* appellatione non continentur. Quibus et Varro consentit de LL. v. 7: A legendo *ligna* quoque, quod ea caduca legebantur in agro, quibus in focum uterentur.

LIGVRITOR vel LIGVRIO, quod depravatum est ex voce liguritor, qui cupediis ita deditus est, ut lingat digitos vel catinos. *Cupes* est, cui delicatum est palatum, qui cupediis est deditus. *Lurco*, qui ventri, et iis, quae sub ventre sunt, deditus est. *Gulo* est, cui inexplebilis venter est. *Popino*, qui popinas celebrat, id est, frequentat. *Ganeo* est, qui non tantum ventri, sed libidini etiam servit. Goclen. R.

LIMATVM plus est, quam *politum*. *Illud* prius, *hoc* posterius. H.

LIMEN aedium est. *Limes* regionum. Agr. R.

LIMITES et TERMINI in agris differunt. Nimirum *limites* terminis seu lapidibus distinguebantur. Hodie nullus ager limitatur, sed omnes terminantur. Sic omnis ager hodie ea conditione est, qua veterum acrifinius fuit. Agrum vocabant acrifinium, qui nulla mensura, nec ullis *limitibus* claudebatur, sed montibus, aut fluviis, aut viis, aut rivis, aut fossis, aut aquarum divergiis aut arboribus antemissis, quas relinquebant agricolae, aut quodam culturae discrimine terminabatur. Hodie territoria a territoriis sic ferme disterminantur. Agri privatorum invicem separantur lapidibus, qui in recta linea constituti sunt, quos terminis servant. Ad eas lineas dirigendas groma opus est. Ager limitatus idem est, qui et colonicus vel adsignatus, qualis hodie nullus est. Ideo et *limites* agrorum nulli. Limitem definiunt recturae longitudinem ra-

Digitized by Google

tionabilem cum aliqua latitudine. Hinc limitem pro linea, vel rigore passim usurpant scriptores. Dividebantur agri coloniarum limitibus institutis per centurias; adsignabantur viritim hominibus. V. Salmasius Exerc. Plin. p. 479. Distinguit haec vocabula Festus: *limites* in agris nunc termini, nunc viae transversae sunt. Verba Siculi Flacci prolixiora de *limitibus* et *terminis* v. in Gesn. thes. v. *limes* et *terminus*.

Lintearii sunt, qui lintearium negotiationem exercent, h. e. lintea, seu pannum lineum vendunt: *Linteones* qui lintea conficiunt atque texunt. Ulp. D. de Inst. Act. ad Edictum xxviii. L. 5: Sed etiam eos institores dicendos placuit, quibus vestiarii, vel *lintearii* dant vestem circumferendam et distrahendam, quos vulgo circitores appellamus. Id. D. de Trib. Act. xxxix. 5: Duas negotiationes exercebat, puta sagariam et *lintearium*. Vetus Inscriptio: Negotiatores. *lintearii*. et. Castrasiarii. Plaut. Aul. iii. 5. 38: Propolae, *linteones*, calceolarii. Vegetius de Re milit. I: Piscatores, aucupes, dulciarios, *linteones*.

Lintevm. *V.* Tabvla.

Lippvs minus habet vitii quam *luscus*. *Lippus* est, cuius oculi sunt valetudinarii et lacrimantes; *luscus*, qui altero caret oculo. Mart. viii. 9: Solvere dodrantem nuper tibi, Quinte, volebat *Lippus* Hylas: *luscus* vult dare dimidium. Accipe quam primum: brevis est occasio lucri, Si fuerit caecus, nil tibi solvet Hylas. *Lippus*, *luscus* gradatione heic ponuntur. Alanus parab. class. 3. 12. *Lippo* non *lusco* collyria nigra medentur, Qui semel est *luscus* non nisi *luscus* erit.

Liqvor cum nomen est et humorem fluidum denotat, *li*, brevis est; cum autem verbum, producitur, ut Virg. Georg. I. 43: Vere novo gelidus canis cum montibus humor *Liquitur*.

Lira et Porca, res cognatae differunt. *Porca* ex Varronis sententia de R. R. I. 29. dicitur, quod est inter duos sulcos, elata terra, quod ea seges frumentum porricit. De *lira* Colum. xi. 3: Est autem lira similis ei porcae, quam in sationibus campestribus rustici faciunt, ut uliginem vitent. Id. ii. 4: *Liras* autem rustici vocant easdem porcas, quum sic aratum est, ut inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis praebeat. *Porca*, quod

Digitized by Google

arando exstat; *Lira* quod defossum est. Vetus auctor de limit. apud Goesium p. 292.

Lis est *controversia* inter partes iudicio contendentes. Interdum tamen etiam est extra forum, et pro rixa vel qualibet concertatione ponitur. *Lis* autem aestimata vocabatur pecunia mulctatitia et nummaria sententia: ut hodie cum iudices certa summa actorum dispendia et incommoda aestimantes, certae pecuniae reos damnant. Vid. Doleti Phrases, seu Form. LL. eleg. fol. 89. fac. b. col. 2. Nicolai Erythraei Index in Virgilium p. 151. col. a. edit. venetae. Pertinacia efficit *controversiam*. *Controversiae* sunt in facto; *iudicia* in iure. *Controversiae* ad litigatores et testes, *iudicia* ad iudices referuntur. Sed *lis* et *controversia* saepissime pro eadem accipiuntur. Corn. Fronto.

Litare specialius, *immolare* generalius. *Litare* est propitiare, et votum impetrare. Virg. Aen. IV. 50: Tu modo posce Deos veniam, sacrisque *litatis* Indulge hospitio. *Sacrificare* (1) vero est offerre sacrum et veniam poscere. Cic. Somn. Scip. VIII. Plaut. Poen. II. 1. 41: Si hercle istuc unquam factum est, tum me Iupiter faciat, ut semper *sacrificem*, nec unquam *litem*. Svet. Caes. LXXXI: Dein pluribus hostiis caesis cum *litare* non posset, introiit curiam, spreta religione. Dicitur autem *litare*, non, ut grammatici volunt, *ἀπὸ τῶν λιτῶν*, id est, a precibus, sed a verbo *luere*, id est, solvere. Varro in Hecatombe: In quo ego, ut puto, quoniam *luere* est solvere, litavi.

Litterae *V.* Epistola.

Litteratvm (2) a *litteratore* quidam distinguunt, inquit

(1) *Sacrificari* quoque pro *sacrificare* dici, ex Varrone de R. R. II. 8. 119. Edit. Commelin. est discendum, ubi leguntur verba sequentia: Cum hanc loqueremur, venit a Menate Libertus, qui dicat liba absoluta esse, et ad rem divinam parata; si vellent, venirent illuc et ipsi pro se *sacrificarentur*. Quae verba retinuit quoque Scaligeriano-Stephaniana editio, ubi sunt p. 98. Conf. cap. 11. eiusd. libri p. 107. iuxta Commelin. vero p. 125. ubi habentur haec verba: Non negarim, ideo apud Divae Rumiae sacellum a pastoribus satam ficum. Ibi enim solent *sacrificari* lacte pro vino et pro lactentibus.

(2) *Litteratus* est, qui a Cicerone politus, qui aliquid eleganter

Digitized by Google

Svetonius, ut Graeci grammaticum a grammatista, et *illum* quidem absolute, *hunc* mediocriter doctum existimant. Quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. Nam apud maiores, ait, quum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem *litteratum* (1) in titulo, sed *litteratorem* inscribi solitum esse, quasi non perfectum litteris, sed imbutum.

Littvs, quasi lutus, a luendo, seu lavando, est ora. Instit. de Rer. divis. § 1. et seqq. et proprie maris; *Ripa*, quae a ῥιπὴ derivatur, est labrum fluminis. *Illud* commune est, nec in ullius dominio censetur; *hoc* pertinet ad eos, qui habent proxima praedia. Ovid. Metam. I. 41: Campoque recepta Liberioris aquae, pro *ripis littora* pulsant. Id. Metam. xI. 53: Respondent flebile *ripae*. Iamque mare invectae flumen popolare relinquunt, Et Methymnaeae potiuntur littore Lesbi. Svet. Ner. xxvII: Dispositae per *littora* et *ripas* deversoriae tabernae parabantur. Sed interdum *littus* generaliter appellatur quicquid iuxta aquam est, auctore Servio. Unde et *littus* fluminum dicunt poëtae, quibus haec licentia tribuitur. Virg. Aen. III. 389: Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam, Littoreis ingens inventa sub illicibus sus. Et lacuum: Catullus xxxv. 4: Comi moenia Lariumque *littus*. Ovid. Fastor. vI. 765: Sunt tibi Flaminius, Trasimenaque *littora* testes. *Ripam* vero etiam maris. Hor. Od. III. 27. 21: Hostium uxores, puerique caecos Sentiant motus orientis austri, et Aequoris nigri fremitum, et trementes Verbere ripas.

Lituvs equitum est, et incurvus; definitur autem a Perotto in Cornucop. Epigr. v. col. 512. buccina minor incurva, sono acuto. Lituo qui canit, *liticen* appellatur. Tuba vero peditum, et directa, et fit vel ex lignis vel ex cornibus vel ex aere. *Hae* dicuntur ductiles; *illae* corneae; istae autem

et acute possit dicere aut scribere: *Eruditus*, qui ipsam sententiam vel artem novit, sed polite et eleganter explicare non sciat. Corn. Nep. vid. Far. R.

(1) *Litteratum* etiam in malam partem pro litteris, h. e. notis contumeliae ac malae famae compuncto sumi, Chalinus Servus apud Plautum in Casina docet II. 6. 49. his verbis: Si hic *litteratus* me sinat. In quem locum videndus Taubmanni Commentar. p. 390. col. 1. B.

Digitized by Google

ligneae. Qui tuba canit, dicitur *tubicen*. *Illius* sonus est acutus; *huius* gravis. Horatius Od. I. 1. 23: Multos castra iuvant, et *lituo tubae* Permixtus sonitus.

Locvples a copia locorum; (1) *Dives*, quia dividendi facultatem habet; *Opulentus* ab opibus; *Potens*, qui, quod vult, potest; *Fortunatus*, cui forte aliquid contingit; *Beatus*, qui apud Graecos μακάριος est; *Pecuniosus*, qui habet pecuniam, vel pecora. Fronto.

Loci librorum, *loca* terrarum sunt.

Locvs natalium est, *ordo* fortunae. Donat. R. Non constare sibi Donatum tuetur Westerhovius. Mox enim idem ad Ter. Eun. II. 2. 10: Ex eodem ortum *loco*, ex eadem fortuna. Quid ergo? promiscuus est *loci* usus seu de natalibus seu de dignitate sermo sit. Cic. Fam. XIV. 18: Vos videte, quid aliae faciant isto *loco* feminae. Iustin. XV. 3: Erat hic Lysimachus, illustri quidem Macedoniae *loco* natus. Nisi placeat cum Eugraphio ap. Ter. mei *loci* pauperem interpretari: mei ordinis parasitum. Sic Plaut. Cist. I. 1. 24: *Ordinem* tribuit meretricibus, vel ἐκ παραλλήλου meae sortis et conditionis interpretari.

Longitvdo mensura est et nonnumquam idem est, ac prolixitas; *Longinquitas* regionis aut temporis. Sosip.

Longvm praeverbium est, itaque verbum illi opponitur; *longinquum* itineris est. Front. R.

Longvs *V.* Divtinvs.

Loqvax, qui nimium loquitur, *eloquens*, qui copiose loquitur. Varro. R.

Loqvi est hominis, *obloqui* obtrectatoris, *alloqui* suadentis vel adhortantis vel blandientis, *eloqui* oratoris. Leg. Barthii Advers. XXXII. cap. 1. col. 1466. Agr.

Loqvimvr naturaliter, *famur* facunde, *sermocinamur* cum aliis. H.

Loqvitvr is, qui suo loco quodque verbum sciens ponit, *proloquitur* iste, cum animo quid habuit, idque extulit loquendo. Varro. R.

(1) Erant enim omnes veterum divitiae in agris atque pecoribus, et quum, Catone referente, virum bonum colonum dixissent, amplissime laudasse existimabantur.

Digitized by Google

LVBENS et LIBENS, ad voluntatem et voluntarias actiones spectant; *carus*, *iucundus*, *amans* animi benevolentiam indicant. R.

LVCENS est, quod aliunde illuminatur seu lucem aliunde habet; *Lucibile*, quod lucet per se. Serv.

LVCIDVM est, quod aperto coelo lumen accipit; *Luminosum* quod multis foraminibus illuminatur, Front. R.

LVCTVS plus est, quam *Moeror*. (1) Sallust. Catil. LXI: Varie per omnem exercitum laetitia, *moeror*, *luctus* atque gaudia agitabantur. Cic. Flacc. XLII: Orat, ne suum *luctum* patris lacrymis, patris *moerorem* suo fletu augeatis.

LVCVS (2) est ut plurimum incaeduus, religiosus, consecratus alicui Deo, aut funeri; *Nemus* voluptatis causa comparatum est, et plerumque diis sacrum; *Sylva* nomen generale est, et habet arbores incaeduas pariter et caeduas; *Saltus* vero dicitur locus seclusus, nec viatori pervius, ubi pascuntur armenta, feraeque versantur. Valla IV. 56. Catullus Carm. XXXIV. 10: *Sylvarumque* virentium, *saltuumque* reconditorum. Lucr. v. 1385: Avia per *nemora*, ac *sylvas*, *saltusque* reperta. Liv. XXIV. 3: *Lucus* ibi frequenti *sylva*, et proceris abietis arboribus septus.

(1) Valla Elegantiar. IV. 60. 194. *Luctum* definit, dolorem qui exterius proditur vultu ipso atque aspectu. Audiamus et Ciceronem IV. Tuscul. Disp. fol. 213. fac. a. Editionis Sturmiano-Argentor. hunc in modum loquentem: Angor est aegritudo premens. Luctus aegritudo ex eius, qui carus fuerit, interitu acerbo. Moeror aegritudo flebilis. Aerumna aegritudo laboriosa. Dolor aegritudo crucians. Lamentatio aegritudo cum eiulatu. Sollicitudo aegritudo cum cogitatione. Molestia aegritudo permanens. Afflictatio aegritudo cum vexatione corporis. Desperatio aegritudo sine ulla rerum expectatione meliorum. Unde lugere est ob rem caram amissam vehementius tristari; sic fida uxor luget luctuosum mariti obitum lugubri voce, gravique animi luctu, nec, loquente Comenio, facile elugere potest.

(2) *Lucum* Pindarus Od. III. Olympicor. Stroph. II. 3. seq. tum propter amplitudinem, tum propter maximam hominum in ludis Olympicis frequentiam πάνδοκον ἄλσος, hoc est, omnes, seu omnia recipiens, haud inepte nuncupat. Vid. Erasmi Schmidii doctissimus Commentarius in hunc Pindari loc. p. 127. col. a. Sic Luci Petelini meminit Plutarchus in Camillo p. 148. C. Tom. I. Oper.

Digitized by Google

Lvdere piscem, est non laesum vivere, *natare*, quod etiam languidi possunt. Donat. R.

Lvdos inter et Fabvlas differentiam docet Scaliger Poët. I. 22. 91. Ludi, tametsi videntur a fabulis separati, tamen ad adparatum ipsum maxime pertinent. Sane *ludi* sunt tacitae fabulae, *fabulae* vero ludi loquentes.

Lvdvm (1) et Lvsvm putat Valla IV. 16. hoc differre, quod *ludus* cum periculum, tum spem lucri sibi propositam habet. Sic in *ludo gladiatorio* si *lusio* seria est, periculosa est; sed saepius est *collusio* et spectatorum *ludificatio*. Comenius. *Lusus* nihil, praeter meram voluptatem. Qua ratione *lusus* pilae, trochi et ocellatorum. Aleae *ludus* dicitur; cum tamen veteres scriptores saepius usurpent *lusum* aleae. Ut Cic. Philipp. II. et Svet. Aug. LXXI: Cum effuse in *lusu* liberalis fuissem. Id. Calig. XLI: Ac ne ex *lusu* quidem aleae compendium spernens. Paul. ad edictum X. D. de Aleat. II. Solent enim quidam et cogere ad *lusum*, vel ab initio, vel victi dum retinent. Ego potius crediderim, *ludum* de honestis et gravioribus oblectationibus dici; *lusum* de puerilibus, vel quaestuosis. Liv. XXXVII: Pars in iuveniles *lusus*, lasciviamque versi. Et XXXIX: Alius concessum *ludum*, et lasciviam esse credere. Colum. VII: *Lusus* ac lasciviae causa.

Lvdvm Gladiatorivm inter et Lvdos Gladiatorios aliquid est discriminis. Recte dicitur *ludus gladiatorius*, ubi exercebantur gladiatores. Svet. Caes. XXXI. *Ludos* tamen *gladiatorios*, inquit Valla, frequentius, quam *ludum* dicimus, quando unum plurave paria gladiatorum, ad spectaculum pugnatura producuntur. V. *Ludus*.

Lves est qualiscunque contagio, quae homines, arbores et fruges inficit, seu est morbus contagiosus, animalia et homines depascens; *Pestis* significat omne malum, quod tam inanimis, quam animatis mortem et exitium repentino adfert. Ita *haec* semper capitalis, quoniam pestifera contagio semper inficit aerem, excitatque *pestilentiam* in locis pestilentiosis. Huic (nempe *pestilentiae*) opponitur proprie conservatio et

(1) *Ludus* lucri, *lusus* voluptatis. R.

Digitized by Google

salus; *Pesti* autem salubritas. Leg. Gambarellae liber oppositor. p. 585. *Illa* quandoque levior. Liv. LII. 10: Locustarum tantae nubes a mari vento repente in Apuliam illatae sunt, ut examinibus suis agros late operirent. Ad quam *pestem* frugum tollendam. Lucan. VI. 100: Sed languor cum morte venit, turbaque cadentum Aucta *lues*, dum mixta iacent incondita vivis Corpora.

LVGERE est, lugubri habitu incedere: *Elugere*, legitimum tempus a nuptiis et aliis, quae prohibita lugentibus sunt, abstinere. Iac. Raevard. Variorum I. 20. R.

LVMEN (D. de Ser. Urb. Praed. XV. 10.) aliud est omnino, aliud *Prospectus*. *Lumen* enim de coelo capitur et est lucis per vicina corpora repercussio, dictum quasi lucimen. Quomodo autem usurpetur metaphorice, vid. apud Doletum loc. persaepe alleg. fol. 93. fac. a. col. 1. seq. atque Gifanium in Observ. LL. p. 130. et 346. *Prospectus* etiam ex locis inferioribus, et est libera et non impedita prospectio, quemadmodum testatur Perottus in Cornucop. Epigr. II col. 189. lin. 30. seq. *Hic* plerumque voluptatis est; *illud* necessitatis. Et *prospectus* servitus est, ne quid officiatur ad gratiorem prospectum et liberum; *Luminis* autem servitus est, ne lumina cuiusquam obscuriora fiant: de quibus cavent iurisconsulti.

LVSCVS dicitur, qui altero oculo caret, et graece μονόφθαλμος appellatur (1). Martial. Epigr. III. 8: Thaida *luscam*. Unum oculum Thais non habet. *Luscitiosus* est, qui μύωψ aut νυκτάλωψ vocatur a Graecis, et propter vitium oculorum parum videt tempore vespertino, ut putant Varro et Opilius, aut meridie, vel lumine adhibito, ut voluit Ulpianus, cui Seneca et grammatici consentiunt. Plaut. Mil. II. 3. 51: Aedepol tu quidem *coecus*, non *luscitiosus*. Varro VIII. Disciplinarum: Vesperi non videre, quos appellant *luscitiosos*. Sen. de Benef. III. 1: *Luscitiosi* oculi sunt, qui lucem reformidant; *coeci*, qui non vident.

(1) *Luscum* altero oculo captum, vel orbum, veteres dixerunt Cocliten. Unde et Cyclopes, qui Siciliam inhabitasse dicuntur, unum tantum oculum in fronte habentes, Coclites dicti. Et Horatius, patricius romanus, quod oculum unum in proelio amiserat, Coclitis cognomen est adeptus.

Digitized by Google

LVXVRIA datur in sumtu, *licentia* in actione. Gocl. l. c. p. 236. H.

LVXVRIO et LVXVRIOR. ita separat Diomedes, ut *alterum* sit in laude, *alterum* in vituperatione; cum tamen scriptores his promiscue utantur, et utrumque referant ad foecunditatem vel *luxuriam*. Alii dicunt *luxuriare* animo; *luxuriari* corpore.

LYRAM a CITHARA differre alii adfirmant, negant alii. Contendit M. A. Maioragius praef. in Pind., apud antiquos eamdem omnino fuisse lyram et citharam. Sed tamen diversa fuisse instrumenta, licet valde cognata, accuratissime, iudice quidem Taubmanno ad Virg. Aen. I. 416, docuit Ios. Scaliger in Manilium, item Yvo Viltiomarus in locos controv. Roberti Titii I. 3; quibuscum conf. Bulenger. de theatris nl. 36. seqq. Sed res nondum explorata est. Differentia enim *citharae* a chelyde seu testudine non est facilis dictu. Agit de ea (verba sunt cel. Gesneri v. *cithara*) Scaliger ad Manil. v. 318, et ex eo Vossius in etymologico. Sed vereor, ne ingenio magis viri summi, quam testimoniis idoneis nitantur. Diversa tamen facit instrumenta Sidonius in praef. Anthemii cons.: Arcas et Arcitenens fidibus strepuere sonoris. Doctior hic citharae pulsibus, ille *lyrae*. Nempe Apollinis *cithara* est, Mercurii inventum *lyra*. De discrimine *lyrae* et *testudinis* Gesn. voce *lyra* ita sentit: *Testudo* seu chelys et *lyra* aut non differunt, aut saepe miscentur.

M.

MADIDVS extrinsecus; *Uvidus* est intrinsecus. Acron. R.

MACHINAS inter et ORGANA id videtur esse discrimen, quod *machinae* pluribus operibus, aut vi maiore coguntur effectus habere, uti ballistae torcularium que prela: *organa* autem unius operae prudenti tactu perficiunt, quod propositum est, uti scorpionis, seu anisocyclorum versationes. Vitruv. x. 1. Ballista igitur Vitruvio inter machinas censetur. At Lipsius in poliorcetico sic distinguit, ut vineas, pluteos, testudines, musculos et similia pro machinis habeat, ballistas inter tormenta referat. Svetonius quoque non obscure machinas

Digitized by Google

a ballistis separat Calig. XLVI: Postremo, quasi perpetraturus bellum, directa acie in littore oceani, ac ballistis machinisque dispositis etc. v. Schild. ad h. l.

MACELLVM *V.* LANIENA.

MAGIS pro *plus* non temere usurpandum est. *Magis* enim plerumque ad comparationem pertinet et *potius* significat, *plus* autem saepe refertur ad magnitudinem et contrarium habet *minus*.

MAGISTRATVS pars senatus nobilior et imperans; *senatus* et imperantes, et consilio consensuque suo edicta confirmantes continere videtur. *Senatus* totum, *magistratus* pars; *Senatus* latius patet quam *magistratus*. Sallust. Catil. XXIX: Ea potestas per *senatum* more romano maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque cives, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere. Si coniungantur (uti apud Nep. in Themist. VIII: *Ad magistratum senatumque* Lacedaemoniorum adiit) cuncta curiae membra designantur. Gruterus sibi aliisque persuasit, optimos scriptores promiscue *magisterium* et *magistratum* usurpasse. *Magistri* sunt, ut ait Festus, pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum, ludorum, praeterea et conviviorum, denique doctores artium; eorumdem ergo dignitas *magisterium* non *magistratus*. Frustra ostentat ex Svet. Caligula, magisteria sacerdotii; etenim sacerdotum collegia sunt, non magistratus. Frustra ex eiusdem Domit. IV: Minervae cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti *magisterio* fungerentur. Diserte enim id collegium vocat, cuius sodales nemo vocaret magistratus. Nec iuvat ex Symmacho Ep. III. 45. de censura: Nolo mireris, gravissimum ordinem *magistratum* respuisse. Etenim censor dicebatur, et magister morum, eoque respectu censura *magisterium* morum: etsi in hoc magistratus et magisterium concurrant, quemadmodum et in magistro equitum. Illius magisterium morum, et huius magisterium equitum gessisse dices. Apuleius sane aedilis magisterium dixit Met. I; sed nempe Apuleius, qui plurimis delectatur, neque Plauto, neque Livio probatis. Gronovius ad Liv. XXIV. 241. seq.

Digitized by Google

Magistratvs (1) appellantur, qui tribunali ac iurisdictioni praesunt, seu qui in *potestate* aliqua sunt constituti, quemadmodum est consul, proconsul, praetor, propraetor et alii, qui civitatibus et provinciis praesunt. *Potestates* sunt hi, qui imperium aliquod potestatemve obtinent. Cic. Tusc. I. 30: A *magistratu* aut ab aliqua *potestate* legitima evocatus. Svet. Claud. xxiiI: Iurisdictionem de fideicommissis, quotannis et tantum in urbe delegari *magistratibus* solitam, in perpetuum atque etiam per provincias *potestatibus* demandavit. Arnob. vI. Secundas poscitis valetudines, *magistratus*, imperia, *potestates*, victorias. Ulp. ad Edict. I. D. quod quisque iur. Qui *magistratum potestatemve* habebit. Id. D. de Reb. eor. xxxv. 3: Iussu *magistratus*, vel praesidis, vel alterius *potestatis*. Martianus Institut. D. ad l. Iul. maiest. xiv. 3: Quive privatus pro *potestate magistratuve* quid sciens dolo malo gesserit. Sed interdum *magistratus* potestate praeditus *potestas* appellatur. Valer. Max. v. 8, de Cassio, tribuno plebis: Postquam illam *potestatem* deposuit. Iuven. Sat. x. 100: An Fidenarum Gabiorumque esse *potestas*? Ulp. ad Edict. Aedil. Curul. II. 17: D. de Aedil. Aed. Ab aliqua *potestate* damnatus. Modestinus responsor. D. de Pign. iv. 26: Fideiussor impetravit a *potestate*, ut et antequam solveret, pignora ipse possideat.

Malvs, a, vm. *V.* Pravvs.

Malvs *hic* pars navis est; seu arbor, navis vela tenens, et tunc prior syllaba est producta; *malus* autem priore syllaba correpta, est non bonus. *Haec malus* frugifera arbor; seu arbor *malum* ferens. *Hoc malum* fructus ex ea. *Mala haec*, i. e. gena, maxilla.

Mammas esse hominis scito; at pecudis *ubera*. Quam tamen differentiam negligunt non tantum poëtae, sed interdum etiam prosae orationis scriptores.

Mancipare plus est, quam *vendere*. Nam *mancipat is*, qui et proprietatem et usum atque fructum transfert, et evictionem praestiturum se spondet; unde manceps, qui publicum vectigal conducit, indeque quotidie quasi manu quid capit.

(1) *Magistratus* in urbe, *potestas* extra urbem in coloniis etc. R.

Digitized by Google

Denotat quoque aliorum similiter reditnum conductorem. *Vendit* etiam is, qui nuda et simplici traditione alienat. Praeterea *mancipare* poterant soli cives romani, latini colonarii et latini iuniani, iique peregrini, quibus datum erat commercium; *vendere* cuilibet permissum. Cic. Philip. II. 21: Tum iste *venditum* atque *mancipatum* tribunatum consiliis vestris opposuit. Quintil. VI. 3: Requirebat Crassus, ubi essent eae possessiones. Omnes autem illas Brutus *vendiderat*, et cum paterna *manciparet* praedia, turpis habebatur. Tacit. Annal. I. 73: *Venditis* hortis statuam Augusti simul *mancipasset*.

MANCIPIVM (1) et NEXVS sunt species abalienationis rerum mancipi, quae hoc differunt, quod *mancipium* est proprietas et legitimum dominium vel dominii traditio, quae fiebat testibus quinque praesentibus et libripende, certisque prolatis verbis, hunc videlicet in modum. Is, qui rem *mancipio* accipiebat, aes tenens ita dicebat (Inst. de Test. in pr. Ulp. in Inst. XIX.): Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isque mihi emtus est hoc asse, aeneaque libra. Deinde aere percutiebat libram, idque aes quasi pretium dabat ei, a quo rem accipiebat *mancipio*. *Nexus* sive *nexum* dicitur omnis obligatio, quae per aes et libram fiebat (2). Itaque *mancipio* res promittitur, datur, accipitur, quae proprie et perpetuo fit accipientis, neque evinci aut vindicari potest; *nexu* res oppignoratur, addicitur et obligatur: sicut testamenta *nexu* fiebant, non *mancipatione*, quia haeres quidem familiam per aes et libram emebat, adhibitis quinque testibus et eo, qui emtor familiae vocabatur, sed testator idemque venditor nihil isti emtori tradebat; tantum haeredem in testamento scriptum tali modo constituebat, ut scilicet post mortem

(1) Quasi *Manucupium*, proprie est res ipsa, in quam habeo potestatem. Deinde denotat praesertim hominem in bello manu captum, servitutique subiectum. Cui accensendi servi atque ancillae emtitiae. Vid. Perotti Cornucop. Epigr. LVII. lin. 51. seq.

(2) Elegantius autem accipitur pro quodam genere obligationis civilis, qua corpus etiam, ut pignus, afficitur. Ob hoc *nexi* et addicti vocati sunt homines obaerati, qui Leg. XII. Tab. ob aes alienum creditoribus in temporariam servitutem addicebantur. Conf. Doletus loc. persaepe denomin. fol. 109. fac. b. col. 1.

Digitized by Google

ipsius posset haereditatem adire. Pignora nectebantur, et homo liber, qui suas operas in temporariam servitutem creditori dabat, dum debitum solveret, *nexus* dicebatur. Quo sensu Mutius Scaevola dixit: *Nexum* esse, quod per aes et libram fiebat, ut contrahentes obligarentur, et se invicem *necterent*, non ut res *manciparentur*. Quod et verum esse ex verbi notatione Varro ostendit. Nam a *nectendo* (inquiens) dicitur *nexum*, id quod per aes et libram obligatur, neque tamen alterius fit. Lex. XII. Tab. Cum *nexum* faciet *mancipiumque* uti lingua nuncupassit, ita ious esto. Cic. de Harusp. Resp. XIV: Iure haereditario, iure auctoritatis, iure *mancipii*, iure *nexi*. Id. ad Curt.: Cuius quando proprium te esse scribis *mancipio* et *nexu*; meum autem usu et fructu, contentus isto sum. Sed interdum *nexus* nomen generale est, et in eo *mancipium*, ut species in genere, continetur. Ex quo Manlius iurisconsultus *nexum* definivit quodcumque per aes et libram geritur, ita ut in eo sint res *mancipi*. Sic illam rem, quae *mancipatur*, *nexu* tradi, *nexu* obligari dixit Cicero in Top. V: Abalienatio est, inquit, eius rei, quae *mancipi* est, aut traditio alteri *nexu*, aut in iure cessio, inter quos ea iure civili fieri possunt. Id. Parad. v. 1: Ut *mancipia*, quae sunt dominorum facta *nexu*. Id. pro Muraen. II: In iis rebus repetendis, quae *mancipi* sunt, is periculum praestare debet, qui se *nexu* obligavit. *Mancipia* dicuntur, quod manu capta sunt; *servi*, qui servati sunt, cum eos occidi oporteret iure belli. Donat. R.

MANDVCARE. *V.* EDERE.

MANEO simplicem moram; *Retineo* moram cum detinentis voluntate significat. H.

MANGO, est venalitius, qui scilicet servos venales habet, dictus quasi a manu agendo vel a μάγγανον, quod praestigias, seu deceptionem denotat, quia mangones et mares et foeminae, rerum veteratarum, vestium inprimis, politores dicuntur. Meminit et mangonis Martialis Epigr. I. 59. de pueri pretio et apud eumdem epigr. IX. 7. dicitur avarus mango. Graeci hos ab equis componendis vocant hippoconios. *Mercator* qui merces quaslibet emit, venditve. Nam veteres appellatione mercis homines censeri noluerunt, et

Digitized by Google

ob eam rem *mangonium* a *mercatura*, et *mangones* a *mercatoribus*, seiunxere, ut scribit Africanus Quaestion. III. l. 207. D. de verb. sign. Plaut. in Trinum II. 2. 51: *Mercaturamne*, an venales habuit, ubi rem perdidit? Cic. Orat. LXX: Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii *mercatoresque* superarunt. Sen. de Benef. XIII: *Mercator* urbibus prodest, medicus aegris, *mango* venalibus.

MANIFESTVM est publica, seu famosa insinuatio communis, ex certa scientia et certis auctoribus proveniens; Mascard. de Probat. Conclus. MXLIV. *Notorium* dicitur, quod omnibus liquet, et a nemine potest inficiari sine rubore. Lege Ahasueri Fritschii, Icti aestimatissimi additamenta eruditissima ad speculum Speidelii p. 684. col. b. H.

MANTILE et MAPPAM Hadr. Iunius eo distinguit, quod *illo* manus abstergantur, *hac* etiam mensa insternatur. At contra est, quia mantile, mantele, mantellum, mantelium etiam tegendae mensae serviebat. *Mappa* vero solis manibus tergendis parabatur. Itaque convivator quidem *mantili* mensam sternebat; at singuli convivae ad convivia, seu publica seu privata, suas mappas ferebant. Clare hoc discrimen docet istud Martialis Epigr. XII. 39: Attulerat *mappam* nemo, dum furta timentur; *Mantile* e mensa surpuit Hermogenes. *Mantile* quidem dicitur, quo exterguntur manus, sed ante epulas. In *epulis* vero id mappis fiebat. Th. Crenius in animadv. philol. et hist. t. II. c. 3. § 4. In lexico Fabri de hac differentia dubie scribitur. Volunt autem differre mappas a mantilibus, quod haec lotis manibus inserviant, illae cibo madidis, sordidisque. Sed Servius ad Virg. Aen. I. 703: Tonsisque ferunt mantilia villis, videtur eadem habuisse. Virgilius h. l. non potest accusari licentia poëtica, quin potius, si dicta eius recte expendas, pro nobis facit. Iuvat igitur omnia ad nexum pertinentia transcribere.

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo
Cura penum struere, et flammis adolere penates:
Centum aliae, totidemque pares aetate ministri,
Qui dapibus mensas onerant, et pocula ponunt.

Digitized by Google

Ordinem ita perspicio, primum aquam manibus purgandis allatam, dein panem e canistris expeditum, post mantili mensam stratam, tum denique cibum et potum esse adpositos.

MANVBIAE appellantur pecunia ex venditione praedae contracta, seu sunt honestior *praeda* de hoste, dictae, quod manu habeantur, tamquam virtutis monumentum. *Praeda* vero dicitur, et quidem generaliter, quicquid ad escam rapitur, seu corpora ipsa rerum ab hostibus capta, donec non sunt divisa aut divendita, auctore Gellio XIII. 24. Cic. Fragm. ap. Gell. XIII. 24: *Praedam manubias*, sectionem, castra denique Cn. Pompeii, sedente imperatore, decemviri vendent. Id. I. 4, et II. 22: Ex *praeda*, ex *manubiis*, ex auro coronario. Svet. Ner. XXXVIII: Ac ne non hinc quoque, quantum posset *praedae* et *manubiarum* invaderet. Aliquando tamen *manubiarum* vocabulo pro qualibuscumque spoliis usi sunt veteres, atque etiam ipse Cicero, cum ait: Ex *manubiarum* venditione. Svet. Vespas. XVI: Sunt contra, qui opinentur, ad *manubias* et rapinas necessitate compulsum. Itaque verius est, *praedae* nomine contineri omnia spolia ab hostibus capta, *manubias* (1) vero significare ornamenta hostibus ademta, quae manu ferri possint, et pecuniam inde redactam. *Praeda* victos spoliat, *rapina* subito venit; *illa* victoria gaudet, *haec* petulantia.

MANVM DARE et MANVS DARE ita differunt. *Manum dare* subveniendi significationem plerumque habet. Ovid. Trist. III. 1. 2: Da placidam fesso, lector amice, manum. At *manus dare* est se victum fateri. Nepos Hamilc. I: Donicum aut certe vicissent, aut victi manus dedissent. Lactant. V. 1. 2: Timent enim, ne a vobis revicti manus dare aliquando, clamante veritate, cogantur.

MANVS *huius* hominis dicimus: *hanc manum*, multos homines coniungentes. Agr.

MARINVM vocatur, quod mare incolit, vel est ex mari;

(1) Manubiae sunt praeda imperatoris pro portione de hostibus capta. Paedian. in III. contra Verrem. Spolia quaesita de vivo hoste nobili per deditionem, manubias veteres dicebant; et erat imperatorum haec praeda, ex qua quod vellent, facerent. Ib. Paed. R.

Digitized by Google

transmarinum autem dicimus, quod trans mare est. Unde transmarinum triumphum vocamus et transmarinas merces. Valla IV. 95. *Maritimum*, quod prope abest a mari, vel quod in eo geritur. Hinc dicuntur Dii marini, qui in imis gurgitibus et vadis habitare putantur, marinus piscis, sal marinus, tum color marinus, aqua marina; rursus agri maritimi, ora maritima, bellum maritimum: quae omnia notiora sunt, quam ut exemplis firmari debeant. Interdum tamen haec confunduntur. Varro RR. I. 7: Ubi salem nec fossicium, nec maritimum haberent. Id. II. 11: Quin aspergi solent sales, melior fossilis, quam marinus. Ulp. D. ad edictum XXVIII. de extr. Crim. I: Navem accipere debemus sive marinam, sive fluviatilem. Callistratus de Cognitionibus I: Immunitatem navium maritimarum dumtaxat habere, quae annonae urbi serviant. Vid. Leg. 5. de Iure Imm.

MATERIES animi est; *Materia* arboris (1); et *materies* qualitas ingenii; *materia* fabris apta. Fronto.

MATRONAM (2) et MATREMFAMILIAS eo differre Gellius (N. A. XVIII. 6.) tradit, quod *matrona* proprie dicatur, quae in matrimonio cum viro quoquo modo convenerit et in eo matrimonio manserit, etiamsi liberi nondum nati fuerint, dicta matris nomine spe atque omine, unde et matrimonium dictum. Qua notione Plinius Lolliam Paulinam Caii principis matronam appellat. *Materfamilias* autem ea sola, quae in mariti manu mancipique, confarreatione vel coëmptione convenerit, et non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, et in sui haeredis locum transierit. Foemina enim usu capta non conveniebat in manum et potestatem mariti, non succedebat marito ab intestato, non fiebat materfamilias, sed matrona. Unde fuit illa coëmptionis antiqua formula: Vis mihi esse *materfamilias?* Festus autem *matresfamilias* ait non ante dictas, quam pepererunt ex marito patrefamilias: sed neque viduam, neque eam, quae sine liberis

(1) *Materia* et *materies*, in genere est omne id, ex quo aliquid fit, quasi mater rei. In specie autem denotat lignum domis extruendis commodum.

(2) *Matrona* dicitur prima pueri mater. *Materfamilias*, quae plures peperit. Servius.

Digitized by Google

esset, eo nomine appellari; *Matronas* eas esse, quibus stolas habendi ius erat (1). Iurisconsulti (D. de Adult. XXII. 10) longe aliter, nec uno modo, his vocabulis utuntur. Nam interdum *matronas* accipiunt notae auctoritatis spectataeque vitae et pudicitiae foeminas nuptas aut viduas, *matresfamilias* vero generaliter appellant quaslibet mulieres honestas, sive nuptae sint, sive viduae; ingenuae, aut libertinae; puellas item quae sui iuris sunt. Quibus consentit Tertullianus in libro de Virginibus velandis XI: *Materfamiliae*, inquit, vocatur, licet virgo, et *paterfamiliae*, licet investis. Aliquando easdem indifferenter vocant *matronas* et *matresfamilias*, et solum honestatem spectant, ut ex ipsorum responsis liquet. Mihi videtur propria et vera horum verborum differentia esse, quod *matronae* sunt spectatae auctoritatis et pudicitiae foeminae, nuptae aut viduae; *matresfamilias* omnes, quae legitimae uxores habentur. Ita *matrona* omnis est *materfamilias*, non contra, atque sic veteres fere usi. Ennius in Andromeda: Liberûm quaesendûm causa familiae matrem tuae. Liv. X: Ut nulla, nisi spectatae pudicitiae *matrona*, et quae uni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet.

MATRIMONIVM (1) et NVPTIAS separant iurisconsulti. Iulianus Digestorum LXII. D. de ritu Nupt. XI. 10: Puto recte *matrimonium* vel *nuptias* contrahi. Paulus ad Edictum XXXV: Non prohibentur liberi utriusque sexus, *matrimonium* vel *nuptias legitimas* contrahere. Quae verba indicant haec differre pro personis utriusque sexus, et *matrimonium* esse viri, *nuptias* mulieris; si modo sunt iurisconsultorum, et non potius a

(1) Dousa in centurionatu, seu Plautinar. Explanation. II. 2. in specie ad fin. p. 136. dicit, criminis loco antiquitus aestimatum fuisse, *matronas*, seu *matresfamilias* Romae sine ancillarum comitatu in proximum prodire, ne si in proximum quidem diverterent, quo videlicet non culpam solum, sed et suspiciones omnes in alienis potius, quam suis pectoribus sitas segregarent a se, spernerentque quam longissime.

(2) *Matrimonium* quibusdam ex eo videtur dictum, quod loquente Augustino, propterea nubat mulier, ut mater fiat, et definitur, maris et foeminae coniugatio. Unde formulae istae Ciceronianae: In *matrimonio* collocare: In *matrimonium* habere, seu *matrimonium* tenere.

Digitized by Google

Triboniano, homine graeculo, alterum fuit adiectum, ut et in institutionibus ab ipso compositis: quod mihi quidem videtur. Nam differentiam istam nulli idonei scriptores observant, et promiscue haec nomina usurpant. Illud unum mutat, quod *nuptiae* proprie sunt *matrimonii* celebritas seu nubentium solemnis ritus, quae coniugii testificationem praebet. Cic. de Invent.: *Nuptiae* non *matrimonii* dignitate, sed sceleris societate coniunctae. Arnob. II: Non *matrimonia* copulant, *nuptiarum* solemnibus iustis. Id. IV: Ubi enim *nuptiae*, *matrimonia*, puerperia.

MATVRARE est perficere modeste; *Maturescere* fieri maturum; *Celerare* raptim; *Properat* efficiens; *Festinat* nihil perficiens. Alii distinctius. *Festinare* est temere et praecipiti celeritate aliquo contendere; *properare* cito et strenue progredi, ut eo, quo velis, pervenias. Cato apud Gell. XVI. 14, hoc discrimen statuit inter *properare* et *festinare*: Qui unum quid mature transigit, is *properat:* qui multa simul incipit, neque perficit, is *festinat*. Nonius autem (v. 84.) hoc differre ait, quod *properare* ad animum, *festinare* ad corpus pertineat. *V.* PROPERARE.

MEDIALE et MEDVLLA non semper sunt eadem in arboribus. *Mediale* quippe etiam habent, quae medulla carent. Sambucus plurimam habet medullam, corpus non habet. In corno tamen mediale inest, estque durissimum arboris. In arboribus, quae *medullam* habent, idem est *mediale* et *medulla*. In aliis *mediale* est, non *medulla*. Pineae arbores *medulla* carent. Quare succinum e *mediali* arboris, non e *medulla* arboris lacrimatur. Sed *medullam* passim pro *mediali* usurpant, ut Plinius *medullam* pini dixit. Salmasius exercit. plin. p. 166.

MEDIOCRIS videtur esse maius quid, quam *modicus*. Cic. Parad. VI. 2: Meam autem quoniam pecuniam contemnis et recte. Est enim ad vulgi opinionem *mediocris*, ad tuam nulla, ad meam *modica*; de me silebo, de te loquar. Paraeus. R.

MEMINISSE (1) et IN MEMORIAM REDIGERE hoc differre Ari-

(1) *Meminisse* a memoria derivatur, cum id, quod remansit in mente, in id rursus movetur. Varro.

Digitized by Google

stoteles putat, quod *illud* sit omnium animantium, ut cibi, potionis, somni, voluptatis; *in memoriam revocare* quod exciderit, solos homines posse. Nonius. *Memoriosus* habet ad dicta factaque referenda memoriam; *memor*, beneficii et iniuriae memoriam refert. Ita *memoriose* qui facit, ostendit in omni re naturae bonum; *memoriter* gratum, vel fortem ex eo ostendit, quod vel retribuit beneficium grate, aut iniuriam vindicat fortiter. Fronto.

MEMOR, qui apud se meminit, *gratus*, qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Nam multi sunt memores, ingrati tamen. Don. R.

MEMORIA solum fit cogitatione, *commemoratio* fit verbis. Goclenius. H.

MENDICVS (1) est, qui palam precatur omnes, ut vitae suae medeantur cibo. *Pauper* est, qui parum habet (2) et honeste victum quaerit. *Alter* miser et odiosus est; *alter* tenuis et honestus, ut eleganter definit Aristophanes in Pluto.

MENDVM in MENDACII significatione dicitur: *Menda* in culpa operis aut corporis. Sosip.

MENTIRI et MENDACIVM DICERE P. Nigidius Figulus, qui fuit Ciceronis aequalis, subtili quadam differentia separavit. Qui *mentitur*, inquit, ipse non fallitur, sed sciens alterum fallere conatur; qui *mendacium dicit*, ipse inscius et ignarus veri, fallitur. Itaque vir bonus praestare debet, ut non *mentiatur*; prudens, ne *mendacium dicat*. Alterum incidit in hominem, alterum non. Gellius XI. 11. Alias *mendacium* est orationis vanitas atque falsus sermo, et *mentitur* mendax, quoties *mendaciter* loquitur, etiamsi *mendacia* coloret veritate. Nihilominus haec saepe confunduntur. R. Similiter differunt *peierare* et *falsum iurare*. Nam qui *peierat*, is sciens et ex animi sententia falsum iurat. Qui autem *falsum iurat*, non decipiendi animo hoc facit, sed quia rem ita se habere putat. Atque Chrysippus distinxit inter ἐπιορκεῖν καὶ ψευδορκεῖν.

(1) *Mendicus* nihil habet, *inops* multis caret, *pauper* habet ad victum. R.

(2) Ex πάω παῦρα pauca possideo. Notandum autem, *pauperem* non esse miserum, si *paupertatis* commoda novit. Non enim eget medico, non metuit *pauperari*, et sic extra curas est. Comenius.

Digitized by Google

MERCATOR est qui nullo certo loco consistens, merces coëmptas huc illuc importat. *Negotiator*, qui eodem loco haerens, comparat et coëmit merces, quas pluris distrahat. Cic. Verr. IV. 77: Postulo mihi respondeat qui sit iste Verrutius; *mercator* an *negotiator*, an arator, an pecuarius. Horat. Ep. ad Pison. CXVII: *Mercatorne* vagus, cultorne virentis agelli. Ex Sigonio, (de antiq. iure civium rom. II. 10. 319.) *Mercatores* Romae, *negotiatores* in provinciis negotiabantur. TH. VALL.

MERCES a merendo, quod manu factum erat et datum pro eo manupretium, a manibus et pretio; *Praemium* a praeda, quod, ob recte quid factum, concessum. Varro. R.

MERERI et MERERE est beneficium praestare; *Commereri* est committere, peccare, et sic poenam *mereri*. Prout quisque autem meruit, ita mercedem merito accipit, pro merito. *Meret* pretium, *meretur* gratiam. Itaque *illud* vectigale, *hoc* honorarium est. Fronto. Ter. Hec. III. 5. 36: Quae numquam quidquam erga me commerita est, pater, Quod nollem, et saepe quod vellem, meritam scio. Ubi Donatus: *Mereri bona* dicimus, *commereri* mala, id est delinquere, peccare. Ergo hic meritam pro praestitisse dixit. Virg. Aen. VI. 664: Quique sui memores alios fecere merendo, id est beneficium praestando.

MERETRIX honestioris loci est et quaestus, quae copiam sui tantummodo noctu facit, a merendo dicta. Plaut. Trucul. II. 7. 16. eam sic describit: *Meretricem* ego item esse reor, mare ut est; quod des, devorat, nec unquam Abundat. *Prostibulum*, quod ante stabulum stat, vel *prostibula*, quae se prostituit quaestus diurni et nocturni causa, auctore Nonio. Plaut. Fragm.: Intro ad bonam *meretricem*, adstat ea in via sola, *prostibula* sane est.

MERITA (1) maiora sunt, quam *officia*. Cic. Philipp. XIII: Magna eius in me *merita*; mea quaedam *officia* in illum. Id. ad Brut.: Magna eius non dico in me *officia*, sed *merita*. Et

(1) Sunt autem *merita* beneficia, vel promerita, et usurpantur in bonam partem. In malam autem, quando pro culpa ponuntur. Cicero pro Sextio: Nullo meo merito a me alienus esse debebat.

Digitized by Google

ad Cornif.: Ad haec *officia*, vel *merita* potius, iucundissima consuetudo accedit.

MERITVM dicitur, id, quod negari potest; *debitum*, quod negari non potest. *Benemeriti* repulsam pati possunt; *Illi*, quibus debetur, non facile. Goclen. H.

MERVM et MERACVM non sunt eadem. Plin. H. N. XXIII. 23: Meracis potionibus per viginti dies ante canis ortum, totidemque postea suadet Hesiodus uti. *Merum* quidem remedium est contra cicutas. Harduinus observavit hanc esse differentiam inter *merum* et *meracum*, quod *merum* sit sine omni aqua, *meraco* autem aliquid aquae sit additum; v. Gesn. Chrest. plin. p. 644.

MERX est species ipsa, seu id, quod lucri causa emitur et venditur. Sunt etiam merces annui reditus ex fundis atque praediis, sicuti docet Gifanius in Observ. LL. p. 345. *Mercatura* actus ipse, vel lucrum de merce; *Mercatus* locus, in quo mercatura agitur, seu tempus publice vendendi atque emendi merces.

METIOR, *metiris*, *mensus sum*, est mensura rationem subducere seu quantitatem rei explorare. *Metor*, *metaris*, *metatus sum*, significat eligere, proprie autem agrum vel castra meta terminare, unde Lucanus I. 382: Hesperios audax veniam metator in agros.

METVO illum, qui mihi ipsi aliquid facturus est; *Timeo* ab illo, cuius causa possum aliquid mali pati, etiamsi ipse nihil mali in me consulat. Sic *metuimus* eos, qui nos amant; *Timemus* etiam inimicos. Donat. Metuimus periculum, mortem, calamitatem, quae instare videtur. *Veremur* etiam virtutem. *Vereri* igitur generalius est quam *metuere*. Goclen. *Veretur* liber, *metuit* servus. Donat. *Veremur* parentes et seniores, et qui sunt in honore aliquo aut dignitate constituti. *Timere* et *metuere* iustas formidinis causas magis respicere videtur; *Formidare* naturalem pavorem; *Horremus* gestu et indiciis, quae sub oculos cadunt. *Metuimus*, *timemus*, *formidamus* serviliter, et periculum quod instare videtur. Ideoque *metus* dissimulari ac tegi potest: *horror* vero non potest. Cic. in Cat. dicit, *metuere* esse servorum, *vereri* liberorum. Goclen. Sic dicimus quoque *metuo* tibi, h. e. sollicitus sum pro te; *metuo te*, h. e. reformido te, ut adversarium.

Digitized by Google

METVS motus est animi; *Timor* quasi tumor; *Formido* fert interdum rationem; *Pavor* puerilis est. Front. *Minae* sunt periculorum nuncii, et ab adversariis proficiscuntur. *Formido* in nobis est periculorum metus, et Ciceroni est metus permanens. Goclen. *Metus* futura prospicit; *Timor* est subita consternatio; *Pavor* animi metus. Cic. Tusc. v: In quem autem *metus*, in eum *formido*, *timiditas*, *pavor*, ignavia incidit. *Metus* adficit mentem; *horror* mentem et corpus simul. *Metus* dissimulari potest; *horror* non item.

MINORES res esse aliquas aut homines dicimus. Nam *minoris* emtum aut aestimatum aliquid recte dicimus, sicut est *pluris*, quòd maioris summae taxatur. Agr.

MIRAMVR opera, *admiramur* virtutes. *Mirari* est stupefieri, seu aliquid intente et suspenso intellectu intueri; *Admirari* est valde mirari. Nonnumquam etiam idem est, ac venerari, seu suspicere aliquem, et non de virtute solum, sed de personis quoque dicitur virtute praeditis. Sic *miramur* omnia mira; *Miracula* vero demiramur. Comenius. H.

MISER est generalius, *miserandus* specialius; si quis merito supplicio afficiatur, *miser* quidem est, sed non *miserandus*; qui vero iniuria afficiuntur, miserandi sunt. Quilibet igitur *miserandus* est etiam *miser*, sed non omnis *miser* est *miserandus*. Gocl. H.

MISEREOR et MISEROR (1) verba ita distinguuntur, ut *misereri* passivum affectum habeat. Est enim corde anxium esse ex alicuius *miseria*, et alterius infelicitate moveri: *Miserari* vero activum, estque verbis, aut lacrymis, aut ope dolorem, quem ex *miseria* alicuius habemus, ostendere. H.

MISERIA et LVCTVS differunt ut antecedens et consequens; *Luctus* tantum mortem sequitur; *Miseria* damnum plerumque. Gocl. G.

(1) *Miseratur* is, qui conqueritur aliena incommoda, *miseretur* is, qui miserum sublevat; *miseret me* eadem forma dicitur, qua piget me. Fest. *Miseramur* casum nostrum aut communem, *miseremur* semper aliorum. *Miseremur*, cum eodem tempore et dolemus alicuius vicem, et subvenimus laboranti. *Miserari* tantum consolari est intra adfectum dolentis. Servius hic plane non agnoscit discrimen, nisi constructionis ad Virg. Aen. I. 601.

Digitized by Google

Missio apud milites et *Exauctoratio* differebant. Apud veteres quidem simplex et una honesta missio, sed ab Augusti aevo facta duplex, exauctoratio et missio. In *missione* liberi a labore iureiurando et vexillo fiebant, in *exauctoratione* quidem etiam labore et iureiurando: sed retinebantur sub vexillo; vid. Tacit. Annal. I. 36. R.

Mitrae foeminarum, *Pilea* sunt virorum. R.

Moderatio est in ipsa rei tractatione et gestione; *modestia* est probitas morum et vultus; *venustas* est corporis. Donat. R. *Modestia* in animo, vultu et voluntate. Goclen. H.

Modvlor et Cano differunt. *Canere* est vocem certis modulis tollere aut premere, certisque temporibus producere, aut corripere, et est poëtarum proprium. Ita Virg. Aen. I. 5: cum antea vers. 1. dixisset, - gracili *modulatus* avena, et statim opponit, arma virumque *cano*; quod verbum altero longe praestantius est. Unde et Calliope musarum regina est, quia ceterae modulantur, illa canit. Conf. Scaliger poet. III. 26. et IV. 16: Sed cuiusmodi ille cantus fuerit, nos hodie fere nescimus, quippe qui actionem, sive pronunciationem veterem, quae quasi anima et fundamentum omnis gratiae est, amisimus. Haec habet Taubmannus ad Virg. Cul. p. 33. s.

Modvlari est carminis modos facere. *Moderari* est modum imponere. Corn. Front. R.

Moenia a Mvris distinguuntur, et notant aedificia alicuius urbis. Hinc Flor. de Anco I. 4: Hic igitur et *moenia muro* amplexus est; et Caes. B. C. II. 16: Paene inaedificata in muris ab exercitu nostro moenia. Huic sententiae favet etiam illud Virg. Aen. VI. 549: *Moenia* lata videt triplici circumdata muro; item Aen. II. 234: Dividimus muros, et *moenia* pandimus urbis. Ubi Servius *moenia* cetera urbis tecta vel aedes interpretatur. At vero Pimpontius *muros* pro ambitu lapideo urbem cingente, *moenia* pro propugnaculis et munitionibus non urbis tantum, sed et castrorum et aliorum aedificiorum accipit. V. *Paries*.

Moestitia et Moeror in omnibus adversis periculis et damnis, *luctus* est ex morte; estque hoc speciale, illa generalior.

Moestvs est, qui animo angitur; *Tristis*, qui vultu de-

Digitized by Google

misso aut severo aegritudinem prementem ostendit. Plaut. in Bacch. IV. 4. 18: Quid vos moestos tam tristesque conspicor? Caesar B. G. I. 32: *Tristes* capite demisso terram intueri.

MONASTERIVM aedificium et locus ipse; *Coenobium* convictus, vitae communio. Gocl. R.

MONEO (1) et ADMONEO hoc differunt, quod *monemus* futura, *admonemus* (2) praeterita; *illo* ut caveamus et discamus, *hoc* ut recordemur. Liv. XXXI: Per Deos foederum arbitros ac testes, *monuisse*, praedixisse se. Id. XXIV. 22: *Admonet* saepe usurpatae Dionysii tyranni vocis. Ceterum *monemus* propter benevolentiam; *admonemus* ut confirmetur memoria; *submonemus*, ut ordinate pronunciatio fiat; *obiurgamus* eum, qui est in nostra potestate. Itaque in *obiurgante* potestas; in *monente* benevolentia; in *admonente* memoria; in *submonente* officium. Fronto. *Hortari* autem magis est, quam *monere*, utpote cum imperio coniunctum, IV. C. ad I. Iul. repet. *Admonere* aliquando est castigare et corripere. L. VII. ff. de Poen.

MONIMENTVM (3) a mentis admonitione dictum est; *Monumentum* (4) est, quod in defuncti memoriam ponitur, sive cadaver contineat, sive sit inane, quod Graeci vocant κενοτάφιον; *Sepulcrum*, in quo corpus ossave hominis condita sunt, ut definiunt Iuriconsulti D. de Religios. et Sumt. Iun. Quibus consentit Servius, qui operis constructionem *sepulcrum*; inscriptum nomen, memoriamque *monumentum*

(1) *Monemus* consilio, praeparaturi aliquem ad omnes, ut se dant, casus ancipites; *hortamur* impulsu et persuasionibus ad certam aliquam actionem. *Monemus* verbis levioribus, *hortamur* gravioribus. Donat. Cic. Ep. X. 5. ad Plancum: Sic moneo, ut filium, sic faveo, ut mihi, sic hortor, ut et pro patria et amicissimum. Paraeus.

(2) Alii ita: *admonemus* praesentia, *commonemus* praeterita, *monemus* futura.

(3) *Monimentum* igitur doctrina, *Monumentum* sepulcrum. R.

(4) Hoc nomen derivatur a *monendo*, quod nos alicuius rei praeteritae moneat, ut sunt *sepulcra*, statuae, inscriptiones, libri, carmina, historia, documenta, commentaria, litterae, extructio, ornamentum, opus publicum, trophaeum, moles, immo quidquid sit illud, quod nos in alicuius rei memoriam revocet, latine *monumentum* appellatur. Vid. Doletus loc. cit. fol. 103.

Digitized by Google

esse tradit (1). Liv. XLI: Capua quidem *sepulcrum* et *monumentum* campani populi. Id. ib.: Omnia *sepulcra monumentaque* diruta esse in finibus suis. Lamprid. in Alex. *Cenotaphium* in Gallia, Romae *sepulcrum* amplissimum meruit. Vetus inscriptio: Hoc *monumentum* sive *sepulcrum* est, haeredes non sequitur.

MONSTRVM (2) est contra naturam; *Prodigium* in solidis corporibus singulare; *Ostentum* in non solidis. H.

MONVMENTA et LITTERAE idem valent haud raro; distinguit tamen Cic. Brut. VIII: Qua in urbe primum se orator extulit, primumque etiam *monumentis* et *litteris* oratio est coepta mandari. Corradus ad h. l. ita: Seiunxit Cicero, quoniam *monumentis*, etiam sine litteris, oratio mandari potest, si verum est, quod Cicero de Orat. III. scribit: Pamphilum, nescio quem, artem rhetoricam, rem tantam, in insulis depingere solitum fuisse; nisi malis interpretari *monumentis* et *litteris*. idest *monumentis* litterarum, ut apud Virgilium Georg. II. 192: pateris libamus et auro.

(1) Ideoque secundum viam, qua praetereuntes admoneant, et se fuisse, et illos esse mortales, id positum esse, Varro de LL. V. 57. refert. Monumentum autem proprie appellatur, quodcumque est minimum, ut monumentum temporis, i. e. exiguum temporis spatium. Ponitur et pro vi, valore atque pondere rei alicuius. Conf. Gifanius loc. multoties cit. p. 346. ubi, et pro occasione, et mutatione temporum usurpatur.

(2) *Monstra* et *ostenta* similiter intelliguntur, quod imminentia monstrent et ostendant. *Omen* vero votum est mentis et vocis. Unde sacrificantibus dicitur, bona omnia habere, id est, ut circumstantes et mente recta velint, et bona oribus proferant. *Portentum* non solum, quod portendat, sed etiam quod iam apportet et faciat ex his significationibus, quae in auspiciis et auguriis et extipiciis ostendunt. *Prodigium* autem semper pessimum est, dictum quasi porro adigendum. Virg. Aen. III. 365: Sola, novum dictuque nefas Harpyia Celaeno *Prodigium* canit, et tristes denuntiat iras. Non. *Monstra* et *ostenta* sunt monita Deorum. Virg. ib. III. 58: Primumque parentem, *monstra* Deum refero. *Prodigia*, Deorum minae vel irae sunt. Virg. ib. III. Sola. novum, etc. ut supra. *Portenta ostenta*, quae aliquid imminere significant. Lucil. XXV: Nisi *portenta* anguesque volucres ac pinnatos scribitis. Non. *Monstrum* dictum a monstrando, et refertur ad praesens eius significatio. *Prodigium* est, quod in longum tempus dirigit significationem. Serv. R.

Digitized by Google

MORBILLI sunt pustulae in summa cute exuberantes; *Varioli* sunt papulae. Goclen. H.

MORBVS et VITIVM (1) coniunguntur in edicto Aedilium Curulium: Titulus servorum singulorum ut scriptus sit curato, ita ut intelligi recte possit, quid *morbi vitiique* cuique sit. Ea Modestinus differentiarum IX. De Verb. Sign. l. 101. ita distinxit, ut *morbus* sit temporalis corporis imbecillitas; *vitium* vero perpetuum corporis impedimentum, veluti si talum excussit (2). At Labeo apud Sabinum in libro, quem de Edicto Aedilium Curulium composuit: *Morbus*, inquit, habitus cuiusque corporis contra naturam, qui usum eius facit deteriorem; et cui *morbus* est is, etiam vitiosus est; neque id tamen contra fit. Potest enim, qui vitiosus est, non *morbosus* esse, ut balbus et atypus vitiosi magis quam morbosi sunt, et equus mordax aut calcitro, vitiosus, non morbosus est. Conf. Gellii N. A. IV. 2. Ulp. pro eodem accipi *morbum* et *vitium* ait, et aediles tollendae dubitationis causa bis κατὰ τοῦ αὐτοῦ idem posuisse. Ego Labeonis sententiam veriorem arbitror, atque ita *morbum* a *vitio* differre, ut genus a specie, quod idem sentit Cic. Tusc. IV. 20, his verbis: *Morbum* appellant totius corporis corruptionem; *aegrotationem morbum* cum imbecillitate; *vitium*, cum partes corporis inter se dissident.

MORS et INTERITVS plerumque sumuntur in bonam partem; *Nex* et *caedes* in malam. Gocl. H.

MORTALES et HOMINES, quid, et quantum differant, ex Gellio Noct. Att. XIII. 27. discere potes: Videbatur cuidam, multis mortalibus pro hominibus multis inepte frigideque in

(1) *Vitium* dicitur proprie, quod virtuti ac convenientiae est oppositum, et refertur non tantum ad animum, sed etiam ad corpus. Eius opposita vid. apud Gambarellam in Opposit. Lib. p. 829. Sic *vitium* corporis, scribente Comenio, reddit quidem vitiosum; non tamen meretur convicium; etiamsi vitiositas tanta sit, ut non vitiose non agere et opera non vitiare non permittat. Sed *vitium* animi veram dat conviciatori causam conviciandi; cum illa sit vitiositas, qua nos ipsi vitiamus, aliosque nobiscum vitiosos reddimus.

(2) *Morbum* a vitio prudentia veterum sic voluit separari, ut sit *morbus* cum accessu utique aut temporis aut contagii. *Vitium* perpetua et insanabilis atque irrevocabilis causa. Non. R.

Digitized by Google

historia, nimisque id poëtice dici. Tum Fronto illi cui hoc videbatur: *An tu, inquit, mortalibus multis, ineptum tibi videri, et frigidum dicis? Ego quidem sic existimo, longe lateque esse amplius, prolixius, fusius in significanda totius propе civitatis multitudine, mortales, quam homines dixisse. Namque multorum hominum adpellatio intra modicum quoque numerum cohiberi atque includi potest. Multi autem mortales, nescio quo pacto, et quonam sensu inenarrabili omne fere genus, quod in civitate est, et ordinum, et aetatum, et sexus comprehendunt.* Videte tamen, ne existimetis, semper atque in omni loco mortales multos pro multis hominibus esse dicendum.

Mos est institutum consuetudine firmatum, seu ratio vivendi consuetudine firmata, et per sincopen a *modus* derivatur quod rationem significat. Leg. Perotti Cornucop. Epigr. x. col. 653. lin. 5. seqq. Varro *morem* definit institutum animi, quod sequi debeat consuetudo. *Ritus* est ordo et modus in administrandis maxime sacrificiis. Vid. Festi de Verb. vet. signif. xvii. col. 1203. lin. 8. Virg. Aen. xii. 836: *Morem ritusque* sacrorum Adiiciam. Quamvis *ritus* pro more ac instituto usurpetur. Cic. Amic. ix: Qui pecudum *ritu* ad voluptatem omnia referunt. Id. Philip. ii. 25: Erat ei vivendum latronum *ritu*. Pacuvius: Halcionis *ritu* littus pervulgans feror. Ubi Varro interpretatur *ritus*, institutum. *Mos* est, cuius certus non exstat auctor, *institutum*, cuius certum habemus auctorem. [Praeterea *institutum* dicitur praesertim de moribus publicis et de civili disciplina, quodam usu servata. Cic. Agr. ii. 1: Est hoc in *more* positum, *institutoque* maiorum. Th. Vall.]

Modo, Nvnc et Mox ita differunt, quod *nunc* de tempore praesenti dicitur; *modo* de eo, quod paullo ante fuit; *mox* de eo, quod paullo post sequitur.

Mvlcare est pugnis, vel calcibus caedere, lacerare, mutilare; a quo mulciber dictus creditur, et mulcatores peremptores interpretatur vetus lexicon. Mulctare pro mulcere etiam apud Plautum occurrit. *Multare* vel commodius *mulctare* a *mulcta*, est punire et infligere multam cuiuscumque rei, ut *multare* pecunia, exilio, hereditate et similibus. Ter. Adel. I. 2. 9: Omnem familiam *multavit* usque ad mortem.

Digitized by Google

Sallust. Historiar. IV. *Multato* foede corpore, postremo tamen periere. Tac. Annal. I. 70: Magna pars nudo aut *mulcato* corpore.

MVLCTRA tempus dicitur, quo mulgentur animalia; *mulctrale* vas, in quod mulgentur, seu vas, mulsum lac excipiens. Serv.

MVLIER adultam aetatem, *femina* sexum, *uxor* coniugium, *matrona* statum honoratiorem respicit.

MVLIEBRE dicimus a muliere aliquid factum: *Mulierarium* per mulieres ordinatum et per viros gestum. Agr. R.

MVLTAE (de huius vocabuli origine leg. Becmanni Origines LL. p. 694. seq.) et *poenae* differentiae plures traduntur; ut *multa* est specialis delicti coërcitio, et tantum pecuniaria; *poena* vero omnium delictorum animadversio, tum etiam capitis atque existimationis. Rursus *poena* lege, vel quo alio iure specialiter delicto imposita, poenam autem delicto semper commensurandam esse confirmat Philippus Decius in Enarrat. in Reg. XLVI. Tit. ff. de Reg. Iuris num. 3. p. 192. col. a. Sed quid iuris sit in poena conventionali, docet incomparabilis Frantzkius Commentar. in lib. IV. Inst. Iur. Civ. Iustin. Iust. t. VI. § 21. num. 7. p. 579. *Multa* arbitrio Iudicis definitur. D. de Verb. Sign. CCXLIV. Iurisconsulti etiam alias adferunt, quas non est operae pretium hic referre; cum magis ad usum iuris, quam ad sermonis proprietatem pertineant: sicut illa ad morem antiquum: *Multa* dicta et irrogata tributis comitiis ad populum certabatur: *Poena* capitis centuriatis comitiis. Cic. pro Domo: Ne *poena* capitis cum pecunia coniungeretur. Id. de Legib. III. 3: Cum magistratus iudicassit, inrogassitve, per populum *multae*, *poenae*, certatio esto. Liv. XXV. 3: Tribuni ducentum millium aeris *multam* Postumio dixerunt: cuius certandae cum dies advenisset.

MVLTVM et SATIS eo distant, quod *multum* infinitum est, *satis* finitum. Avaris illud, hoc parcis et se continentibus applicandum est. Non. Lucil. XVIII: Denique uti stulto nil sit satis, omnia cum sint. R.

MVNDVS et COELVM idem apud veteres saepius significant. Plin. HN. II. 1: *Mundum*, et hoc et quod alio nomine *coelum* appellare libuit. R.

Digitized by Google

MVNICIPES sunt cives romani ex *municipiis*, suo iure suisque legibus utentes, muneris tamen cum populo romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellari videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi romani lege adstricti, cum numquam populi romani eorum fundus factus fuerit. *Colonus* non extrinsecus venit in civitatem, sed ex civitate quasi propagatus, non proprii arbitrii, sed populi romani iura et instituta habet. Vid. Goclenii Obser. LL. p. 238. H.

MVNIFICVS est, tamquam beneficus (1); *Munifex* autem tamquam opifex et artifex. Itaque *munificus* munera largitur; *munifex* autem munere fungitur. Sosip.

MVRVS proprie aut urbis (2) aut munitionum; *Paries* est domorum. *Ille* publicus et inviolabilis; *hic* privatus. Rursus *murus* interdum privati aedificii, estque exterior. *Paries* est interior, dicitur autem aedificii latus, quod lutat parietarius. Sed *maceria*, seu *maceries*, est murus, sive paries, constans ex lapidibus sive calce, aut alio genere ferruginis. Tac. Annal. xv. 43: Nec communione *parietum*, sed propriis quaeque *muris* ambirentur. Aliquando *paries*, quae sine calce, aut alia materia compactionis formatur. Aelius Gallus de Verborum, quae ad ius pertinent, significatione: *Paries* est, sive maceria est. V. *Moenia*.

MVRMVRARE est obstrepere et tumultuari sono obscuro; *Mussare* (3) est submissa voce loqui, et intus verba volvere magis quam eloqui, seu pressa voce loqui, ut non omnes

(1) Apud veteres *munifici* non a largitione, quae ignota erat, dicebantur, sed ita appellabantur consentientes ad ea, quae amici vellent. Haec Perottus loc. saepissime denom. Epig. II. c. 199. lin. 26. seqq.

(2) Et est lapideus ambitu, a μοῖρα, pars. Quamlibet enim civium partem quandam muri olim aedificasse constat. Est et *murus* omnis caementitius paries.

(3) *Mussare* hominum est, occulte et pressa voce loquentium, quod celatum velint. Virg. Aen. XI. 345: Se scire fatentur, quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant. *Murmurare* maioris soni est, proximi ad tumultum. Virgil. Georg. I. 359: Et resonantia longe Littora misceri, et nemorum increbrescere murmur. Non. *Mussitare* est proprie dissimulandi causa tacere. Donat. R.

Digitized by Google

audiant. *Illud* etiam ad inanima transfertur, ut murmurantia littora, murmurans mare, nemus et alia; *hoc* tantum est hominum; sic blando murmure murmurat defluens aquae rivulus; indignabundus autem ingrata murmuratione vel tacite admurmurat, vel obmurmurat aperte. Comenius. Sall. Historiar. I: Vos *mussantes* et rectractantes verbis. Liv. XXXIII. 31: Id decretum clam *mussantes* carpebant. Virg. Georg. I. 359: Nemorum increbrescere *murmur*.

MVTVO (1) est MVTVVM do, ut *mutuo* tibi pecuniam; *mutuor* est mutuo accipio; inde versiculus tritissimus: *Mutuo* dic dantis, sed *mutuor* accipientis. *Commodare* autem proprie non dicitur de iis, quae usu consumuntur, sed de iis, quae eadem redduntur.

MVTVVM sine usuris, *foenus* cum usuris sumitur, et est accepti foetus. Unde et *foenus* dictum est, ut graece τόκος, quasi partus mutui sumti. Plaut. Asin. I. 3. 95: Si viginti minas *mutuas* non potero, certum est, sumam *foenore*. Unde honestius *mutuum* est, quod sub amico affectu fiat meum tuum, usu temporis necessarii. Non. R.

MYRTETVM locus est ipse, h. e. myrtorum arboretum; sed *myrtus* arbuscula est baccifera. *Myrtus* arbor. Serv.

N

NAE cum diphthongo affirmandi vim habet, idemque omnino est, quod profecto, utique, certe. Cic. Phil. II. 2: *Nae* tu, si id fecisses, melius famae tuae consuluisses. Id. Catil. II. 3: *Nae* illi vehementer errant. *Ne* plerumque vetandi sensum exprimit, ut Ter. Andr. v. 2. 27: *Ne* saevi tantopere. Interdum etiam negandi et pro *non* ponitur. Id. Eun. II. 3. 13: Quidne es alacris? Et Andr. II. 1. 35: Ego id agam, qui mihi *ne* detur.

NASCI et SVSCIPI confunduntur ab imperitis, cum tamen differant. *Nasci* est ex utero matris prodire, et in lucem edi;

(1) Hoc verbum nonnumquam, ut deponens *mutuari* pro *mutuo* sumere etiam accipitur, sicuti testatur noster Schardius in Lex. Iurid. p. 603. col. a.

Digitized by Google

suscipi e terra levari. Antiquis temporibus infans recens natus in terram statuebatur, ut auspicaretur vitalis et rectus esse. Infantem in terra statutum si e terra tollebat pater, eo ipse declarabat, se hunc infantem alere et nutrire velle, quod ante sublationem dubium erat. Iuv. Sat. IX. 84: (Infantem) tollis. Foribus suspende coronas, Iam pater es. Curt. IX. 1: Genitos liberos tollunt et alunt. Nihil autem horum factum, si ante depositionem inter vivos esse infans desiisset. Hinc quorum vitalia indicia, tellure suscipiebantur a parente vel procuratore eius, quo inter legitimos numerarentur haeredes. Ubi differre constat *nasci* et *suscipere*, *educare* et *tollere*, cuius varia est notio. *Tollere* enim pro *generare* positum, quia pro mortuis habiti, qui non suscipiebantur, ut servi, immo pro *necare*. Cuncta ritu hoc celebrata, ut ex terra sublatum infantem susciperet per servum parens, vel eius vice puerpera ipsa, vel soror illius, vel familiaris aliquis, obstetrices quoque. Quos suscipere nollet pater, exposuti fuerunt, quandoque enecati, v. Bartholinus de puerperio p. 73. f. Gesnerus in thes. v. *tollo*. Liberos tollere, ut suscipere, non generare tantum, sed nutriendos educandosque curare, a ritu, ut videtur, antiquo, quod humi positos recens natos aut negligeret pater, aut iuberet tolli. Conf. Gudii tr. de ritu liberos natos in terra sistendi et de terra levandi p. 39. s. Ergo non omnes nati suscepti sunt, contra omnes suscepti etiam nati. Tollere et suscipere quamquam eumdem actum significant, aliquid tamen distant, quia susceptio in gremium sublationem sequebatur, haec praeibat. Tollendus certe infans prius erat de terra, quam susciperetur in gremium. Neque tamen negari potest, haec verba fere συνωνίμως usurpari.

NASCITVR, quod de utero decedit, *enascitur*, quod de terra aut de aqua exsurgit. Agr. R.

NATIO est hominum ex una stirpe; *Gens* vero unius generis multiplicata propago. Illa solum patrium quaerit, haec seriem maiorum. Front. V. *Gens*.

NATVS et PROGNATVS differunt apud Cic. Tusc III. 12: Tantalo prognatus, Penelope natus. *Illud* ad avum, *hoc* ad patrem refertur. Dormeierus de vitioso Cic. imit. § 55.

Digitized by Google

ita: Differuntne natus et prognatus? omnino differunt, non autem ubique, sed hoc Ciceronis loco et usu; estque alia differentia universalis, alia singularis, sive quae tantum ibi valet, ubi studium distinguendi perspicitur. Quibus itaque locis nihil distinguis, *natus* et *prognatus* promiscue ponas licet, quae idem significant, nisi quod usitatius prius sit. V. *Ortus*.

Navis (1) appellatione continentur omnes navigii species, cuiuscumque sint usus, materiae aut formae; *Rates* proprie dicuntur naves longae, trabibus et asseribus inter se tantum nexis factae, quas Graeci vocant σχεδία. Rates Paulus Ictus vocat ligna colligata, quae per aquam agantur, apud Iacobum Cruquium in Comment. ad Horatii Od. I. 4. 17. Ita *illud* generis, *hoc* speciei nomen est. Caesar B. G. I. 8: *Navibus* iunctis, *ratibusque* compluribus factis. Ulp. ad Edictum 54. l. III. D. de feriis: Qui de incendio, ruina, naufragio, *rate*, *nave* expugnata, rapuisse, dicuntur. Id. lib. LXVIII. l. 4. D. Ut in Flum.: Quo minus illi, in flumine publico *navem*, *ratem* agere, quove minus per ripam onerare, exonerare liceat. Id. ib. Navigii appellatione etiam *rates* continentur, quia plerumque et ratium usus necessarius est. Sed poëtae frequenter *rates* pro navibus usurpant.

Navvs a praecipuo navis cursu dicitur, vel alterius causa natus, qui studet per officium suum, et recipit comparationem superlationemque, quia cognomen est. Ita *navus* operam navat alteri: *Celer*, ut suam rem, ita alterius quoque celeriter perficit. Fronto. *Navus* in negotiis est strenuus; *Celer* est motu agilis; *Pernix* est pede velox. H.

Naiades sunt nymphae fontium, addamus et fluviorum, dictae, ἀπὸ τοῦ νάειν, quod est fluere. Conf. Dictionar. Historico-Geographico-Poëtic. Caroli Stephani p. 813. col. 1.

(1) Differt autem navis a navigio hunc in modum, quod *navigium* sit tamquam genus omne id, quo navigamus; *navis* autem est species navigii. Vid. Christophori Landini Comment. in Q. Horatii Fl. od. XIV. p. 754. atque Gifanii observ. LL. p. 154. Caeterum erant *naves* Atheniensium (triremes imprimis) ideo sacrae, quod eas (Reinesio Var. Lect. III. 5. pag. 424. testante) usibus reipubl. et negotiis urgentibus expediendis condiderant.

Digitized by Google

et Natal. Comitis Mythol. v. 12. 467, ubi fluviorum praesides ob quotidianum exercitium, quod in aqua habent, apposite dicuntur. Rursus stagnorum deas Limniades vocarunt, cum λίμνη sit stagnum. *Oreades* Montium, *Dryades* arborum. Serv.

NEBVLO, qui sua clam consumit: *Tenebrio* est lucifugus seu lucifuga, vespertilio. Goclen. R.

NECARE et OCCIDERE quidam censent hoc differre, quod *necare* est interficere etiam sine ictu et telo, veluti fune, laqueo, veneno: *Occidere* vero gladio et manu. Nam, ut Quintilianus ait, caedes videtur significare sanguinem et ferrum. Ego arbitror utrumque verbum generale esse, et ad omnes mortis inferendae modos pertinere, ut veneno necare dixit Cicero; fame necare Svetonius; ferro, fuste necare Sallustius; securi necare Livius; verberibus et telo necare Ulpianus; Seneca ferro ac fulminibus occidere.

NECESSARII dicuntur ii, quibus carere non possumus, *familiares*, qui multum nobiscum sunt.

NECESSITAS est vis quaepiam premens et urgens, seu vis quaedam, quae nos cogit ad aliquid moliendum vel faciendum. *Necessitudo* (1) autem dicitur ius quoddam et vinculum affinitatis familiaritatisque; (conf. Doleti phrases seu formul. eleg. LL. fol. 108. fac. a. col. 2) unde *necessarii* appellantur. Sallust. Iug. LXXX: Etiam antea Iugurthae filia Bocchi nupserat. Verum ea *necessitudo* apud Numidas Maurosque levis ducitur. Interdum tamen *necessitas* pro necessitudine usurpatur. Caesar pro lege Plautia apud Gell. XIII. 3: Equidem mihi videor pro nostra *necessitate* non labore, non opera, non industria defuisse. Cic. pro Sulla I: Si nostram accusatione sua *necessitatem familiaritatemque* violasset. Rursus *necessitudinem* pro *necessitate* frequenter usurpat Sallustius, idque antiquorum more, qui duplici terminatione multa nomina protulerunt, ut acerbitas, claritas, sanctitas, acerbitudo, claritudo, sanctitudo. Unde Gellius putavit, haec duo verba idem significare, neque ulla re aliqua differre. In quo sane illi assentior. Ex usu enim antiquitatis, ut dixi, *neces-*

(1) *Necessitudo* dicitur pro eo, quod necessum est, *necessitas* pro iure officioque observantiae affinitatisque. A. Gell. R.

Digitized by Google

situdo pro *necessitate* usurpatur, non quod eadem sunt; et *necessitas* pro *necessitudine* rarum et infrequens est, nec debet trahi ad exemplum, quod Cicero aut Caesar semel dixerunt

NECESSITVDO vel sanguinis vel meritorum, cum praeceptoribus, cum amicis; *Necessitas* immutabilis res est, ut mori *necessitatis* est. Front.

NEFANDVM est non fandum; *Nefarium*, quod sacra polluit, farre pio solita celebrari. Ergo nefarii sacrilegi. Ascon. Paedian. R.

NEFAS est in Deos; *Impietas* vero in parentes atque patriam. Sed hanc differentiam non ubique praestari, Goclenius loc. cit. p. 239. affirmat. H.

NEGOTIATOR erat, qui vel foenus exerceret in provinciis, vel esset ibi pecuarius aut arator, civis romanus. *Mercator* qui merces emeret ac venderet. R. Vid. I. A. Ernesti de negotiationibus romanis disput. Lips. 1737. V. *Mercator*.

NEMO de persona semper dicitur, ut *nemo* homo. *Nullus* tam de re, quam de persona, et est universalis negativa et omnia excludit. Leg. Strauchius loc. alias alleg. p. 147. col. b. Sed *nonnemo* est aliquis, seu quispiam. Quod exemplorum probationem non desiderat. Front.

NEMVS *V.* LVCVS.

NEPOS est qui ex filio vel filia natus est, quique a Gallis dicitur *petit fils*. Differt a *filio fratris* vel *sororis*, quem Itali appellant *nipote*. TH. VALL.

NESCIO prorsus cuncta; sed *ignoro* aliquid. H.

NIHIL adverbium; *nihili* nomen est. Huius oppositum est frugi. Sed *nihili* est, qui non hili, h. e. cuiusvis est minimi. Est autem hilum proprie medius volae scrobiculus. *Illud* si dicas, quantitatem notas; sin *hoc*, mores. Sosip.

NIMBI et IMBRES dicuntur repentinae et praecipites pluviae quae summa cadunt vi et cito desinunt. Nimbus interdum quoque vasis est genus, quo vina, unguenta et alii liquores funduntur. Inde Martialis Epigr. XIV. 112: Ab Iove qui veniet, miscenda ad pocula largas Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit. *Pluvias* ipsas vocamus lentas et iuges, quae non effuse ingruunt, sed durant tamen diutius, vel aquae e caelo guttatim missae distillationem. V. *Imber*.

Digitized by Google

Nisvs ingenio, *nixus* corpore. H.

Niti est conari, et labore contendere, seu re aliqua, inclinando in illam, sese fulcire, nixu virium seu sub onere aliquid conari. Virg. Georg. III. 172: Valido nitens sub pondere faginus axis Instrepat. *Obniti* est contra adversa et difficilia luctari et obfirmari, quod plus est. Liv. XXXIV. 46: Scutis corporibusque ipsis *obnixi* urgebant.

Nobilis nobilitate rerum; *Generosus*, qui Graecis γενναῖος appellatur. Ita *hic* ex generatione; *ille* ex re est. *Nobilis* etiam in malam partem sumi, docet Valla Elegant. v. 35. 359. quando nempe in ordine meretricio quasi excellens, vel maxime inter alia notum, nobile scortum dicitur. Ceterum inter simpliciter nobiles et equites hanc dari differentiam, Ioann. Limnaeus de Iur. Publ. Imp. Rom. lib. VI. cap. 2. n. 9. tom. 2. tradit, quod ex ignobili quis *nobilis*, at non ex ignobili eques possit fieri.

Nocens a *nefario* et *impio* distat, ita ut *nocens* levius videri possit. Cic. Off. III. 14: Nec tamen ut hoc fugiendum est; ita habendum est religioni, *nocentem* aliquando, modo ne *nefarium impiumque*, defendere. Non.

Nocens est detrimentum dans; *Nefarium*, quod ne fari quidem licet. Si non melius, distinctius tamen Hildebrandus ad h. l. *Nocens* est, qui in hominem; *impius* et *nefarius*, qui in patriam et parentes delinquit. *Nefarius* proprie est, cuius tam grave scelus est, ut ne ad far quidem, i. e. ad sacrificia admittatur. Sacrificia enim non fiebant sine mola salsa, i. e. farre tosto cum sale. Heckelius confundit *nefarium* cum *nefando*. *Nefandum* enim ex Asconio notat non fandum, sed *nefarium*, quod sacra farre peragenda polluit.

Nocere videtur levius, quam *iniuriam facere*. Cic. de Fin. III. 71: Alienum esse a sapiente non modo iniuriam cui facere, verum etiam nocere; v. Vavassor. antibarb.

Nocte partem; *Noctu* totum dicimus. *Hoc* temporis est adverbium; *illud* nomen. Sic *noctu* dicimus coenavi, et hac *nocte* nihil brevius. H.

Nomen est, quod quisque proprium et certum habet, ut Cicero, Roma; derivatur autem a nosco, quia per id, quicquid nominamus, agnoscitur. Grammatici nomen definiunt,

Digitized by Google

quod significat substantiam, vel qualitatem propriam, vel communem cum casu. Apud Ictos *nomen* idem, quod debitum esse ex Gifanii Observ. LL. p. 347. constat. *Vocabulum* est, cuius significatio est communis, ut homo, urbs. Varro de LL. VII. 23: Vocabula quae a nominibus oriuntur, si a similibus nominibus similia esse debent, dicemus, quoniam gemina sunt, Parma, Alba, Roma, Parmenses, Albenses, Romenses. Id. IX. 1: Non enim idem oppidum, et Roma, cum oppidum sit vocabulum, Roma nomen.

NOMINATIO nominat, quem appellat; sic datur apud politicos et Ictos nominatio ad munera, quae ipsam creationem denotat; ut et nominator, qui aliquem ad magistratum, tutelam, aliudve munus publicum nominavit. Vid. Schardii Lexicon Iuridicum p. 625. *Appellatio* appellantis vox est in ministerio, et appellat ad potentiorem propter iniuriam, ut, cum invocat auxilium magistratus, vel cum pecuniam reposcit. R. Quotuplex autem in iure sit appellatio, docet idem Schardius loc. iam cit. p. 92. col. b. Front.

NOTARE inter et ANIMADVERTERE obtinet discrimen. Saepius quidem hic poni videntur ut *ἰσοδύναμα*, sed si curatius attendimus, datur differentia. Cic. de Or. II. 8: Non est dubium, quin, si quis *animadverterit*, quid sit, quare alii melius, quam alii dicant, id possit *notare*. Id. Off. III. 31: *Notationes animadversionesque* morum; v. Vavass. antib. p. 566. In priori exemplo *animadvertere* est attendere, *notare* autem observare; in posteriori distinguitur notatio, aut potius nota ab animadversione tamquam poenae diversae. De notatione ita Ulp. V. D de iure iudic.: Ait praetor, cuius de ea re iurisdictio est. Melius scripsisset, cuius ea de re notatio est. Etenim notationis nomen etiam ad eos pertinet, qui iurisdictionem non habent, sed habent de quavis alia causa cognitionem; v. Gronov. ad Liv. XXVII. 25. Animadversio saepe eadem est cum nota censoria, sed adhibetur etiam de poena proprie. Erat autem *animadversio* et lenior, quae ignominiam tantum inussit, et gravior, quae detrimentum intulit. *Notatio* reperitur de iudicio iudicis; *notare* vero et *nota* significationem reprehendendi et ignominia quadam afficiendi habent. Paucis si res expedienda est, animadversio interdum

Digitized by Google

gravior est nota. Dicitur enim etiam de poena capitali a Iustiniano in Instit. sub finem.

NOSCERE *V.* SCIMVS.

NOTAT vel locum quis, vel personam, vel noxiam; *annotat*, qui notae (1) quid adiicit. Sic notarius notat res notabiles, iisque alias notatu dignas subinde annotat et subnotat. Comenius.

NOTHVS appellatur, qui ex concubina, non ex uxore legitima natus est, sed patrem certum habet. Latini recentiores vocant naturalem filium, quia sine legitimo matrimonio tantum naturae coniunctione nascitur. *Spurius* est, qui patre incerto aut illicito genitus est, veluti ex scortatione, adulterio, stupro, vel incesto: quasi σποράδην id est passim, et vulgo conceptus, vel ab illa muliebri parte, qua mater illum in lucem edidit, quam veteres spurium dicebant ἀπὸ τῆς σπορᾶς, ut scribunt Plutarchus et Isidorus. Cum enim pater ignoretur, aut is sit, quem habere non licet, mater autem semper certa sit, filius dicitur *spurius* aut spurii filius, a muliebri parte matris. Quint. III. 6: Νόθον qui non sit legitimus, Graeci vocant; latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam testatus est, non habemus; ideoque utimur peregrino. Leg. Perotti Cornucopiae Epigr. I. c. 68. lin. 56. seq. Modestinus Pandectarum D. de Statu Hom. I. 23: Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet; qui et *spurii* appellantur. Caeterum critici circa hanc differentiam mire variant, quo de multa affert Aeg. Menagius in amoenit. iur. civ. c. 39. p. 357. s.

NOVISSIMVM ordinis; *ultimum* orbis. Alias *novissimum* est ultimo factum; *Ultimum* quod est maxime ultra. An autem aliquid sit ulterius, et quidnam tandem *ultimum*, ex mente Comenii minime possumus assequi. Fronto.

NOVVM est, quod nunc primum accidit, seu nunc demum

(1) Est autem *nota* proprie signum, quo aliquid notatur et designatur. Sed quoniam turpitudine aliqua affecti, noti plerumque esse solent, apud Latinos vulgare est, ut *nota* in malam partem etiam capiatur, et, scribente Doleto loc. alleg. fol. 111. col. 1, labem turpitudinemque significet.

Digitized by Google

est factum. Necesse enim est, res novas nasci, quia decedunt veteres. Sic novos etiam dicimus, quorum nulli maiores clari fuere, sed ipsi per se ipsos clari esse incipiunt. et in civitate consequuntur magistratus. *Recens* quod nuper; ut lex *nova*, quae primum perfertur; eadem *recens*, quia non diu ante fuit lata. *Novum* ad rem; *recens* ad tempus pertinet. Cic. pro Flacco VI: Memineritis, quarum rerum invidia, lege hac *recenti* et *nova*, certus est inquisitioni comitum numerus constitutus. Id. ad Brutum: Hanc ipsam *recentem novam* devoravit. Iuv. Sat. II. 102: Res memoranda novis annalibus atque recenti Historia.

Noxa (1) est corpus, quod nocuit, *noxia* ipsum maleficium inquit Iustinianus imperator Institutionum IV. tit. 8., in quem Valla (2) graviter invehitur, putatque ineptum esse, *noxam* appellare ipsum corpus, quod deliquit. Contra contendunt interpretes iuris, recte Iustinianum dixisse, *noxam* servum, qui *noxam* fecit, quia a nocendo formatur *noxa*; quae tamen ratio parum firma est, cum ab eadem quoque origine sit *noxia*. Melius, ut mihi quidem videtur, opposuissent, *noxam* duplici significatu dixisse iuris auctores, sicuti dicuntur operae, et actiones et homines, qui agunt, carcer et ergastulum, loca custodiae et vincti, qui in illis custodiuntur. Sed omnino illa *noxiae* significatio, quam Iustinianus tradit, non est in communi latini sermonis usu. Itaque vera et propria horum vocabulorum differentia est, quod *noxa* (3) generale nomen est, quo omne id, quod nocet, intelligitur, tam culpa, quam laesio, vel poena. *Noxia* tantum significat maleficium et peccatum. Unde formulae illae loquendi: *Noxam* sarcire, pro damnum

(1) *Noxa* enim plane etiam maleficium et peccatum qualecumque denotat, non modo in iure nostro (L. XLV. § 1. D. de Leg. I. l. 4. et l. 32. D. de Noxal. Act.) sed in duodecim tabulis, ut testatur L. 238. fin. D. de Verb. Sign.; quamvis eo loco multae editiones *noxae*, *noxiae* praeferant. R.

(2) Hic Elegant. lib. VI. cap. 35. p. 446. Servium frustra reprehendit, quod *noxiam* pro culpa positam esse dixerit. Forte Valla noster, alioquin vir doctissimus, Plautum aliosque plures ex antiquis non legit, qui multis in locis vocabulum hocce in eum sensum usurpant.

(3) *Noxa* poena est, *noxia* culpa. Fronto. R.

Digitized by Google

sarcire; *noxae* vel in *noxam* dedere, id est, animal mancipiumve vivum tradere poenae pro damno dato: Noxis solvi et solutum esse, pro carere delicto, ob quod possit noxali iudicio agi. Item *noxiam* committere, id est damnum dare, et aestimatio *noxiae*; quae omnia in iurisconsultorum libris passim sese offerunt.

Noxa peccatum leve. Virg. Aen. I. 41: Unius ob *noxam* et furias. *Nóxia*, nocentia, Virg. Aen. VII. 326: Iraeque et crimina *noxia* cordi. Non. R.

Nvces dicuntur omnia, quae foris corio duriore teguntur et intus habent quod est esui, ut, avellanae, iuglandes, castaneae, amygdala; *Poma* (1) vero sunt, quae foris habent quod edendo est, et durum intus includunt, ut tradunt Macrobius et Servius. Quo pertinet dictum Cascelli iurisconsulti qui, Vatinio gladiatorium munus edente, cum ab aedilibus edictum esset, ne quis in arenam, nisi *pomum* mitteret, consultus a quodam, an *nux* pinea *pomum* esset? respondit: Si in Vatinium missurus es, *pomum* est. Nam alioquin proprie non erat *pomum*. Frequenter tamen *pomi* nomen generale est, quo continetur omnis fructus arborum esui aptus, sive molli corio tegatur, sive duro. Qua ratione *nuces*, ficos, et uvas escarias *poma* esse iurisconsulti scribunt, et Plinius HN. XV. 24: *poma* vocat *nuces* iuglandes; Palladius castaneas: Proceras fagos, et *poma* hirsuta virentis Castaneae. Item ficus, Se quoque miratur pingui grandescere succo, Et solitum gaudent vincere *poma* modum.

Nvmervs et Modvs non sunt synonima. Hor. Ep. ad Pis. 244: Accessit numerisque modisque licentia maior. Evidentiorem differentiam constituit Cic. Orat. XX: Quidquid sub aurium mensuram aliquam cadit, numerus vocatur, etiamsi absit a versu. *Modus* aestimatur sono et intervallo vocum et concentu. Ab aliis autem modos numerosque non pro diversis haberi, passim occurrit. Ita harmonia vel concentus phrygius per numeros exprimitur. Lucret. II. 620: Et phry-

(1) Hoc vocabulum derivatur a nonnullis ἀπὸ τοῦ πώματος, h. e. potione, quoniam ex omnibus ferme *pomis* potiones possunt fieri, et fiebant quoque antiquitus.

Digitized by Google

gio stimulat numero cava tibia mentes. Propertius II. 22. 16: Et Phrygis insanos caeditur ad numeros? Tibullus I. 4. 70: Et secet ad phrygios vilia membra modos. Ovid. Fast. IV. 214: Tibia dat phrygios, ut dedit ante modos. Sed quis nescit, poëtas ob metrum differentias vocum saepe negligere? v. Bartholinus de tibiis p. 117. s.

NVMERVS et PES (ῥυθμὸς, μέτρον) quid differant, docet Quintil. IX. 4: Nempe *rhythmi* spatio temporum constant; *metra* etiam ordine, v. c. dactylus semper habet primam longam, *numerus* autem etiam tertiam. Itaque omnis pes est *numerus*, non autem omnis *numerus* etiam pes. Quod tenendum est propterea quod interdum numeri manifeste ponuntur pro pedibus.

NVMMVS est materia forma publica (1) percussa, cuius vis ex imposita aestimatione constat. *Pecuniae* vero appellatione nummi continentur, et hoc amplius omnes res sive mobiles, sive soli, et tam iura quam corpora, ut tradunt iuris auctores, in se habent. Augustinus de Discipl. Christian.: Quidquid homines possident in terra, omnia, quorum domini sunt, *pecunia* vocatur, servus sit, vas, ager, arbor, pecus. Et ideo *pecunia* quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus ponebant.

NVNCIATVR (2) de longinquo, *denunciatur* de praesenti, *renunciatur* de excusando et repudiando. Cic. Verr. II. 6: *Renunciata* est tota conditio. *Obnunciatur* mala res; *Annunciatur* bona, sed futura. Donat. et Agr.

(1) Et quidem ad rerum praeclare gestarum memoriam, quemadmodum scribit Brissonius de Formul. IV. p. 354. Et tales *nummos* curiose ac studiose adhibita explicatione, iampridem exhibuere Octavius de Strada a Rosberg, Ezechiel Spanhemius et Carolus meus Patinus, Viri sane digni, ut Iovis atque Minervae epulis quotidie intersint.

(2) *Nunciare* est rem nunc gestam significare. Sic, loquente Comenio, est *nuncius* is, qui aliunde quid *nunciat*, laetum *nuncium* hilariter *annuncians*, tristem dolenter *obnuncians*. *Praenuncius praenunciat* aliquid nondum factum; *Renuncius* affert, quod alter *renunciavit*; *Internuncius* ab altero ad alterum transmeando *internunciat*. Iudex *pronunciat* sententiam, reoque *denunciat* poenam, sed arcana reipublicae non *enunciat*: quandoque officium iudicis *renunciat*, atque tum in locum eius *renunciatur* alius.

Digitized by Google

oro. Id. Iug. LVIII: Lacrumans per amicitiam perque rempublicam *obsecrat*. Ter. Andr. II. 1. 12: Ipsum hunc *orabo*; huic *supplicabo*.

OBSEQVIVM assentatoris est, *veritas* amici. Donat. R.

OBTINEMVS nondum nostra; *Retinemus* quae nostra sunt. *Obtinemus*, quae aliorum potestate in periculum vocari possunt; *Retinemus* ea, quae perire non possunt, nisi nostra voluntate, itaque in illo maior est difficultas. R. Goclenius l. c. p. 219. H.

OBTRECTO, DETRAHO differunt. *Obtrecto* significat, ut ait Festus, contra alienam sententiam tractare seu maledicere. Erasmus: *Obtrectat*, qui obloquitur, qui male praedicat de alio. *Detrahit*, qui minuit laudem alicuius; v. Gesn. thes. v. *obtrecto*.

OCCASIO respicit solum tempus ad rem perficiendam idoneum, et est, Cicerone loquente, ipsa tempestivitas; *Facultas* vero omnia instrumenta obtinet et adiumenta. Goclen. H.

OCCIDERE ob caedem dictum est, *interficere* et *perimere* prisca sunt, *iugulare* ob iugulum, *necare* a nece, *interficere* a facto, *perimere* ab emtione, quasi iure tollere. Paed. R

OCCVLTE latent, *clam* caelant: alteri non prodere, alteri caelare habitui naturali inest. Front. R.

OCVLISSIMVM, CHARISSIMVM. Plaut. Curc. I. 1. 17: *Oculissimum* ostium. *Oculatum* pro praesenti posuit idem Plautus cum dixit: *Oculata* die. Id. Truc. II. 6. 8: Pluris est *oculatus* testis unus, quam auriti decem, id est, qui se vidisse dicat. *Oculitus* quoque dicitur, ut funditus, penitus, quo significatur, tam charum esse quam oculum. Fest. R.

ODIVM et DISSIDIVM distant, quia *illud* hostile, *hoc* civile est. Distinguit ita Cic. pro Ligar. VI: Secessionem tu illam existimasti, Caesar, initio non bellum, non hostile odium, sed civile dissidium. *Odium* inveterata ira constat, non dissidium. *Odium* apertum est, *simultas* occulta et obscura. Sed non dissimulamus, hoc non esse perpetuum. Nam *simultas* etiam de apertis inimicitiis usurpatur a Ciceronianis non raro. Goclen. R.

ODOR obiecti est, v. g. gratus vini odor; *odoratus* subiecti, hominis, qui olfacit.

Digitized by Google

ODORVM est, quod ex se odorem mittit, ut *odora* viola. *Odoratum*, quod aliunde accipit odorem, ut templum *odoratum*. Serv. Martial. VI. 8. 5: Tantus veris honos, et *odorae* gratia Florae. Confunduntur tamen haec interdum, et *odoratum* idem est quod *odorum*. Virg. Georg. III. 414: Disce et *odoratam* stabulis accendere cedrum. Id. Aen. VI. 658: Inter *odoratum* lauri nemus. Interdum tamen, in primis apud poetas, odorum etiam est, quod *odorem* aliunde accipit, v. c. Virg. *odora* canum vis, idest vis canum, quae pervestigat aliquid et *odoratur*.

OFFERIMVS non merentibus, *reddimus* merentibus. Donat. R.

OFFICINA est locus, in quo artifices opera faciunt; *Apotheca* est repositorium, ubi res conditae adservantur; italice: *magazzino*; *Taberna* (1), ubi opera vel merces venduntur, cui, qui praeest, institor vocatur, ut magister officinae, etsi eadem esse potest *officina* et *taberna*, ut, sutrina. R. Conf. Vallae Elegant. IV, qui simul negat, hanc differentiam esse perpetuam, cap. 44. p. 283, et ex eo Goclenii observat. LL. p. 239. Sic dicitur *officina* pictoris, statuarii, fabri, sutoris et aliorum opificum: *taberna* vero argentaria, vinaria, ferraria, cauponaria, et similes, quae in libris Iurisconsultorum passim nominantur. Paulus Sententiar. D. de Fund. instr. VII. et XIII. 2. Quod cum discipulis eorum, qui *officinis* vel *tabernis* praesunt, contractum est, in magistros, vel institores, in solidum actio datur. Quamquam illi ipsi Iurisconsulti D. de Verb. sign. CLXXXIII. *Tabernae* appellatione intelligunt omne aedificium, quod est utile ad habitandum vel commorandum, auctore Ulp. Sic Catullus carm. XXXVII. 10: Frontem *tabernae* scipionibus scribam.

OFFICIVM est voluntarium et semper cum ratione et mente coniunctum; *Studium* est voluntatis, at non affectionis, carens plerumque ratione. Labore corpus ipsum defatigatur. H.

OFFICIVM (2) maius est, quam *studium*, quod est voluntas

(1) *Tabernas* alicubi accipit Cicero pro officinis, in quibus operarii conducti opera faciunt. R.

(2) *Officium*, ab efficiendo, ab eo, quod quaeritur quid efficere in eo unumquemque conveniat, pro conditione personae. Donat. R.

Digitized by Google

pro Flacco XXXVIII: *Operae* facessant, servilia sileant. Sed iurisconsulti frequenter *operas* actiones et ministeria vocant in titulo, quem de operis libertorum fecerunt, atque etiam ipse Cic. Off. III: Pleraque sunt hominum *operis* effecta. Et alibi: *Operas* in scriptura pro magistro dat. Itaque puto rectius dici de actione *operam* et *operas*, de personis *operas* tantum. V. *Opus*.

Opes num. plur. divitias et potentiam significat; num. singul. auxilium; utroque numero possibilitatem omnemque conatum. *Opem* quando dicimus, nympham significamus: si autem dicimus *opem*, auxilium; cui enim *opes* sunt, is facile potest *opem* ferre. *Opes* num. plur. etiam auxilia et census accipimus. Nam Ops (1) Terra est uxor Saturni, quam Graeci Rheam vocant. Serv.

Opinamur, quae putamus; quae *putamus*, incerta sunt. Donat. R.

Opinio hominem suspectum, vel gratiosum facit; *fama* vel commendat, vel destruit. *Opinio* ostendit; *fama* indicat; *rumor* tumultuatur.

Oportet (2) et Opvs minus sunt; *Necesse* plus. Porro *oportet* instar speciei se habet; *licet* est genus. Sed *decet* convenit personis et temporibus. Goclen. H.

Opvs est quod fit operando. Italice: *lavoro*. *Opera*, quod uno die quis in agro operatur. Italice: *una giornata di lavoro*. Cat. De re rust. II: Ad rationem *operum operarumque* villicum revoca. Nos: *Chiama il castaldo a far il conto dei lavori fatti, e delle giornate in essi impiegate*. Th. Vall.

Oppidvm minus est et vilius; *Urbs* nobilior; dicitur enim *oppidum* muris et fossis cinctum seu locus urbatus, ab antiquo *urbare*, quod idem est atque arare. Aratro enim civitatis

(1) *Ops* antiquis multitudo est, et ponitur non solum pro opem ferente, sed et pro opulento. Unde inops et cops pro coops. Vid. Laurenbergii Antiquar. p. 311. col. b.

(2) *Oportet* declarat perfectionem officii, ut: praemia virtutis *oportet* esse sancta et casta, i. e. inviolata. Cicero. *Licet* dicitur id, quod legibus et iure permittitur. Goclen. *Oportet* est, quod rationi, honestati; *licet* quod legibus et iuri scripto est consentaneum. R.

Digitized by Google

muros antiqui solebant describere. Unde metropolis *urbs* et κατ' ἐξοχήν Roma dicitur *urbs*. Svet. Aug. LIII: *Urbe oppidove* ullo egressus. Confunduntur tamen haec duo ab optimis scriptoribus non semel, neque ulla re aliqua differunt, nisi etymologia. Cic. de Leg. I: Eiusmodi coniunctionem tectorum, *oppidum* vel *urbem* appellarunt. Id. de Div. I: Pheras venisse, quae erat *urbs* in Thessalia tum admodum nobilis, in eo igitur *oppido*. Varro de LL. IV: Quare et *oppida*, quae prius circumducta aratro ab orbe et urvo *urbes*. Sulpitius ad Ciceronem de Corintho, Aegino et Megara: Quae *oppida* quodam tempore florentissima fuerunt.

OPPORTVNE dicimus, quum, verbi gratia, invitati ad ipsum tempus incipientis prandii venimus. *In ipso tempore*, quum iam prandio apposito. Donat. R.

ORA et ORAE licet paria esse videantur, tamen, ut genere, ita intellectu distant. Nam quoties neutrius est generis, vultus vel facies nostra significatur. Virg. Aen. XII. 373: *Ora* citatorum dextra detorsit equorum. Quoties foeminini, cuiuslibet rei fines. Virg. Aen. I. 307: Exire locosque Explorare novos, quas vento accesserit *oras*. Non. R.

ORATIO (1) est, quae copiose, graviter et ornate rem exponit; *Sermo* (2) est oratio remissa et finitima quotidianae locutioni; vel ut Servius definit, *sermo* est consertio orationis et confabulatio duorum vel plurium, a ferendo dictus. Unde et pro familiari colloquio et fabulatione sumitur, ut quod Plaut. in Sticho IV. 1. 71. dixit, lupus est in *sermone*, hoc Ter. Eun. IV. 1. 21. dixit, lupus est in *fabula*. *Sermo* omnium gentium est, *loquela* dialectus cuilibet genti propria. *Concio* est, quae in magno conventu adfectus concitare studet, et genus, quod vocant rhetores deliberativum, in primis sequitur.

(1) Grammatici *orationem* vocant congruam dictionum ordinationem, quae perfectam habeat sententiam.

(2) Utpote qui a compositis et simul contextis verbis sic dicitur. Notandum autem, *orationem* magis ad oratorem pertinere, quoniam ex omni parte perfecta est, dum numeros, figuras atque affectus habet; *Sermonem* vero magis ad philosophum. Leg. Perotti Cornucop. col. 1043.

Digitized by Google

Oratio in sensu est, *stilus* in verbis. *Oratio* ad res refertur, *stilus* ad verba. *Stilus* non est in tempore, sed prolata oratione; *oratio* est et in cognitione et in prolatu. Donat. Id. *Orationem* in sententiis dicunt esse, *stilum* in verbis, *argumentum* in rebus. Ter. Andr. Prol. xii: Dissimili oratione sunt factae ac stilo. Vulgo cum Donato ita distinguit interpretum chorus, ut oratio notet διάνοιαν, stilus λέξιν. Cic. Brut. xlv: Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene attico stilo scriptae esse videantur. Phaedr. Prol. iii. 29: Librum exarabo tertium Aesopi stilo. Possit tamen et hendiadys videri ut sensus sit, dissimili oratione sunt scriptae. Sic Terent. Phorm. Prol. v: Tenui esse oratione et scriptura levi; v. Westerhovius ad Ter. locum supra allatum.

Orator est, qui in causis publicis et privatis perfecta utitur eloquentia, seu qui in iudiciis vel in concionibus causas agit. Proprie autem is est *orator*, qui aliquid rogat, cuius foemininum *oratrix*. *Oratorem* etiam legatum designare, Carolus Paschalius in Legato cap. 2. p. 7. seq. testatur. Conf. Schardii Lexic. Iurid. p. 657. loc. b. *Exorator* (1), qui aliquid impetravit, qui artem eloquentiae profitetur; *declamator*, qui aut docendi alios, aut se exercendi gratia fictam causam privatim agit, ut possit veram publice orare. *Rhetor*, qui rhetoricam profitetur. Aliquando tamen, ut quidem semper apud Graecos, *rhetor* accipitur pro oratore, vel declamatore. Valla iv. c. 81. Cic. de Nat. Deor. ii: Ego, inquit, incautus, qui cum academico et eodem *rhetore* congredi conatus sum. Nam neque indisertum academicum pertimuissem, neque sine ista philosophia *rhetorem*, quamvis eloquentem.

Ordinatio simplex est; *Dispositio* vaga. C. Front.

Ordo vel bonorum vel malorum dicitur: *Grex* vel bonorum vel malorum et levium est. Cic. Cat. ii. 10: In his *gregibus* omnes aleatores, omnes impuri impudicique versantur. Donat. R.

Oro est plus, quam *rogo*; *obsecro* plus, quam *oro*; *obtestor* plus, quam *obsecro*; *ambio* magna. V. *Obsecro*. R.

(1) *Orator* est, cui causa defendenda mandatur; *exorator* iam effecti significationem habet. Donat. R.

Digitized by Google

ORTVS est natus; *Oriundus* et *prognatus* originem ducens; et prior quidem refertur praesertim ad locum; posterior ad personas. Conrad. in parergis p. 490. Alciatus monuit, distinguendum esse inter oriundum et ortum, ut ille dicatur respectu originis maiorum suorum, hic respectu suae; ideoque non sit provincialis, qui genus e provincia duxit, ipse vero extra illam provinciam natus est. Sicut Liv. XXIV. 6. ait: Nati Carthagine, oriundi Syracusis. Caes. B. G. II. 29: Ipsi erant ex Cimbris Teutonisque *prognati*. Verum Guil. Fornerius subtilem hanc differentiam iuris auctores promiscue usurpando sustulisse, contendit, conf. Gesn. thes. v. *oriundus*. H.

OSCINES et PRAEPETES differunt. Quaedam enim aves ore, quaedam volatu auspicium faciunt. Quae ore, *oscines* dicebantur, auctore Varrone de LL. v. 7.; quae alis et volatu, alites et *praepetes*. De quibus Festus et Servius. *Aves, inquit, aut* oscines, *aut* praepetes *sunt*. Oscines, *quae futura praedicunt*; praepetes, *quae volatu augurium significant, et quidem prosperum*. Praepetes autem quidam dictas volunt, quod secundum auspicium ferrent praevolando, seque ante augurem ferendo: alii quod ante indicarent, quam peteretur: alii, quod praetervolarent. V. Caroli animadv. in Gellium p. 338.

OSCVLVM est officii, ut cum advenientes discedentesve salutamus atque osculamur; vel religionis, ut Virg. Aen. II. 490: Amplexaeque tenent postes, atque *oscula* figunt. Tib. I. 2. 86: Et dare sacratis *oscula* liminibus. *Suavium* vero est amoris furtivi et illiciti, et libidinis. Unde et pro amoribus dicunt comici, meum *suavium*; ut apud Graecos φίλημα simul et *osculum* et amores significat. Varro de Vita populi rom. Itaque hoc ab ore dicitur *osculum*: hoc a suavitate *suavium*, quod simile sit suavitati. *Basia* pudicorum affectuum, et piorum coniugum. Donat. R.

OSSA HOMINIS MORTVI LEGERE et OSSA HOMINI MORTVO LEGERE quod differant, ex Rosino cognoscimus, in quo ad leg. 6. p. 1. legg. 12 tab. (homini mortuo ne *ossa* legito, quo post funus facias, extra quam si belli endove hostico mortuus escit), ita commentatum reperimus: Legis sententia haec est, ut posteaquam crematum corpus esset, *ossa* e cineribus legantur, statimque loco proximo in terram condantur, ne, si alium

Digitized by Google

in locum sepeliendi causa deportarentur, luctus duplicaretur et sumtus. Excipitur autem hac lege, si quis aut in militia, aut peregre sit mortuus, ut scilicet fieri ei funus non licuerit; tum enim neque luctus, neque sumtus augetur. Itaque et in pandectis is sumtus funeris probatur, quum peregre mortuus in suum transfertur. Aliter tamen iam interpretatur, et verius quidem, Iac. Raevardus, quum ita scribit: Multum interesse puto inter *ossa homini mortuo legere*, et inter *ossa hominis mortui legere*. Nam *ossa hominis* quae dispersa sunt et non cohaerent, quum simul colliguntur, tunc *hominis ossa legi* dicuntur. Sen. de Ira II: Dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere. Sed *homini mortuo leguntur ossa*, quum eius cadaveri aliqua *ossa* adimuntur; eoque sensu vivis *ossa legere* dixit idem Sen. de Consol. Legere quidem pro adimere et auferre veteres dixisse non est obscurum, si consideremus, eum dicendum esse sacrilegum, qui adimit, qui aufert res Deo consecratas. Pertinet autem lex ad hunc morem fortasse, de quo Festus scribit, membrum mortuo abscindi solitum dici, quum digitus eius decidebatur, ad quod servatum iusta fierent, reliquo corpore combusto, id quod hac lege decemviri prohibuerunt, nisi quis aut peregre, aut in bello mortuus esset. Tum enim permiserunt et *ossa legi*, quod post funus fiat, hoc est membrum aliquod adimi, ad quod servatum iusta Romae fierent, reliquo corpore apud peregrinos combusto. Rosin. l. c. p. 564.

Ostentvm (D. de Verb. Sign. XXXVIII. 135.) est, quod praeter consuetudinem apparet, veluti si videatur caelum ardere aut spectrum aliquod se ostendat; *Portentum*, quod porro et diutius tendit, futurumque aliquid postea indicat; ut ululatus canum, statuarum deiectiones; *Prodigium* (quod mores faciunt, Corn. Front.) quodcumque ante praedicit detrimentum; *Monstrum*, quod contra naturam est, et eo monet futura, ut homo tripes, minotaurus (1). Cic. de N. Deor. II. 3: Prae-

(1) Perottus in Cornucopiae epigr. II. col. 196. lin. 28. seq. quatuor haec nomina inter se sic differre dicit, ut *ostentum* statim futurum aliquid indicet, qualia sunt sereno die facta tonitrua, cometae, mulae partus et similia. Leg. Doleti phrases, et form. LL. eleg. fol. 121. fac. a. col. 1. *Portentum*, licet naturale sit, raro ta-

Digitized by Google

dictiones vero, et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant nisi hominibus, ea quae sint, ostendi, monstrari, praedici. Ex quo illa *ostenta, monstra, portenta* et *prodigia* dicuntur. Est tamen interdum, ut priora duo latius accipiantur, et *ostentum* significet omne contra naturam cuiusque rei factum genitumve; *portentum* quicquid mirum et inusitatum evenit. In *ostento* raritas admirationem facit; in *monstro* rectus ordo naturae vertitur; in *portento* differtur eventus, in *prodigio* detrimentum significatur. Lucil: Sat. xv. p. 171. Multa homines *portenta* in Homero versificata *Monstra* putant, quorum imprimis Polyphemus.

Otiosvm esse et Nihil agere differunt. Plin. Ep. I. 9: Satius est, *otiosum esse*, quam *nihil agere*. Cic. Phil. xI. 8: *Otioso* vero, et *nihil agenti* privato, quando imperium senatus dedit? *Otiosum esse* proprie notat ab ordinario ac molesto labore interquiescere, et vel musis, vel aliis iucundis rebus operam dare; *nihil agere* vero tempus sine ullo labore, sive molesto, sive iucundo, transigere. Plinii locum ita interpretatur Gesnerus in thes. voce *otiosus*: Bonis litteris vacare nullis negotiis molestis impeditum, melius est quam frustra et nequidquam occupari, movere, sed nihil promovere; conf. Dornmeier de vitios. Cic. imit. § 47.

Ovare minus erat, quam *triumphare*. Nam si bellum quod iam confectum est, non fuisset ab initio hostibus indictum, aut sine sanguine confectum, non dabatur *triumphus*, sed tantum *ovabant*. Plaut. Bacch. iv. 9. 146 - 150. Vid. etiam Alex. ab Alex. vI. cap. 17. R.

Ovile et Septa eamdem rem notant, et pro synonymis habentur. Servius ad Virg. Ecl. I. 74. ita: Septa *proprie sunt loca in campo martio inclusa tabulatis, in quibus stans populus*

men se ostendit et futurum aliquid cum temporis intervallo denunciat. Ideoque aliquando etiam pro re inani, falsa atque ridicula ponitur. *Prodigium*, etsi et naturaliter fit, atque persaepe evenit; semper tamen mali quid praesagit. Quapropter et prodigium quidam dictum volunt quasi porro agendum. *Monstrum* proprie fit contra naturam, ut si homo cum bruti capite pedibusve nascatur, quae et praemonstra aliquando dicuntur, quasi porro aliquid monstrantia, sive monentia.

Digitized by Google

romanus suffragia ferre consueverat. Sed quoniam haec septa similia sunt ovilibus, duo haec invicem pro se ponuntur, ut hoc loco Virgilius septa *pro* ovilibus *posuit.* Sunt tamen qui tueantur, locum suffragiorum in campo martio diversa ratione modo ovile, modo septa dici. *Ovilis* nomine gaudebat, quod inclusus erat tabulatis. Idem septorum nomen habebat, ex quo septis erat circumdatus marmoreis, de quibus Cic. Ep. ad Att. IV. 16: Efficiemus rem gloriosissimam. Nam in campo martio *septa* tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi, eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. Simul adiungetur huic operi villa etiam publica. Conf. Borrichius de ant. urb. fac. c. 2. § 6. et Nardinus VI. c. 6.

P.

PABVLATOREM inter et FRVMENTATOREM haec differentia est, ut *ille* equis et iumentis, *hic* hominibus supportet alimenta.

PACISCI est de re certa et indubitata, seu de dandis et reddendis certa conditione convenire, ut *pacisci* nuptias vel mercedem, *pacisci* ne petatur; *Transigere* vero est rem dubiam, et litem incertam neque finitam, aliquo dato, retento, promissove decidere, auctore Ulpiano D. de Trans. I. Virg. Aen. v. 230. Vitamque volunt pro laude *pacisci.*

PACTVM (D. de Pact. I. et VI.) est contractus inter duos pluresve, qui proprium nomen habet, ut emtio, venditio, locatio, aut conductio; *Pactum conventum* (1) est, quod inter aliquos convenit tantum, nec proprium contractus nomen adsumit; ita adpellatum, quod non lege firmetur, sed ex solo conventu valeat, ut iurisconsulti scribunt. Auctor Rhet. ad Herenn. II. 13: Sunt item *pacta*, quae sine legibus observantur, ex *conventu.*

(1) *Pactum conventum* in iure adpellatur sine coniunctione seu conventione media; nudum *pactum* intelligitur, quod solo consensu constat. Nam alterum vestitum adpellant, hoc est, aliquo certo iure formatum, quod praeter consensum partium etiam vim habet ex iure civili, et tunc aliud nomen accipit. *Hoc* proprie actionem parit; *illud* exceptionem dumtaxat. Leg. Gocl. loc. cit. p. 240. seq.

Digitized by Google

Pactvm et Pactio sunt diversa apud oratores et historicos, apud quos *pactio* est conventio de re communi aut publica inter collegas, socios, mancipes, aut eos, qui pacem vel amicitiam conditionibus dictis paciscuntur; *pactum* vero est conventio de re quacumque et inter quoslibet. Ponitur etiam pro conditione, vel modo; ut cum dicimus nullo *pacto*, aut aliquo *pacto* aliquid fieri. Vid. Dolet. loc. persaepe alleg. fol. 121. fac. b. col. 2. Sall. Catil. xxvi: Collegam suum Antonium *pactione* provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret. Cic. Caecin. xviii: Quod edictum magistratus, quod foedus, aut *pactio*. Id. ad Att. iv. 18: Haec *pactio* non verbis, sed nominibus et perscriptionibus multorum tabulis cum esse facta diceretur. Sed apud iurisconsultos nullam vocabulorum istorum differentiam esse animadvertimus. Nam et nudam *pactionem*, et nudum *pactum* promiscue et indistincte dicunt, ut ex ipsorum responsis liquet.

Pactvs dicitur, qui cum altero convenit; *Depectus* qui turpiter pactus est. Cic. pro Sext. Roscio xxxviii: Cum illo partem suam depacisci. Ulpian. ad Edict. x. D. de Calumn. iii: Hoc edicto tenetur etiam is, qui *depectus* est. *Depectus* autem dicitur turpiter *pactus*. Similiter *pactor*, qui convenit, aut societatem coivit cum altero, sive proprie, qui inter partes paciscitur; *depector*, qui turpis quaestus, aut lucri gratia rem aliquam paciscitur. Cic. Verr. vii. 21: Foederum interpretes, societatis *pactores*, religionis auctores. Apul. Apol. Litium *depector* omnium falsorum commentator.

Paedagogvs, puerorum ductor, et subinde etiam doctor, praesertim morum et valetudinis curator; *Praeceptor* artes et litteras docet. *Ille* olim servus; *hic* fere liber et honestus. Plin. v. 16. Ut nutrices, ut *paedagogos*, ut *praeceptores*, pro suo quemque officio diligebat. Paraeus. R. *Paedagogus* instituit; *Magister* docet. Sen. de Ira, ii. 22. Pertinebit ad rem, *praeceptores, paedagogosque* pueris placidos dari. H.

Pagi sunt villae rusticanae in eodem tractu et parte regionis dispositae; dictae a pangendo, et iungendo, non, ut grammatici opinantur, ἀπὸ τῶν πηγῶν, id est, a fontibus, quod illi, qui in uno *pago* habitant, plerumque uno et eodem

Digitized by Google

fonte utantur (1). *Vici* (2) sunt plures iunctae domus, remotae ab urbe, et sine moenibus; dicuntur autem *vici* quod *vias* circum habeant. Itaque *pagi* sunt partes provinciarum, seu praefecturae, in quibus *vici* insunt, et nonnumquam etiam *oppida*; ut Helvetia olim divisa erat in quatuor *pagos*, (vulgo *Cantoni*), qui urbes duodecim et *vicos* quadringentos habebant. Tac. Ann. I. 56: Reliqui omissis *pagis*, *vicisque*. Id. de Mor. Germ. XII.; Eliguntur in iisdem comitiis et principes, qui iura per *pagos vicosque* reddant.

PALAM est aperte, manifeste, et coram pluribus; *Vulgo* est plerumque, fere, communiter, passim et a multis, vel in multis locis. Unde *vulgaris* mulier in iure civili dicitur, quae *vulgo* et passim sui copiam facit. *Aperte* ad verba pertinet non obscura. Virgil. Georg. III. 494: Hinc laetis vituli *vulgo* moriuntur in herbis. Marcellus Digest. XXVI. de Ritu nupt. Probrum etiam intelligitur in his mulieribus esse, quae turpiter viverent, *vulgoque* quaestum facerent, etiamsi non *palam*, id est, cum multis corpus miscerent, etiamsi non in propatulo, veluti in lupanari.

PALLAS et MINERVA sunt nomina eiusdem deae. *Pallas* dicitur belli. *Minerva* quum dicitur, pacis praeses est. Sed discrimen istud raro curant scriptores, praesertim poëtae.

PALLOREM Burmannus ad Lucan. III. 625. a *Squalore* ita separat, ut proprie sit in coloris mutatione a situ, *squalor* a sordibus inductis. Sed ipse dubium relinquit, an semper illum canonem vel scriptores, vel librarii certe observarint. Defenderat autem Burmannus ad Quintil. Decl. V. 19. *pallorem* a librariis male poni pro *squalore*, ea in re Heinsium non nimis provide secutus, qui in scriptorum emendatione saepe pro *pallidus* reposuit *squalidus*, pro *palleo*, *squaleo*; sed contra fidem librorum; quamquam negari non potest, haec duo nomina confundi. Gesn. thes. v. *pallor* et *pallidus*.

PALPITATIO fit praeter naturam, et accidit homini, etsi nullum membrum moveat; *Tremor* ex dimidia parte volun-

(1) Ald. Manut. de quaes. per Epist. 3. 7. *Vicus* est vel extra urbem vel in urbe. In urbe est continuata series domorum, non ipsa via.

(2) Vid. Perotti Cornucopiae Epigr. II. col. 156. lin. 47. seqq. Hic *pagani* dicti, quasi ex eodem fonte potantes, hoc est, villani.

Digitized by Google

tarius est motus. Illos enim *tremere* dicimus, qui cum membrum movere conantur, libere id et pro usu suo non possunt, nec protensum, nec suspensum servare, sed iis membrum a facultate in altum sublatum pondere suo κατωφέρεται, rursumque a facultate animali erigitur, quae vicissitudo motus *tremor* est. Deinde *tremoris* subiectum est cutis, caro cum musculis, nervis et ossibus: *palpitatio* vero carnis solum cutisque est effectus. Tandem in *tremore* membrum sursum deorsumve, dextrorsum vel sinistrorsum movetur continue; *palpitatione* vero in eodem situ manens, et immotum nunc distenditur, repletum quasi a corpore extraneo, nunc subsidit; et propterea in *palpitatione* facultas animalis nullo modo laeditur, quia palpitans membrum pro voluntate movere potest aeger; *tremor* vero a facultatis motricis imbecillitate, vel ab ea onerata proficiscitur. Haec illustris Thomas Reinesius Var. Lect. II. cap. 3. p. 149. H.

Papillae et Mamillae differentiam ita definit Servius ad Virg. Aen. XI. 803. *Papilla* est breve illud, unde lac trahitur; *mamilla* est omnis eminentia uberis; conf. Gesneri thes. voc. *papilla*.

Par esse dicitur, quod tantumdem habet aut virium aut magnitudinis, quamquam alia sit forma aut specie: ut contra *simile*, quod eamdem figuram habet, magnitudine dispari. Ita, duobus angulis rectis pares sunt, qui triangulum constituunt, quamquam dissimiles, quadratum quadrato simile, quamquam possit esse dispar. Sic intelligenda sunt illa Quinctiliani X. 1: T. Livius immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, *pares* eo magis, quam *similes*. Liv. XXXV. 43: *Similia* omnia magis visa hominibus, quam *paria*; cet. v. Pitiscus ad Curt. V. 5. *Paria*, si res brevibus expedienda est, conveniunt in omnibus, *similia* tantum in aliquibus. *Par* respicit plerumque aetatem ac dignitatem, raro mores; *similis* mores magis, ac corporis formam.

Paranymphvs, quasi assecla sponsi, deductor sponsi. *Nymphagogus*, qui deducit sponsam. *Promnestria* mulier, quae adest sponsae, deducit eam ad lectum, solvit ei cingulum, latine *pronuba*. Goclen. R.

Digitized by Google

PARARE (1) est ad necessitatem instruere; *Apparare* est ad dignitatem et pompam parare, ut *apparare* coenam, nuptias. Ter. Heaut. I. 1. 74: Video alios festinare, lectos sternere, coenam *apparare*.

PARENTARE et IVSTA ALICVI FACERE pro synonymis haud raro habentur. Enimvero, quum synonyma linguam potius imperfectam faciant, quam perfectam, et ab initio synonyma procul dubio e linguis exsulaverint, discrimina vocum accuratius excutienda sunt, ut pateat, synonyma olim non fuisse synonyma. Ipse Budaeus putavit, parentare idem esse ac iusta facere ad 2. D. de in ius voc. Sed *iusta* a lege sunt, et iure pontificio; at contra multi qui nullis illis legibus obstricti essent, ultra ad virorum fortium sepulcra *parentarunt*, ut Caligula, qui sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias manibus dabat. Svet. Caligul. III. Ut Adrianus et Severus imperatores Pompeio *parentarunt*. Xiphilinus in Adrian. et Sever. Alexander heroibus, qui in Troiae obsidione ceciderant. Plutarch. in Alex.

A *parentalibus* differunt *inferiae*, quae privatae sunt feriae, uti parentalia publica, atque omnis parentatio a civibus aut incolis festo colebatur.

PARERE est obedire; *Apparere* autem est videri. Servius. *Parere* minus est, quam *servire*. Tac. in Agricola de Britannis, XIII: Iam domiti ut *pareant*, nondum ut *serviant*. Paraeus. R.

PARIETES privatorum tecta ambiunt ac sustinent; *Moenia* et *muri* urbem muniunt. TH. VALL.

PARMA et PELTA breve scutum est, comparatione cum Romanorum clypeis facta; *pelta* tamen est brevior, quam *parma*. Nep. Iphic. XI: Quum ante illum imperatorem maximis clypeis uterentur, ille e contrario *peltam* pro *parma* fecit, a quo peltastae equites adpellantur, ut ad motus concursusque essent leviores.

PARSI semel, *peperci* saepius. R.

PARTICEPS est, qui certam habet partem, non divise agit, ut *socius*. Ascon. Pedian. R.

(1) Hoc verbum pro comparare seu emere, etiam sumi tradit Gifanius loc. cit. p. 169.

Digitized by Google

PARVVM in tempore; *Breve* in spatio: *Exiguum* in corpore infantis; *Pusillum* in corpore pumilionis. Corn. Front.

PASCI proprie bestiarum et pecudum est; *Vesci* hominum; *Illud* ad saginam dumtaxat refertur; *hoc* ad victum atque etiam usum quarumlibet rerum; ut *vesci* voluptatibus dixit Cic. *Vesci* auris vitalibus, sermone', Lucret. Interdum tamen *pasci* hominum est pro foveri et sustentari, *vesci* etiam bestiarum, Cic. *Pasci* scelere et maleficio. Sic idem Cicero ad Attic. (et quidem in bona significatione) dicit *pasci* (id est, delectari) alicuius bibliotheca. Quando autem Ovid. Amor. I. 15. 39. infit: Pascitur in vivis Livor, tunc eleganter *pascere*, pro crescere usurpatur. Varro R. R. II. 2. de ovibus: Quaecumque iubentur, *vescuntur*, ut folia ficulnea, et palea, et vinacea.

PASCENTIA sunt, quae ex se pascuntur, ut prata; et *pascentia mancipia*, quia pascuntur, ideo etiam pastores vocantur; *Pabulantia* vero, quae iis utuntur, ut iumenta. Corn. Fronto.

PASSIM aliquid inveniri rerum, de re corporali recte dicimus; *Affatim* de re aliqua incorporali: *primum* enim de incessu, *alterum* de affatu dictum. Agr. R.

PASTVS significat cibum, et omni animantium generi, praecipue homini convenit, et tunc est substantivum. Quando vero est adiectivum, tunc significat eum, qui cibum sumsit. *Pastio* proprie est non tam actus ipse pascendi, quam cibus, et de brutis tantum dicitur, ut pastio villatica. *Pabulum* id ipsum idemque significat, sed est proprie cibus herbaceus, foeniceus, paleaceus, stramenticius, potius quam seminum. Varro R. R. III. 2: Altera est villatica *pastio*, altera agrestis.

PATENS est, quod ad tempus patet, et quod aperitur, et clauditur, ut ianuae, portae patentes, oculi; *patulum*, quod semper et per se naturaliter patet, ut nares; Bos patulus, qui cornua diversa et late distantia habet. Plaut. Truc. II. 2. 22: Arbor *patula*, et *patulae* quadrae, Virg. de fago Eclog. I. 1. et Aen. VII. 115. Sic nares patulae, Georg. I. 376. et patulae puppes, Georg. III. 363. Conf. Taubmanni Commentarii ad Virgilii Culic. v. 16. *Patulus* mundus Lucret. VI. 107.

PATRII dii sunt singulis civitatibus, ut Minerva Athenis,

Digitized by Google

Iuno Carthagini, Bacchus Thebis, Pluto Elidi, etc. *Indigetes* autem proprie sunt dii ex hominibus facti, quasi in diis agentes, ut Aeneas, Romulus, Servius.

PATRIVM a patria, *paternum* a patre. R.

PATRONVS (1) dicitur, qui defendit accusatum vel quemque alium adflictum in iudicio; *Advocatus*, qui aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico, seu venit paratus ad alium defendendum, etiamsi nihil agat, Valla IV. 12. *Procurator*, qui negotium absentis nomine suscipit; *Cognitor*, qui praesentis causam novit, et sic tuetur, ut suam. *Hic* solemni ritu; *ille* solo mandatu sine ulla caerimonia accitus fuisse dicitur, v. Heineccii antiq. Rom. ad instit. IV. tit. 10. p. 293. Hodie omnis huiusmodi functio causidicorum et procuratorum saltem, i. e. cognitorum, nominibus continetur. Ascon. Pedian. Vid. Goclen. loc. saepissime denomin. p. 241. H.

Discrimen quidem est maximum, idque varium, inter *patronum clientis* atque *tutorem*, quem paterfamilias liberis, quos in potestate habebat, aut etiam feminis propter infirmitatem consilii dabat; quod satis patet, si evolvimus Heineccium de Tutelis in antiqu. I. tit. 13. sqq. Interim tamen et patroni erant clientum tutores, quorum tutelae illi et opes eorum suberant, quosque et consiliis et cura sollicite protegebant.

PATVLVM *V.* PATENS.

PAVIDVS est semper timens; *Pavens* ex causa. Serv.

PAVCITAS refertur ad quantitatem discretam, seu numerum, et opponitur pluribus; *Parvitas* ad quantitatem continuam et ad corpus, et opponitur magnis. Id. Gocl. XVI. H.

PAVPER a paulo lare, *mendicus*, a minus, cui, cum opus est, minus est. Varro. R.

PAVPERTAS (2) est ipsa pauperis conditio; *Pauperies* est

(1) *Patronus* aut temporale nomen est defensoris, aut certe appellatio, per quam ostenditur, quid illi cultus aut obsequii debeatur. *Parens* autem veri amoris nomen est. Donat. R.

(2) *Paupertas* minus, egestas plus est. Senec. Epist. XVII: Non est quod paupertas nos a philosophia revocet, ne egestas quidem. Et Epist. LIX: Quanta verborum nobis paupertas, imo egestas sit, numquam magis, quam hodierno die intellexi. R.

Digitized by Google

damnum, sine iniuria facientis datum, ut cum animal, quod sensu et ratione caret, damnum intulerit, de quo prodita est actio, si quadrupes *pauperiem* fecisse dicatur; per quam consequimur, ut vel detur ipsum animal, quod noxiam commisit, vel noxae et damni aestimatio praestetur. (Inst. si quadrup. pauperi). Sed interdum *pauperies* significat ipsam pauperiatem, ut apud Horatium non semel. Sed differenti a nugatoria videtur, quum compluribus veterum locis confutari possit.

Pavlo minvs est propemodum pene, et opponitur *paulo magis*: *Paululum* remissionis est, et significat aliquantulum, atque opponitur τῷ multum vel plusculum; aliquando idem est, quod paulisper; *Paulisper* vero significat temporis modum, hoc est brevitatem. Goclen. R.

Pax est inter personas publicas et dicitur de maximis principum dissidiis, ita ut contraria sit bello cum externis. R. *Concordia* seu *otium* inter privatas, et dicitur de rebus domesticis, ita ut seditionibus domesticis adversetur. Panaet. R. *Compositio* est inter offensas. Goclen. H.

Peccat (2) aliquando, qui, quod debuit, fecit, sed non recte; *Delinquit* proprie, qui fecit, quod non debuit. H.

Pecora mixtura animalium; *Pecudes* non item. H.

Pecvaria ab eo, quod est pecuare, venit. Nam *pecua*, ut ait in Pompeiana Cicero, ab eo, quod est *pecu*, venit, ut genu, genua. Serv. R.

Pedale mensura est pedis; *Pedule* vero pedibus involvendis praestat utilitatem. Front.

Peivs est a malo, quod in usu est, et creberrime frequentatur; *Deterius* vero a bono, ut minoris sit meriti, quam id, quod placet. Non. Marc.

Pene notat imperfectionem; *Fere* raritatem. Iul. Scalig. R.

Penetrale dicitur, quod penetrat; *Penetrabile*, quod penetratur. Serv. H.

Penna est id, quo avium alae vestiuntur. *Pluma* mollior est, et totum corpus tegit. Colum. viii. 2: Gallinae sint rubicundae, vel fuscae *plumae*, nigrisque *pennis*. Th. Vall.

(2) Commerui minoris culpae est, peccavi multo minoris, vel levioris. Donat. R.

Digitized by Google

PERCONTATVM a conto dicitur, quo nautae utuntur ad exploranda loca navibus opportuna. *Percunctatum* vero ab eo, quod a cunctis perquiratur. Donat. R.

PERCVLSVM animo, *percussum* corpore dicimus. Cicero: Tamquam illa face perculsos esse. *Percellere* proprie ita est impellere, ut loco moveatur, quod impulsum est, diciturque tam de animo, quam de corpore. Cum ad animum refertur, est illum quasi loco movere et gradu deiicere, certe efficere, ut consilium mutet. Eodem modo *percutere* et de corpore et de animo adhibetur. Animum percutere suspicione religionis, Sen. Ep. XLI. Saepissime tamen a librariis confundi videas percellere et percutere. V. Bentleius ad Horat. Epod. et cel. Ernesti ad Svet. Tib. XI. Hinc Svet. Calig. XXXV. Lipsius et Perizonius legere iubent: non alia de causa repente *perculit*, pro vulgato *percussit*, quod est proprium latinorum de repentina pernicie, in primisque Svetonii, verbum. Svet. Tib. v. Ner. XXXV: *Percussit* nimis lene, quam re, verbum est. V. cel. Ernesti not. ad Svet. Calig. XXXV. et Gesneri thes. Obtinet etiam differentia inter verba *percellere* et *adfligere*. Gravius enim *adfligere* est, quam *percellere*. Cic. Tusc. III. 12: Existimant enim, diis immortalibus se facilius satisfacturos, si eorum plaga *perculsi*, *adflictos* se et stratos esse fateantur. V. Gesn. thes. v. *percello*.

PERCVTERE de instrumentis gravioribus dicitur, quibus vulneramur, vel occidimur; *Verberare* de virgis et fustibus. Conf. Gifanii observat. LL. p. 350.

PERDERE plus; *Amittere* minus. Sed quod litteratores quidam dicunt, *perdimus* consulto, *amittimus* inconsulto, ei refragari Latinorum usum constat. Leg. Goclen. loc. cit. p. 241. seq. H.

PERDITVM, quod inveniri non potest; *Profligatum*, quod potest. Pedian. R.

PEREGRI in loco, *peregre* ad locum significat, ut *peregrinatus*, peregre profectus. Plaut. Persa, I. 1. 30: Quia herus *peregri* est. Id. Amphit. II. 2. 217: Ita nunc homines immutantur postquam *peregre* advenimus. Sed haec differentia, cuius auctor Charisius, non est certa et perpetua; et constat. veteres propter affinitatem litterarum E et I promiscue haec

Digitized by Google

talia efferre here et heri, vespere et vesperi, praefiscine et praefiscini.

PEREGRINVS est quicumque extra patriam versatur. Differt ab *advena, hospite, incola.* Namque *peregrinus* dicitur habita ratione loci, unde venit; *advena,* loci, ad quem venit; *hospes,* loci ubi est; *incola* demum habita ratione habitationis. Praeterea inter *advenas* et *convenas* hoc discrimen intercedit, quod illi ex uno loco adveniant; hi ex pluribus locis in eumdem conveniant. Plaut. Poen. v. 2. 71: Nequam te esse oportet, hominem *peregrinum* atque *advenam* qui irrideas. Cic. Off. I. 34: *Peregrini* et *incolae* officium est nihil praeter suum negotium agere. Id. Orat. I. 9: Romulus pastores et *convenas* congregavit. Id. ibid. I. 19: Is, qui nuper Romae fuit, Menedemus *hospes* meus. TH. VALL.

PERFVGA est, qui ad hostes profugit. Aliquando dicitur *transfuga*, qui a suis deficiens aliis se adiungit, vel in hostium castra transfugit; *profugus*, qui e patria seu domicilio, sive finibus, in quibus ante egit, profugit. *Perfugium* autem atque *profugium* Ciceroni unum sunt. *Perfuga* supplex est. *Transfuga* ut adiuvetur, fit *perfuga. Transfugas* suspendimus, non *perfugas*, quos et capimus.

PERICVLVM contra quamvis rem timetur, *pernicies* contra necem. Corn. Front. R.

PERIVRARE seu PEIERARE et FALSVM IVRARE distinguit Cic. Off. III. 29: Non enim *falsum iurare* periurare est, sed, quod ex animi tui sententia iuraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, periurium est. Struvius in synt. A. R. p. 324. seq. *Falsum iurare* Ciceroni est sine proposito et animo non deliberato iurare. Scite ait Euripides ad Ciceronis locum, quem modo memoravi: Iuravi lingua, mentem iniuratam gero. Talis est, qui simpliciter tantum iusiurandum recitaverit, vel etiam eiusdem verba concepta in prima, ut loquuntur, persona alteri praeiverit. H. Grotius de I. B. ac P. II. 13. § 2.; adde annotationes Becmanni. *Periurabant* autem, qui profitebantur iurare. praemeditate, utque se res haberet, id quod solemnis formula: *iurare ex animi sententia*, praecipiebat, de qua vid. Brisson. in form. solemn. p. 711. ubi ad loca a Cuiacio notata multo

Digitized by Google

plura testimonia addidit ex Livio, Quintiliano, Petronio, Gellio et reliquis.

Permittimvs, quod potestati concedimus, ut liceat; *Committimus*, quod fidei credimus, ut deceat. Goclen. H.

Perna est pes porci, seu armus porci salitus et infumatus, ventriculo in primis conveniens; cum contra *pernio*, Comenio teste, pedes affligit. *Petaso* autem est ipsa coxa. Ita *perna* est pars petasonis, auctore Athenaeo XLIV. Dipnosoph. his verbis: *Ἐπεὶ δὲ πετασῶνος μέρος ἑκάστῳ κεῖται, ἣν πέρναν καλοῦσι.* *Perna* a pede suis dicitur ex Varronis sententia, quasi sit pes porcinus cum carne, praecipue priores, posteriores vero petasones. *Perna* est tam prior, quam posterior coxa porcina, quod ex Plauto et Horatio quoque apertum esse videtur. Varro R. R. II. 4: E Gallia apportantur Romam *pernae*, tomacinae, et taniacae, et petasones. Cato R. R. CLXII: Cum *pernas* emeris, ungulas earum praecidito. Hor. Sat. II. 2. 117. tamen dixisse videtur *pernam* pro petasone his verbis synecdochice: Quidquam praeter olus fumosae cum pede *pernae*.

Pernicies significat interitum, calamitatem atque exitium; unde formulae Ciceronianae illae: *Pernicie* opprimi, *perniciem* depellere, *perniciem* comparare, in *perniciem* incurrere, *perniciei* occurrere, *perniciem* moliri, ad *perniciem* instruere, etc. *Pestis* afflictionem et nocumentum; sic dicimus cum eodem Cicerone, pestem machinari, pestem afferre, pestem importare. E contrario pestem comprimere, pestem reprimere, pestem avertere, pestem depellere et exsecare, etc. Alterum enim dicitur a pernecando; alterum a pessumdando, quod minus est. Lucil. Satyr. II: Hostibus contra *pestem perniciemque*. Terent. Adelph. II. 1. 34: *Pernicies* communis adolescentum. Cic. Catil. I. 13: Cum tua *peste* ac *pernicie*, cumque eorum exitio. Id. pro Rabirio. I: Contra *pestem* ac *perniciem* civitatis valeret.

Pernicitas est celeritas, quae cum nisu et conatu tendit, ut in avibus, quarum alae pernices; *Celeritas* est animorum et corporum. *Velocitas* est corporis et pedum agilitas, levitasque, ideoque velox, quod summa quoque celeritate utitur, quasi volax, h. e. volans a volando, [illegible] brorum et motus est.

Digitized by Google

viribus, forma, acerrimis integerrimisque sensibus, adde etiam, si lubet, *pernicitatem*, et *velocitatem*. Liv. XXXV: *Velocitate* corporum ac levitate armorum aptissimos.

PERNIX pedum est, ut Virg. Aen. XI. 718: Pernicibus ignea plantis; *Celeritas* pennarum, ut Virg. Aen. III. 213: Celerique fuga sub sidera lapsae. Serv. R.

PERPETVITAS est continuitas, cum non intermittitur aliquid, ideoque designat medium, et tollit interruptionem; *Aeternitas* extrema curat, et tollit finem. Goclen. obs. 339. it. 341.

PERPETVVM proprie ad homines: *Sempiternum* et *aeternum* ad Deos et coeli incolas pertinet, inquit Donatus. Ter. Andr. v. 5. 3: Ego vitam deorum propterea *sempiternam* esse arbitror. Et *perpetuum* est continuatum, non interruptum; *sempiternum*, et *aeternum*, quod semper manet. *Perpetuum* est, quod intermissione, *sempiternum* et *aeternum*, quod fine caret, Goclen. obs. 345. Cic. Catil. IV. 9: Vobis illum ignem Vestae *perpetuum* ac *sempiternum*.

PERSEQVI in malam partem, *prosequi* in bonam partem inclinat magis. Cum autem *persequi* in bonam partem sumitur, nude id fit, ac sine addito. Quum *prosequor* in malam partem sumitur, fere id non fit nisi cum addito.

PERSIS et PERSIA diversam notionem sibi habent adiunctam. *Persis* eam significat regionem, ubi sermo persicus quam minime erat corruptus; *Persia* autem de toto persico regno intelligenda est. V. Heusinger, ad Corn. Them. c. 10.

PERTINAX est, qui obstinate tenet et pertendit id, in quo non debet pertendi; *Pervicax* et *contumax* est, qui constanti et infracto animo rem modo laudabilem, modo illaudabilem gerit. *Hic* laudem, *ille* vituperationem meretur. *Pertinax* in re mala, sic et in abstractis: Pertinacia malae rei; perseverantia bonae. Goclen. R. *Perseverans* in bona; *Pervicax* in utraque. Ita *pertinacia* malae rei, raro bonae, *perseverantia* tantum bonae, *pervicacia* et *contumacia* modo bonae, modo malae. Accius in Myrmidonibus: Tu *pertinaciam* esse, Archiloche, hanc praedicas, ego *pervicaciam* aio, et ea uti volo: Nam *pervicacem* dicis me esse, et vincere: Perfacile patior; *pertinaciam* nil moror; Haec fortes sequitur, illam indocti possident. Tu addis quod vitio est, demis quod laudi datur.

Digitized by Google

Plaut. Capt. II. 2. 39: Quid tu ais? tenax ne pater eius est? Immo edepol *pertinax*. Sed confunduntur interdum, et *pertinax* in bonis; (sic Val. Maximus pertinacem Deorum indulgentiam dicit. Inde factum, ut pertinacia saepe ponatur pro constantia, quae cum perseverantia semper in bonam partem accipitur). *Pervicax* in malis rebus est. Liv. XXV. 14: Vicit tamen omnia *pertinax* virtus. Ter. Hec. IV. 1. 17: Adeo ne *pervicaci* esse animo, ut puerum praeoptaret perire?

Pestis significat omne malum, quod rem aliquam sive inanimam, sive animatam affligit (1); *Pestilentia* vero, quae plerumque loci est, et salubritati opponitur, est morbus contagiosus, homines infestans. Atque ita veteres et idonei auctores his nominibus fere utuntur, et raro admodum *pestem* pro morbo pestilenti dicunt, ut nunc vulgus. Conf. Gifanius loc. alleg. p. 182. Liv. II. 49: Ibant unius familiae viribus Veienti populo *pestem* minitantes. Id. V: *Pestilentiam* agris urbique illatam. Immo soli poetae *pestem* pro morbo pestilenti usurparunt, Ennius Annal. XVI: Hos *pestis* necuit, pars occidit illa duellis. Plaut. Amphitr. II. 1. 33: *Pestis* te tenet. Hor. Od. I. 21. 13. seq.: Hic miseram famem, *Pestemque* a populo, etc. Quos imitatur Iustinus, deterioris latinitatis auctor, Hist. II. 13: Multorum deinde dierum inopia contraxerat et *pestem*.

Peto precario, *posco* imperiose, *flagito* vehementer et cum clamore, *postulo* iure. Tull. Verr. VI. 20: Nemo inventus est tam amens, qui illud argentum eriperet; nemo tam audax, qui *posceret*; nemo tam impudens, qui *postularet*, ut venderet. Curt. IV. 1: *Postulabat* autem magis, quam *petebat*. Sed haec verborum proprietas non semper observatur. Nam *petere* interdum est iure exigere et vindicare, a quo petitor pro actore apud Ciceronem et iurisconsultos. Contra *poscere* et *postulare*

(1) Ceterum Valla Elegantiar. IV. 72. p. 299. inter *luem* et *pestem* hanc dari differentiam dicit, ut inter genus et speciem. Nam cum in urbe aut in agro febris, aliudve genus morbi saevit, sive solos homines, sive sola pecora, sive utrosque corripiens, *lues* dicitur. Interdum etiam si arbores ac sata corripit. *Pestis* vero aut cito occidit, aut cito abit ab eo, quem invasit, quae eadem dicitur pestilentia. Nonnunquam tamen pro lue ponitur, atque ad animi vitium transfertur.

Digitized by Google

est submisse orare, ut Virg. Aen. IV. 50: Tu modo *posce* Deos veniam. Cic. Harusp. Resp. XIV: Telluri *postulatio* deberi dicitur. In eo tamen perpetuo differunt, quod *petunt* soli homines alter ab altero; *poscunt* et *postulant* etiam res inanimae; ut locus, tempus, oratio, causa postulant vel poscunt.

Distinguit Cicero inter *petere* et *rogare*, Phil. II. 30: Qui magister equitum fuisse tibi videre, in proximum annum consulatum *peteres*, vel potius rogares: is per municipia coloniasque Galliae, a qua nos tum, quum consulatus *petebatur*, non rogabatur, *petere* consulatum solebamus, etc. Cell. ad h. l. *Petitur*, tamquam in praemium virtutis, *rogatur* precario et gratia concedi. Cic. tamen ipse *petere* et *rogare* pro synonymis posuit Ep. II. 6: Grave est homini pudenti *petere* aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet, ne id, quod petat, exigere magis quam *rogare*, et in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur. V. *Flagito*.

PETITOR et ACTOR quidem non semper distinguuntur apud veteres. At si curatius rem pensites, discrepant, ut petitio et actio. *Petitor* enim in rem actionem instituit, et quasi repetit, quod ad se pertinere existimat. *Actor* vero contra personam agit, quam patrati criminis accusat. Ille in haereditatibus, pecunia mutuo data, hic in criminibus versatur. Vid. Barn. Brissonius de verb. signif. p. m. 1053. Interim actoris nomen quam saepissime est commune, competitque omnibus in foro actionibus.

In causis privatis *petitor* dicitur potius, quam *accusator*, sicuti in publicis *accusator*, et non *petitor* dici solet. Ceterum proprie *petitor* est, qui petit et litem intendit, et plerumque in rem agit; *actor* vero agit in personam, quemadmodum ex Cuiacio scribit Schardius in Lexic. Iurid. p. 702. col. b. H.

PETVLANS est, qui se in omnem nequitiam effundit; *protervus* est importunus et lascivus, ut qui obvium cubito ferit, aut sibi cedere cogit; *procax* est, qui mordaciter et contumeliose loquitur. Itaque *petulans* plus est, quam *protervus*, et uterque dictis simul et factis modestiam excedit; *procax* dictis tantum. Cic. pro Coelio. XIII: Si vidua libere, *proterva* petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret.

Digitized by Google

Tac. Hist. II. 87: *Procacissima* etiam inter severos lixarum ingenia. Id. ib. III. 32: *Petulantibus* iurgiis illuserunt. Quae tamen differentia non satis ubique sibi constat. Phaedr. Fab. I. 3: Valla IV. 105. ita distinguit. *Protervus* minore contumelia, *procax* maiore, *petulans* maxima iniuria.

PHALERA differt a *Torque*, quod *illa* laxior, et ad pectus demissa penderet, *haec* vero collum magis stringeret. Nieupoortus Rit. Rom. p. 586. *Phalera* et *torques* equitibus, *armillae* autem peditibus muneri dabantur.

PHANTASMA visum est animi, cuiusmodi fit in somniis; *Phantasia* vero est formae in animo impressio, hoc est, mutatio, sicuti ex Chrysippo refert Diogenes Laërtius in Zenonis vita, ubi verba graeca sic sonant: *φάντασμα ἔστι δόκησις διανοίας, οἷα γίνεται, κατὰ τοὺς ὑπνοῦς, φαντασία δὲ ἐστι τύπωσις ἐν ψυχὴ, τοντέστιν ἀλλοίωσις.* H.

PICENVM vas dicimus, *Picentem* vero hominem. Acron. ad Hor. p. m. 1929.

PIETAS et SANCTITAS non nihil differunt, quando utraque vox refertur ad deos. Cic. Off. II. 3.: Deos placatos *pietas* efficiet et *sanctitas*. Hildebrand. ad h. l. ita: *Sanctitas* est scientia deorum colendorum, *pietas* iustitia adversus deos. Cic. Nat. Deor. I. 41: *Sanctitas* quid agendum sit imperat, imperata *pietas* facit. Si vero relatio non fit ad deos, tum quae ad manes, *sanctitas*, quae ad homines, *iustitia* aut *aequitas* nominatur. Cic. Top. XIII.

PIGER similis aegro; *Segnis* et *deses* sine fervore; *Tardus* terit tempus; *Iners* ad nihil idoneus; *Secors* stupidus. *Piger* et *secors* natura, *segnis*, *deses*, *tardus*, *iners* voluntate sunt, quamquam hoc non perpetuum est.

PIGET ad futurum spectat; *Pudet* ad praeteritum; et licet pene una sit significatio, tamen dicimus: *Piget* me illud dicere, *pudet* me fecisse. *Pudere* est in his, quae turpiter fiunt; *pigere* in his, quae cum malo damnoque. Firmari potest illa observatio loco Plaut. Capt. II. 1. 9: At nos *pudet* quia cum catenis sumus. Lorarii: At *pigeat* postea herum nostrum, si vos eximat vinculis. Ceterum *piget* minus, quam *pudet*. Cic. pro domo XXIX: Me non solum *piget* stultitiae meae, sed etiam *pudet*. *Pudet* verecundiae est, *piget* poenitentiae. Non. V. 11.

Digitized by Google

PIGMENTVM et COLOR differunt. Plin. HN. XXXV. 5: Quibus coloribus singulis primi pinxissent, diximus quum de pigmentis traderemus in metallis. Cel. Gesnerus chrestom. Plin. p. 888. Ita XXIX. 8: Comperi vulgo pro cinnabari indica in medicamenta minium addi inscitia nominis, quod esse venenum docebimus inter pigmenta, i. e. ubi de pigmentis et coloribus agetur.

PIGNERA rerum, *pignora* filiorum et affectionum. Agraet. R.

PIGRITIA est metus consequentis laboris. *Terror* metus concutiens; ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor, tremor et dentium crepitus consequatur. *Timor* metus mali appropinquantis; *Pavor* est metus mentem loco movens; *Exanimatio* metum subsequens et quasi comes pavoris. *Conturbatio* metus cogitata excutiens; *Formido* metus permanens. Haec Cic. Tusc. VI. 6. H.

PILA Romani datatim, vel raptim, vel expulsim ludebant. Qui datatim, *pilicrepi* vocantur a Latinis, a Graecis σφαίρισται. Vetus inscriptio: Ovantes. Convenite. Pilicrepi. Utitur hoc significatu Sen. Ep. LVI. ubi vid. Lipsius. Alii ab his sunt, quos Firmicus *pililudios* vocat, et quos Manilius I. v. elegantissimo carmine descripsit, Scaliger autem notis suis illustravit, ut et Bulengerus I. de Theatro, Manilii verba v. 165. seqq. haec sunt:

Ille pilam celeri fugientem reddere palma
Et pedibus pensare manus, et ludere saltu,
Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis:
Ille potens turbam perfundere membra pilarum,
Per totumque vagas corpus disponere palmas
Ut teneat tantos orbes, sibique ipse reludat,
Et velut edoctos iubeat volitare per ipsum.

Cel. Gesnerus docet, Scaligero *pililudios* cum pilariis eosdem esse. Erant vero pilarii praestigiatores, qui levi agitatione pilulas, seu parvas pilas, videntur emittere, aut in vas iniicere, quum secus faciant.

PINGVEDO (1) est inter cutem et carnem; *Sevum* inter car-

(1) Haec proprie succi altilis abundantia non incommode dicitur. Eius contraria Ciceroni sunt puritas atque tenuitas.

Digitized by Google

nem et ossa. Illa graece πιμελὴ, hoc στέαρ dicitur. Sed veteres scriptores, qui pure atque integre locuti sunt ante tempora imperatorum, non utuntur voce pinguedinis, sed in eius vicem usurpant *adeps*, aut *pingue*, in quo errat Servius, qui putat, nec pinguedinem, nec pinguetudinem esse latinum. Nam Plinius HN. XII. 35. scripsit: Unguentarii digerunt haud difficulter, odoris atque *pinguedinis* argumentis. Id. ib. XI. 85: Cornigera *sevo* pinguescunt. *Pinguedinem* et *pinguetudinem* nonnulli putant esse eadem, cum tamen pinguedo sit ipsa obesitas et crassitudo, quae est ex *pinguedine*. Cato in Originibus: Sus usque adeo *pinguedine* (seu ut alii legunt, *pinguetudine*) crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit, neque progredi usquam.

PINNAS murorum, *pennas* avium dicimus.

PIRATA est, qui mare habet infestum; *Latro*, qui itinera terrestria reddit intuta. *Praedo*, qui portus et itinera obsidet. Cic. pro Roscio Am. L: Quis *praedo* fuit tam nefarius, quis *pirata* tam barbarus? Id. Mil. XXI: Non semper viator a *latrone*: nonnunquam etiam *latro* a viatore occiditur.

PISCATORES et CETARII differunt ut maius et minus. Ter. Eun. II. 2. 26: Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes. Nonius II. 44: *Cetarii* genus est piscatorum, quod maiores pisces capit, dictum ab eo, quod cetae in mari sunt maiora piscium genera; conf. Westerhovius ad Ter. l. c.

PLAGAE sunt, quae virgis infliguntur; *Verbera*, quae fustibus, colaphis, ferulis, flagellis. Leg. Vallae Elegantiar. VI. cap. 47. ubi et *verberare* est cum dolore caedere, *pulsare* vero sine dolore. Svet. Vitell. X: Quoscumque libebat, in libertatem asserebat, *verbera* et *plagas*, saepe vulnera, nonnunquam necem repraesentantes adversariis.

PLAGVLAS et *plagas* diversas esse statuit Schefferus de re vehic. II. 5: *Plagulas* exponit velum illud, quo operiebantur lecticarum fenestrae; *plagas* autem sindonem, qua integebantur lecti. Huic sententiae etiam favere videtur Budaeus in annot. post. ad pandectas, plagam stragulum et tapetia confundens. An vero apud veteres haec differentia fuerit observata, haud immerito dubitatur. Nonius XIV. 5: *Plagae* grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lectuariam

Digitized by Google

sindonem dicimus, quarum diminutivum est *plagulae*. Differunt igitur *plaga* et *plagula* ut maius et minus, *plagula* vero et cum lectica et cum lecto coniungitur. Svet. Tit. x: Quum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis *plagulis* caelum. Nonius iv. 361: Palam facito, et *plagulam* de lecto pellis demitte ordine. Conf. Gesn. Thes. voc. *plagulae*.

Plantae sunt surculi teneriores et virentes, qui in summis ramis ab arbore emittuntur, et desecti transferri aut inseri possunt. *Plantaria* sunt quae ex seminibus nata, cum radicibus et terra propria transferuntur. *Arbores* sunt plantae maiores et solidiores, quae altius e terra exeunt, et ramos protendunt. Virg. Georg. ii. 300: Neve flagella Summa pete, aut summa destringe ex *arbore plantas*. Id. ibid. ii. 27: Et viva sua *plantaria* terra. Cic. Orat. iii. 46: In *arboribus* truncus, rami, folia sunt. V. *Virgulta*. Th. Vall.

Platea est via lata in urbe; nec, si latine scias, eam usurpabis pro *area*, quae locum significat in urbe ab aedificiis vacuum, aut pro *foro*, in quo ius dicitur et homines negotiantur et res venduntur. Caes. B. C. I. 27: Vicos *plateasque* inaedificat. Cic. ad Att. iv. 1: Pontifices si sustulerint religionem, *aream* praeclaram habebimus. Id. Epist. ad fam. v. 8: Ut primum *forum* attigi. Varr. LL. iv. 32: *Forum* boarium, olitorium. V. *Conciliabulum*. Th. Vall.

Plenvm est, in quo est aliquod intervallum; *Refertum*, quod coactum est, in quo nullum spatium est. Goclen. obs. 340. Sed haec differentia nulla est, eique tot veterum loca obstant, ut vix in numerum veniant.

Plvma. *V.* Penna.

Plvra comparativus est, et de duobus dici potest; *Complura* neque positivum neque superlativum habens, de maiore tantum numero usurpatur. H.

Plvs a Mvlto vetustas voluit discrepare, et potest videri hanc habere posse distantiam, ut sit *multum* a plurimo minus ac non supra modum, *plus*, sicut in plerisque quod maioris modi est, quam necessarium est: atque ideo M. Tull. discrevit epist. ad Catonem: Nec idcirco mihi desiderandam esse dignitatem meam, quod eam *multi* impugnarint, sed eo magis recolendam, quod *plures* desiderarint. Non. R.

Digitized by Google

Plvvia *V.* Imber.

Pocvlvm vas est; *Potio* quod hauritur. Cic. Cluent. x: Cum ipse *poculum* dedisset, subito illa in media *potione* exclamavit. Agraet. R.

Podagrosvs a podagra bene dicitur, sed et *podagricus* a pedum aegritudine. Caris. R.

Poesis est perpetuum argumentum ex rhythmis, et respicit verba, dictionem et totum orationis habitum poëtae cuiusdam, ut Ilias Homeri, et Annales Ennii. *Poëma* est inventio parva, quae paucis verbis expeditur; *Poëtica* est ars earum, et praecepta notat. *Poësis* respicit actum exercitum; *Poëtica* signatum. Lucil. Satyr. ix: Cuiusvis operis pars est non magna *poëma*, Pars est parva *poëma*, proinde ut epistola quaevis. Ita *poësis* opus totum, ut tota Ilias una est thesis Annalesque Ennii. Atque istoc opus unum est maius multo, quam, quod dixi ante, *poëma*.

Poetice est rei, ut historice; *Poësis* operum contextus; *Poëma* certis pedibus, et legitimis numeris inclusa materia. *Poëticum* in poëta utile est. Front. *Poësis* opus tantum, totaque illa summa est una θέσις, ut Annales Ennii; *Poëma* est λέξις εὐρυθμος, id est, verba plura modice in quamdam coniecta formam: itaque etiam distichon epigrammaticon vocant poëma. Non. R.

Polimvs rudia (1); *Novamus* vetera. Fronto.

Polliceri est res magnas promittere, ut montes aureos *polliceri*, *polliceri* novas tabulas. Unde *pollicitatio* est magnarum rerum promissio, veluti si quis reipubl. aut civitati opus aliquod publicum ludosve polliceatur. *Promittere* est res quaslibet parvas, sive magnas offerre. Cic. Planc. xlii: Nihil tibi ego tum de meis opibus *pollicebar*, sed horum erga me benevolentiam *promittebam*. Plin. Epist. x. 48: Huic theatro ex privatorum pollicitationibus multa debentur. Sed iurisconsulti (D. de Aedil. xix. Ed. xliii. D. si contra Empt.) nonnunquam quamlibet aliam promissionem vocant pollicitationem, ut ex ipsorum responsis liquet. Sic *pollicemur* sponte, *promittimus*

(1) Gifanius in Observ. LL. p. 183. ex Festo adnotavit; nos quoque posse dicere frumentum, agros et vestes polire.

Digitized by Google

rogati. Posteriorem hanc differentiam minime esse perpetuam, docet Goclenius loc. cit. p. 245. Servius.

Pollicitatio et Promissio eamdem vim habent; sed *pollicitatio* quidpiam maius sonat. Donat. R.

Pometa dicuntur, ubi poma nascuntur, ut oliveta; *Pomaria* (1), ubi servantur, ut penuaria. Fl. Sosip.

Pompa, a graeco verbo πέμπω, est apparatus solemnis, et transvectio per publicas vias cum ostentatione quadam triumphi et agmine plurium incedentium. Italice: *una processione*. Differt a *supplicatione*, quae publicas preces significat vel ob rem bene gestam, vel ad Deorum iram averruncandam. Nos: *preghiere pubbliche*. Th. Vall.

Pompeii porticus, si possidet; *Pompeia*, si publicavit; *Pompeiana*, si in alterius dominationem venit. Fronto.

Pomvm generale et mollioris corticis; *Nux* durioris; *Malum* speciale. R.

Popvlvs et Plebs varie differunt. Nam interdum *populi* adpellatione omnes civitatis ordines continentur. Unde *populorum* adpellatione urbes significamus; *populi* num. sing. multitudinem unius civitatis. Serv. *Plebis* vero nomine sine patriciis et senatoribus ceteri cives significantur, ut Gellius et Iurisconsulti Inst. de Iur. Nat. Gent. et Civil. § 4. tradunt. Aliquando *populus* nominantur patricii; *plebs* autem ceteri cives. Cic. pro Murena I: *Populo plebique* romanae bene ac feliciter eveniret. Liv. II. 56: Non enim *populi*, sed *plebis* eum magistratum esse. Rursus *populus* ea pars civitatis dicitur, in qua sunt cives romani honestiores et opulentiores; *plebs* vero inops et vilis. Multitudo, in omnes tribus diffusa. Svetonius Aug. CI: Legavit populo romano quadringenties, tribubus tricies quinquies HS. *Plebs* igitur a *populo* eo differt, quo species a genere. R.

Popvlati avaritia; *Vexati* libidine et crudelitate. Pedian. R.

Popvlatio est agrorum et locorum; *Vexatio* corporum et animorum. Goclen. H.

(1) Antiqui ideo plantabant pomaria, et in illis pomosas arbores, ut ex pomis potum pararent.

Digitized by Google

Porta est aditus urbis et differt ab *ostio*, *ianua*, *foribus*, quae sunt aedium privatarum. Ovid. Amor. I. 9. 20: Hic (miles) *portas* frangit, at ille (amans) *fores*. V. *Ianua*. Th. Vall.

Porto humeris; *Fero* corpore. H.

Portvs et Navalia non sunt omnino eadem. Cic. off. II. 17: Muri, *navalia*, portus, aquarum ductus, omniaque, quae ad usum reipublicae pertinent. Hildebr. *Navalia*, locus, ubi naves texuntur et subducuntur; *portus*, manu scilicet facti, ubi naves tuto consistunt.

Portvs est, ad quem applicant naves, et in quo hiemant; *Statio*, (italice *rada*) ubi ad tempus stant. Serv. Nam *portus* est conclusus et tutior, quam *statio*. Lentulus ad Senatum: Urbe, *portu*, *statione*, quae extra urbem est. Rex Eumenes apud Liv. XXXVII. 16: Illos, tutissimo, inquit, *portu*, opulentissima urbe fruentes, omnia Asia praebente, quieta aestiva acturos; Romanos aperto in mari, fluctibus tempestatibusque obiectos, omnium inopes in adsidua *statione* futuros. Talis Appii statio, de qua Liv. XXIV. 27: Naves ad ostium *portus*, quo aliae partis hominibus animus accederet, in *statione* habere coepit. Schefferus de mil. nav. p. 210. ita: Patet ex his verbis diversas stationes a portubus fuisse, et qualiacumque commoda navibus ad quiescendum loca, etiam inculta significare. Unde Caes. B. C. III. 6: Saxa inter et alia loca periculosa quietam nactus *stationem*, et *portus* omnes timens, quos teneri ab adversariis arbitrabatur, ad eum locum, qui adpellatur Pharsalus, omnibus navibus ad unam incolumibus, milites exposuit. Sed et longius a terra distare, quam portus, Livius ostendit XXII. 19: Scipio altero ab Tarracone die ad *stationem* decem M. passuum distantem ab ostio Iberi amnis pervenit. Asdrubal, cuius naves erant in ipso ostio, militibus nunciari iubet, arma caperent, classem romanam iam haud procul a *portu* esse. Stationem graeci ὅρμον et στάσιν, portum vero λιμένα vocant. Plura vide apud Schefferum.

Poscere, ex Varronis sententia, est quoties aliquid pro merito nostro deposcimus: *Petere* vero est, cum aliquid humiliter et precibus postulamus. V. *Peto*.

Possessio Bonorvm et Bonorvm Possessio differunt. *Haec*

Digitized by Google

enim haereditatem praetoriam; *illa* illam possessionem, in quam creditores legatarii aliive immittebantur, denotat. Briss. de Verb. signif. p. m. 74. R.

Possidere est pro dominio re sua uti; *in possessione esse* est corpore incumbere et insistere possessioni, rem detinere (1). *Illud* et animo et corpore fit, et iustam possessionem constituit: *hoc* corpore tantum. Itaque servi non dicuntur possidere; at iidem, et inquilini, coloni, et qui precario rogaverunt, si corpore in praedio sunt, *in possessione esse* censentur, ut scribunt Iurisconsulti (D. de acqu. Poss. xlix.)

Possvm et ad potentiam refertur, et ad casum; sic *potero* est promittentis; *potuero* dubitantis, ut, possum errare, potest fieri. *Valeo* ad potentiam, (denotat enim non solum integris esse viribus, sed et ad aliquid conducere, atque magni pretii esse) non ad casum pertinet. Itaque dicimus: *valeo* opibus, gratia, auctoritate, viribus; non item *valeo* errare, *valet* fieri.

Postremo *V.* Tandem.

Postvlio a Postvlatione distincta erat. Struvius in syntagm. A. R. p. 217. Cum obsecratione in quibusdam convenire videntur postulationes, quas in caerimoniis rebusque divinis agnoscit Arnobius. Ob ostenta enim et portenta, vel si quid in sacris praetermissum aut commissum, decernebantur. De quo Cic. Har. resp. x: Exauditus in agro propinquo et suburbano est strepitus quidam reconditus, et horribilis fremitus armorum. De ea re scriptum est, *postulationes* esse Iovi, Saturno, Neptuno, Telluri, diis caelestibus. Sic ib. xiv. ob ostentum quoddam Telluri, *postulationem* deberi ait. Quare et fulmina postulatoria Seneca dicit, quibus sacrificia intermissa, aut non rite facta repetuntur. Ab hoc distincta erat *postulatio*, non, uti Iac. Gutherius putat, ut haec inferis diis competeret, superis *postulatio*, sed ut *postulio* sit illud ipsum, quod ad expiandos Deos praestabatur, sive hostia, sive donum, sive simile quid; *postulatio* vero consisteret in precibus pro avertendo malo. Videmus hoc ex Varrone. LL.

(1) Sed in possessionem mittere dicitur iudex ex edicto, qui rem alterutri litigantium adiudicat, et quidem ex Dolcti mente loc. persaepe alleg. fol. 130. fac. b. col. 1.

Digitized by Google

IV. 32: A Procilio, relatum in eo loco, ubi nunc lacus Curtius, dehisse terram et ex senatusconsulto ad haruspices relatum, esse responsum, Deum Manium *postulionem* postulare, idest civem fortissimum eo demitti. *Postulio* ergo erat illud ipsum, quod dii piaculi loco postulabant.

POSTVLO *V.* PETO.

POTIVS est correctionis particula, et interdum aliquam exclusionis in electione vim habet: ut mea ac tua causa, vel aliorum *potius*. Itaque aliud est: Homines *potius* amare tenebras, quam lucem; quam: Homines magis amare tenebras quam lucem; unde et iurisconsulti dicunt, hanc vocem poni elective, et non comparative, sicut annotavit Strauchius in Lexico Particular. Iuris p. 175. col. a. *Magis* vero idem fere ac *plus* est. Leg. Goclenius l. c. p. 243. H. *Magis* in comparatione fere quantitatem, *potius* vero desiderium et voluntatem rei cuiusdam eligendae vel praeferendae respicit, et sic particula exclusionis est. *Magis*, *plus* vel *amplius* quantitatem respiciunt; tamen in eo differunt, quod *magis* comparationem et quantitatem, quae est in facto rebusque gestis vel gerendis, potissimum significet, *plus* et *amplius* solum ad quantitatem, quae est in tempore et numero, referatur, et specialim *plus* contrarium habeat *minus*, potiusque accedat ad nomen, quam *magis*.

POTO *V.* BIBO.

POTVM et POTIONEM nonnulli ita distinguunt, quod *potus* sit vini, aquae et similium rerum; *Potio* sit confectio, quae aegrotantibus praebetur. Cicero, Varro aliique praestantissimi scriptores *potionem* pro *potu* frequenter usurpant. Itaque verius est in eo differre, quod *potio* generale nomen est, quae et quarumlibet rerum potum, et confectionem medicam significat; *potus* autem de pharmaco non dicitur.

PRAECIPVE non est idem, quod *specialiter*, uti indocti interpretantur, sed quod *maxime* et *potissimum*; *Singulariter* vero idem est, quod *unice*, *unico modo*, *singulari modo*, opponiturque ei dupliciter, bipartito. *Praecipue* est particula exceptionis, et usurpatur, quum aliquid excipitur, vel omnibus aliis praefertur, idemque est, quod *in primis*, *cum primis*, *potissimum*, *maxime*, *singulariter*, *prae ceteris*, eique op-

Digitized by Google

ponitur communiter, commune, universum. *Praesertim* autem est particula restrictionis seu restringendi, rem innuens ita sese habere κατ'ἐξοχήν, idemque notat. Aliud est: hunc *praecipue* diligo, i. e. ante omnes alios, omnibus praeferendo; aliud: hunc *in primis* vel *cum primis* diligo, i. e. non quidem hunc praefero omnibus, at ita tamen diligo, ut diligere soleo amicorum meorum antesignanos. At neque hanc differentiam veteres ubique observant.

PRAEDES sunt, qui fidem suam pro redemtoribus obligabant populo, datis in publicum praediis; *Praedicatores* sunt, qui sponsorum praedumque tabulas curabant: et si reus ad constitutum diem non solveret, praedia obsignata vendebant. Meminit et horum Cujacius Observ. v. cap. 29. in fin. Unde et lex praediatoria, quae de praediis praedibusque cavebat, et praediatorium ius. Cic. ad Att. XII. 17: Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV. spopondisse dicit Flavius, etsi reus locuples est, et Apuleius praediator liberalis. Id. pro Balbo XX: Etenim si Q. Scaevola Augur, cum de iure praediatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium et Cascellium praediatores reiiciebat. Svet. Claud. IX: Ut quum obligatam aerario fidem liberare non posset, in vacuum lege praediatoria venalis pependerit sub edicto praefectorum.

PRAEDIA BONA dicuntur bona satisdationibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata; *Praedia* vero domus, agri *praedia* sunt res ipsae; *praedes* homines, id est fideiussores, quorum res *bona praedia* nunc uno nomine dicuntur. Pedian. R.

PRAEDICAMVS ut res sunt. *Laudamus* extollendo. *Praedicamus* voce. *Laudamus* argumentis. Donat.

PRAEIVDICIVM dicitur res, quae quum statuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum, quod sequantur; *iudicium* autem res, quae causam litemque determinat. Ascon. Pedian. R.

PRAELIVM (1) est certamen hostile, sive eminus sive cominus fiat; *Pugna* vero est, cum hostes cominus congrediuntur,

(1) Bellum etiam sine proelio est, cum indicitur: proelium ipsa pugna. Corn. Front. R.

Digitized by Google

dicta a pugno, eo quod ante usum telorum atque missilium pugnis et calcibus et morsibus, corporumque luctatione certabatur. Aliquando etiam est verborum atque controversiae. Ceterum pugna et lucta ita differebant quondam, ut in pugna (Scaligero de Re poëtic. I. 22. testante), solis pugnis pugili uti liceret; in luctâ autem impulsu tantum et tractu, et pressione et supplantatione, ut non cederetur concertator, sed prosterneretur. Lucr. Rer. Nat. II. 117: Et velut aeterno certamine proelia, pugnasque Edere turmatim certantia.

Praemivm, (quasi praeemium dictum, quod quis prae aliis emit, vel accipit) est, quod pro recte factis redditur, in specie vero est id, quod in ludis proponitur iis, qui se strenue gessere et victores evasere. *Pretium* est, quod pro re emta datur, vel est merces conductionis, operae et artis, a quo manipretium et operae pretium. Gellius III. 8: Nobis non placet pretio, aut praemio, aut dolis pugnare. Aliquando tamen *praemium* latiori significatione lucrum et commodum quodlibet denotat, a quo praemiosum pro pecunioso veteres dixerunt, et praemiari, id est, lucrari et quaestum facere. Lucret. III. 969: Omnia perfunctus vitaï praemia marces? Id. ib. v. 5: Pectore parta suo, quaesitaque praemia liquit? Sed et pretium interdum accipitur pro praemio. Cato in oratione apud milites: Maiores seorsum atque divorsum pretium paravere bonis atque strenuis. Lucil. Satyr. XXX: Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem. Liv. XXXII: Haud satis dignum tanti laboris periculique pretium erat.

Praeparare prius: *Comparare*, undique parare. Corn. Front. R.

Praes (1) significat sponsorem datum in civili causa et lite nummaria: *Vas* proprie est sponsor alterius in re capitali, qui propterea capite cavere dicitur, inquit Festus. Auson. de monosyll. Edyll. XII: Quis subit in poenam capitali iudicio? *Vas*. Quid, si lis fuerit nummaria? Quis dabitur? *Praes*. Interdum tamen *vas* dicitur sponsor, qui ex

(1) Praedes dicuntur satisdatores locupletes pro re, de qua apud iudicem lis est, ne interea, qui tenet, diffidens causa, possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores et culta deserat. Pedian. R.

Digitized by Google

pactis conventis et mancupiis sese pro reo obstringebat, si fortasse res ab emtore evinceretur, ut in lege mancupiorum, *Vadem* ne poscerent, nec dabitur; vel qui in privato iudicio reum sisti, aut ni sistatur, pecuniae summam promittebat. Nam, ut ait Varro, consuetudo erat, cum reus parum esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alterum daret, qui illum iudicio sistendum certa die promittebat, ad quam diem, qui in iudicium veniebat, vadimonium obire et ad vadimonium occurrere, aut venire dicebatur. Cic. pro Quintio XVII: Vadimonium mihi non obiit quidam socius et affinis meus. Svet. Calig. XXXIX: Et litigantium plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa caderent.

PRAESIDIVM est auxilium militare, quod ad custodiam et defensionem alicuius praesidet. *Subsidium* vero est, quod postponitur ad subveniendum laborantibus, aut deficientibus, dictum a subsidendo, quod in extrema acie subsidebant triarii, qui ceteris usu et fortitudine praestabant, et si priores duo ordines, nimirum hastati et principes, loco moti fusique ab hostibus fuissent, tum ipsi, renovata pugna, hostes invadebant. Quo allusit Plaut. in fragm.: Agite, subsidite omnes, quasi solent triarii. Cic. pro Flacco: *Praesidia*, immo centum *subsidia* reipublicae, consilia, auxilia. *Subsidium*, quod subest deficientibus, *praesidium* imponitur, *auxilium* repentinum est. *Subsidium* ad secundos casus praeparatur, *praesidium* ad custodiam collocatur, *auxilium* ut prosit, ex insperato venit.

PRAESIDIVM est dictum, quia extra castra praesidebant in loco aliquo, quo tutior regio esset; *Obsidium* dictum ab obsidendo, quo minus hostis egredi posset in die. Varro. R.

PRAETERĒA est praeteriti temporis. Sallust. Catil. XIX: Numquam Hispanos *praeterea* tale facinus fecisse. Et temporis futuri: *Praeterea* haud suspecteris. R.

PRAETEXTA honestiorum, *toga* viliorum, quod etiam circa mulieres servabatur. Pedian. R.

PRAEVARICATOR differt a *patrono*, quod *hic* ea dicit, quae causae conducunt; *ille* vero se causam simulans defendere, dicendo, causam prodit. Gocl. obs. 39.

PRAEVERBIVM est euphonon; *Adverbium* vitiosum et fictum, tamen in usum nunc est receptum.

Digitized by Google

Pravvs idem valet ac distortus, perversus; translate vero est qui perperam de rebus iudicat. *Malus* dicitur qui caret bonitate. *Pravo* opponitur *rectus, malo bonus*. Sall. Catil. v: Ingenio *malo pravoque*. Nos: *d'indole malvagia e di poco giudizio*. Th. Vall.

Precari est rogare, *deprecari* est purgare et excusare. Virg. Aen. xii. 931: Equidem merui, nec *deprecor*. Cic. Verr. iv. 78: Quid faciet Hortensius, avaritiae ne crimina frugalitatis laudibus *deprecabitur*.

Precatio a Precibvs differt, et magis solemnis erat apud Romanos. *Precationes* enim dicebantur de omnibus precibus sacerdotum atque magistratuum publicis, quae solemni more fierent. Qua ratione solemnis comitiorum precatio dicitur, quae comitiis praemittitur. Augurum quoque erat precatio publica, et vota Tacito dicuntur precationes faustae. *Comprecatio* autem solemnis dicebatur, quod precari, priusquam populum alloquebantur, magistratus solebant, quum omnium rerum initia a diis immortalibus facienda veteres vellent. Comprecationes quidem dictae videntur, quod plures Deos simul comprehenderent. Struv. Syntagm. A. R. p. 213.

Primicerivs falso a nonnullis dicitur is puer, qui primam facem in promotione magistrorum gerit, sed potius idem est, ac λογοθέτης secretorum, et quaestor sacri palatii; quem Itali *il Gran Cancelliere* solent appellare, cuius munus est imprimis, litteris principis, quibus aut donum aliquod, aut honorem magistratumque concedit, cereum illius sigillum apponere, unde et primicerius dictus. Qui vero primus in magistrorum promotione faculam gestat, Graecis optime πρωτοδαδοῦχος nuncupatur. H.

Primipilvs est centurio primus et supremus inter decem centuriones triariorum, qui primum locum in legione post tribunum militum obtinebat. Quis sit eiusque centurio, vid. apud Schardium in Lexico Iuridico p. 744. col. a. Liv. vii. 41: P. Salonius alternis prope annis et tribunus militum et primus centurio erat, quem nunc *primipilum* appellant. Sallust. Iug. xxxviii: Centurio primi pili tertiae legionis. Caesar de B. C. I. 43: Pupius primi pili centurio.

Primvs e multis: (sic primus haeres dicitur, qui primo

Digitized by Google

gradu est scriptus (Brisson. de Formul. VII. p. 606.), et primus ordinis advocatorum, qui in sede prior est. Idem ibid. Primitus autem et primiter, pro primo dici tradit Laurenbergius in Antiquario p. 355.) *Prior* e duobus; ita *postremus* de multis; *posterior* de duobus dicitur. *Alius* de multis, *alter* de duobus. Agraet.

PRIMVM esse aliquid dicitur, respectu sui ipsius, *primo* relative ad alterum; *illud* respicit iterationem eiusdem rei, quae tot vicibus sequatur, *hoc* ordinem temporis vel loci, quo quid locetur.

PRIORES comparativi gradus sunt, *primores* summae quaeque res, Cic. Orat. I. 19: Quae isti rhetores ne *primoribus* quidem labris attigissent. Non.

PRISCVS et PRISTINVS aliquid differunt. *Priscus* respondet Graecorum ἀρχαῖῳ, *pristinus* τῷ παλαιῷ. Est igitur *priscus*, qui superiore aetate fuit. Cic. Tusc. I. 21: Itaque illud erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, esse in morte sensum. Et de Univ. XI: Credendum nimirum est veteribus et priscis, ut aiunt, viris, qui se progeniem deorum esse dicebant. *Pristinum* autem est, quod superioribus annis, mensibus, diebus, et nostra memoria fuit. Cic. pro Sulla IX: Si ille labor meus pristinus.

PROBATVM aliud est, quam *spectatum*, quod *illo hoc* maius est. Lucil. Satyr. XXVI: Tuam *probatam* mihi et *spectatam* maxime adolescentiam. Enim vero Cic. de Orat. I. 27. invertit: Ceterarum homines artium *spectati* et *probati*; v. Becmanni origines LL. p. 7.

PROBATOR est post factum; *Suasor* ante factum. Goclen. H.

PROBRVM significat omnem turpitudinem, quae ignominia delinquentem afficit, ut stuprum, adulterium, furtum, mendacium et id genus alia; *Opprobrium* est convicium, quod ob admissum *probrum* fit. Itaque recte scribit Ulpianus D. de Verb. Signif. XLII: *probrum* idem esse et *opprobrium*, quasi obiectum *probrum*, quod Valla frustra reprehendit. P. Africanus ap. Gell. VII. 11: Omnia mala, *probra*, flagitia, quae homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia atque nequitia. Cicero ad Attic. XI. 9: Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me *probrorum*.

Digitized by Google

PROBVS SIBI, *modestus* apud alios. Donat. R.

PROCONSVLES et PROPRAETORES sorte (et a senatu), *legati*, seu *rectores* Caesaris delectu mittebantur in provincias gubernandas. Svet. August. XLVII: Proconsules pacato habitu, et gladio non accincti fuerunt: *Rectores* paludamentum gestarunt et gladium. R.

PROCVL. et longe et prope significat. Ut Virg. Aen. x. 777: Clipeo est excussa *proculque* Egregium Antoren latus inter et ilia figit. Agraet. R.

PRODERE peius, quam *oppugnare*, propterea quod *oppugnare* inimici et hostis officium est; *prodere* gravius, cum ad eos, qui amici esse debent, referatur hoc verbum. Pedian. R.

PROFANI, erant sacris non initiati, qui fanum intrare non poterant. Acron. R.

PROFESTI et FESTI dies discernuntur sic: *Profesti* sunt a festivitate vacui. Non. Afranius in Privigno: Quae *festivo* nos facere solemus die, Quotidiano opere promisces omnia, Atque profesto concelebras (die) focum.

PROHIBEMVS ante inceptam rem; *Inhibemus* coeptam. Comenius. H.

PROHIBERE est avertere et impedire dictis factisve, ne quid fiat; *Vetare* est dictis resistere. Plaut. Curcul. I. 33: Nemo hinc *prohibet* nec *vetat*.

PROLETARII erant, qui in plebe romana tenuissimi pauperrimique, non amplius quam mille quingentum aeris in censum deferrent; *Capite censi* qui nullo, aut perquam parvo aere censebantur. Dicti proletarii, quod tantum reipublicae prolem sufficerent. Goclen. H.

PROLOGVS est velut praefatio quaedam fabulae in qua aut poëta excusatur, aut fabula commendatur; conf. Iul. Caes. Scaligeri Poët. I. 9. *Prologium* autem est, cum argumentum fabulae tantum describitur. Quam vocem Latini fecerunt ex graeco πρόλογος, ut ab ἔξοδος exordium, quo aliquoties utitur Varro in Satyris: Exanimasti me prologio tuo.

PROMITTERE est nudis verbis polliceri, ex quo constituitur tantum nudum pactum; *Spondere* autem est per stipulationem promittere, unde nascitur actio ex sponsu; *Recipere* est fidem

Digitized by Google

dare, se praestiturum. Ita *recipere* plus est, quam *promittere*; et *spondere* plus est, quam utrumque istorum. Cic. pro Murena XLI: Futurum esse *promitto*, et *spondeo*. Id. Phil. v. 18: *Promitto*, recipio, *spondeo*. Sen. Ep. XIX. Iam non *promittunt* de te, sed *spondent*. Quamvis iureconsulti interdum promittendi verbum latius interpretantur, et non modo ad nudam promissionem, sed etiam ad sponsionem referunt. Itaque si scriptum in instrumento fuerit, promisisse aliquem, perinde haberi volunt, atque si, interrogatione praecedente, responsum sit, spondeo, auctore Ulpiano Inst. D. de Inutil. Stip. § 17. V. *Polliceri*.

PROMVLGARE LEGEM, quando lex publice proponebatur, ut quilibet e populo eam legere, expendere, et ferenda ne esset an antiquanda, secum statuere posset. *Rogare legem*, populum rogare, velit ne legem accipere. *Ferre legem*, quando ferebantur suffragia tabellis. Lex rogatur, dum fertur; abrogatur dum tollitur; derogatur eidem, dum quoddam eius caput aboletur; subrogatur, dum aliquid adiicitur; abrogatur denique quoties aliquid in eo mutatur. Ulp. Fragm. I. 3. R.

PRONVBA seu PROMNESTRIA est mulier, quae sponsae adest; *Nymphagogus*, qui deducit sponsum; *Auspex* et *Paranymphus* sunt asseclae et deductores sponsi. H.

PROPERARE est aliquid celeriter facere. Itali: *operare in fretta*. *Maturare* est neque citius neque serius facere. Nos: *operare a tempo*. Virg. Georg. I. 259: Frigidus agricolam si quando continet imber, Multa, forent quae mox coelo *properanda* sereno, *Maturare* datur. Cf. A. Gell. X. 11. TH. VALL.

PROPOLAS inter vel arilatores, et *Negotiatores*, quos Apuleius magnarios vocat, distinguit Cic. off. I. 42: Sordidi etiam, inquit, putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant, nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec vero quidquam est turpius vanitate. Hos vero qui magnariam exercent mercaturam, multaque undique adportant, non admodum vituperandos putat Cicero, qui alias mercaturae ob philosophiam platonicam, cui deditus erat, non admodum favebat, quod videbantur, ei luxui occasionem dare, sicque plus damni, quam emolumenti habere; sed tum demum laudandos, si satiati quaestu, vel contenti potius, ut

Digitized by Google

saepe ex alto in portum, sic ex ipso portu se in agros possessionemque receperint. Heineccii antiq. IV. 7. p. 273. Faber propolam vocat, qui pluris vendit merces, quas in portu primus anticipat minori pretio.

PROPRIVM cuiusque suum, *privatum* non publicum. Corn. Front. R.

PROSPICERE et RESPICERE distant, ut adversum videre, *prospicere* recte dicatur, *respicere*, retro adspicere. Varro Manio. Sedens altus alieno sumtu neque post respiciens, neque ante prospiciens. Non. *Prospicere* futura, *iudicare* praesentia. Donat. R.

PROTENVS significat porro tenus, id est, longe a finibus; *Protinus* est statim, ac sine intermissione; vid. Virg. Georg. I. 1. *Alterum* est adverbium loci, *alterum* temporis, ut Servius notat ad illud Virg. Ecl. I. 12: En ipse capellas *Protinus* aeger ago. Ego nullam vocabulorum istorum differentiam esse puto, sicut nec differunt *quatenus* et *quatinus*, de quibus infra.

PROVINCIAS *inter se comparare*, quando proconsules in eligendis provinciis ipsi disponebant et conveniebant. *Sortiri provincias* est, si sortito mittebantur. *Ornari provincia* est vasario instructum ad provinciam abire. R.

PRO VIRIBVS significat quantum per vires licet. Itali: *secondo le forze. Pro virili parte*, ut officii mei est. Ital. *Per quel che a me s'aspetta*. Cic. Senect. IX: Quidquid agas, decet agere *pro viribus*. Id. Sext. LXVI: Haec qui *pro virili parte* defendunt, optimates sunt. TH. VALL.

PROVOCARE, tum in malum, tum in bonum accipitur; *Lacesso* in malum frequentius; *Irrito* raro in bonum, sed eleganter tamen.

PROVOCATIONES et APPELLATIONES communiter iurisconsulti ita discernunt, ut *illae* sint, quae ab omni actu vel decreto, tam in iudicio, quam extra fiunt, iudicis officium auxiliumque implorando, *hae* in iudicio tantum legitime interponantur, quo causa iniuste definita ad superioris iudicis cognitionem atque decisionem meliorem ab inferiore devolvatur. Ex quo consequitur, ut illae semper et initio causae, hae solum post sententiam latam adhiberi possint. Verum non eodem

Digitized by Google

modo antiquitus distinctum fuit; et licet provocationis vox ab ipsa provocantium formula transumta, vetustior videatur, usus tamen postea promiscuus obtinuit; nisi quod provocationem ad populum magis, quam appellationem dici, imo quoties provocatio ponitur sine significatione, ad quem fiat, popularem innui, apud auctores observes, ut apud Cic. variis locis. Livio vero id magis adhuc familiare. Certe unum scio Plinium H. N. VI. 22. qui appellationem ad populum dixerit. Ergo frustra sunt, qui monent, esse provocare maius quam appellare, quasi ad meliores potentioresque, auxilii ferendi causa, proprie spectet provocatio. Sed Fronto etiam appellationem docet, appellantis vocem esse, qui appellat ad potentiorem propter iniuriam, ut cum invocat auxilium magistratus. Enimvero in singulis provocationum speciebus videmus, appellationem et provocationem de cuiuscumque magistratus imploratione sive iudiciali, sive extraiudiciali, tamquam synonyma usurpari; v. Fr. Car. Conradi ius provocationum ex antiquitate erutum, L. 1723.

Proxima nobis aut praeterita sunt aut futura: *Praesentia* ea sunt, in quibus nunc sumus. R.

Proximvs is est, quem nemo antecedit, et quo nemo vicinior est; *Vicinus* proximus et idem non *proximus* potest esse.

Prvdentia naturalis est, *gnavitas* extrinsecus venit; *imprudens* per se, *ignavus* per alios. Donat. R.

Pvblice est publico nomine, publica auctoritate, publico sumptu. *Palam* est aperte, in oculis omnium. Illi opponitur *privatim*; huic *clam*. Caes. B. G. I. 16: Quotidie Caesar Aeduos frumentum, quod essent *publice* polliciti, flagitare. Nep. Arist. III: Ut filiae eius *publice* alerentur. Cic. Pis. X: Cum arma in templum luce et *palam* comportarentur. Th. Vall.

Pvdet in his, quae turpiter facit, *piget* in his, quae cum damno ac malo; *pudere* etiam ad decus, *pigere* ad dolorem refertur. Donat. *Pudet* et quae de alterius facto, et quae de suo.

Pvdor (1) est metus rerum turpium, et ingenua quaedam

(1) *Pudor* est tantum bonorum, *timor* etiam malorum. *Pudor* est mali facti, *verecundia* recti et honesti. Donat. R.

Pudorem olim interdum idem valuisse, quam *pudicitia* valuit, Gifanius in Observat. LL. p. 202. testatur; additque inde factum

Digitized by Google

timiditas dedecus fugiens, laudemque maxime consectans, ex quo ortum ruborem, virtutis colorem Diogenes Cynicus appellabat; *Pudicitia* est continentia a libidine; *Verecundia* est reverentia quaedam adversus homines, cuius proprium est, neminem offendere. Plaut. Amph. II. 2. 210: Sed *pudicitiam* et *pudorem*, et sedatam cupidinem. Varro de Vita populi rom.: Multo praediti pudore et pudicitia adolescentes. Sall. Catil. XII: *Pudorem*, *pudicitiam*, divina atque humana promiscua. Id. de Rep. ordinanda: Ubi divitiae clarae habentur, ibi omnia vilia sunt, fides, probitas, *pudor*, *pudicitia*. Lactant. H. *Pudorem* extinxit, *pudicitiam* flagitavit. Id. ib. Unusque igitur, quantum potest, formet se ad *verecundiam*, *pudoremque* colat.

PVERITIAM inter et PVERILITATEM qualis sit differentia, tradit doctissimus Seneca Epist. IV. his verbis: Adhuc enim non *pueritia* in nobis, sed, quod est gravius, *puerilitas* remanet: et hoc quidem peius est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, sed infantium. Illi levia, hi falsa formidant. Nos utraque. H.

PVGNAT, qui resistit; *oppugnat*, qui obsidet; *impugnat*, qui per omnia inimicus est. Itaque *pugnat* exercitus; *oppugnantur* castra vel urbes; *impugnantur* inimici. Corn. Fronto.

PVGNO magis est et specialius; *Certo* minus et generalius. H.

PVLCHRITVDO formae in viris dignitas. Unde Cic. pro Cael. Quis non possit huic aetati atque dignitati, etiamsi sine suspicione, at non sine argumento maledicere? In foeminis autem *honestas* dicitur. Unde Ter. Eun. II. 3. 65. de horrido et sene Eunucho: Illumne obsecro, inhonestum hominem, senem, mulierem? Agr. *Formosus* vero in luxuriosis, ut Virg. Ecl. II. 65: *Formōsum* pastor Corydon ardebat Alexin. Cic. Ep. fam. IX. 14: Nihil virtute *formosius*, nihil *pulcrius*. Videntur *formosa* non posse dici, quae sensu carent, aut quibus quasi sensus non tribuitur, ut, oratio, vestis, domus *formosae* non dicantur, sed *pulchrae*; formosus tamen annus appellatur, ceu quaedam quasi persona. Vavassor. antibarb. p. 532.

esse, ut *pudoris* nomen pro *verecundia* a doctis quibusdam sit positum. Ut autem *pudor* vultu proditur; sic *pudicitia* animi virtutum praeceptis imbuti latebris continetur. Goclen.

Digitized by Google

PVLSARE est vehementi et crebro ictu tundere, ut fit pugnis, calcibus, malleis, saxis; *Verberare* est caedere verberibus aut infligere plagas, quod fit manu, virga, fuste, flagello, ferula, loris et similibus. Cic. Verr. VII. 54: Lictores eum circumsistunt valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi. Iurisconsulti paulo aliter haec verba distinguunt in lege Cornelia de iniuriis, quae actionem iniuriarum ei dat qui se pulsatum verberatumque dicit. Sic enim interpretatur Ulpianus D. de Iniur. v. *Verberare* est sine dolore; *pulsare* cum dolore fieri dicitur. Quae differentia, quantum ad illam actionem iniuriarum attinet, vera et necessaria est. Nam qui per contumeliam impulsu cubiti aut manus alterum loco deiecit, aut qui pileum capite excussit, hic iniuriam fecit, nec tamen verbis legis teneretur, nisi *pulsare* sine dolore caedere interpretemur. In quo Valla frustra reprehendit Ulpianum, quem frivolis argumentis rationibus tuentur iuris interpretes, atque etiam Alexander Neapolitanus in libris genialium dierum. Quamquam illi ipsi Iurisconsulti interdum haec verba confundunt. Ulp. ad Edict. 56. D. VI Bon. rap. IV. Si cum servum meum Titius *pulsaret*, turba fuerit collecta. Et mox: Ceterum si alia causa *verberandi* fuit, cessat actio.

PVLVINI ac PVLVINARIS discrimen Ciceronianum observavit Ant. Schorus in phras p. 609. *Pulvinaria* erant deorum, *pulvini* hominum. Differunt etiam hoc, quod *pulvinaria* capiti dormituri supponebantur, in *pulvinis* autem veteres commodius cubabant vel sedebant. V. Vossii etymol. in pulvinar. De pulvinis ita Martial. Ep. III. 82. 6: Cubitisque trudit hinc et inde convivas, Effultus ostro, sericisque pulvinis. Monet tamen Alstorphius de lecticis vet. p. 32. contra Vossium, se hanc differentiam apud antiquos non adcurate observatam reperisse.

PVMILIO et NANVS notant brevi corpore hominem, paullulum supra terram exstantem. Differre tamen in eo videntur, quod *pumilio* de reliquis animalibus dicatur, *nanus* non item. Plin. XI. 108: Pumilionum genus in omnibus animalibus est, atque etiam inter volucres. Dicitur tamen nanus, etiam de equuleis, vel mulis humilioribus: conf. Gesn. thes v. *Pumilio*.

Digitized by Google

PVNICEVS et PHOENICEVS color differunt, ut ex Libanio ostendit Salmasius, atque eam ob causam Gellium reprehendit. *Color* enim *puniceus* exsuperantiam et splendorem ruboris ostendit; *phoeniceus* autem, qualis immaturae palmulae. Salmasius ad Solin. p. m. 935.

PVNCTVM proprie in lineis est, *momentum* in tempore. Sed confunditur saepe haec differentia.

PVNIRE et ANIMADVERTERE IN ALIQVEM distant. *Punire* est, si quis quocumque modo, sive iure sive etiam iniuria malum pro malo alteri reddat; sed *animadvertere* est eius, qui rite et ordine in alterum habet potestatem, i. e. cum animadversione puniendi; v. Gesn. thes. v. *Animadverto*.

PVPILLVS refertur ad tutorem, *orphanus* simpliciter quidem et sine adiunctione positum, ad defunctos parentes.

PVRI, PROBI, PROFANI, SVI, dicitur in manumissione sacrorum causa: ex quibus *puri* significat, quod in usu spurcum non fuerit; *probi*, quod recte excoctum purgatumque sit; *profani*, quod sacrum non sit et quod omni religione solutum sit: *Sui*, quod alienum non sit. Fest. R.

PVRPVRA et CONCHYLIVM non eamdem rem denotant. Svet. Cal. XVII: Feminis ac pueris fascias *purpurae* et *conchylii* distribuit. Plinius quoque HN. IX. 61. purpuram a conchyliis aperte separat, et de purpura quidem, haud mirandum dicit, tantopere ab omnibus expeti, cuius tam insignis et eximius color. De conchyliis miratur, quod pretiosa et illa essent, quum tam male olerent, nec gratum haberent colorem. Differebant conchylia a purpuris solo tingendi temperamento. Plura dabit Salmasius in not. Schildii ad Svet. l. c.

PVRPVREVS et COCCINEVS differunt. Brodaeus Misc. I. 14. Coccos qui tingendo est (inquit Dioscor. IV. cui nemo adversatur) surculosus, parvus frutex est, cui grana ceu lentes adiacent. His colorem coccineum fieri, eoque infecta vestimenta, coccinea appellari censeo. *Purpura* autem, ut fatentur omnes, piscis est e concharum genere, qui florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habet faucibus. Quare quum ita res se habeat, qui fieri potest, ut vestis purpurea a coccinea nihil differat? Scio tamen, Parrhasium, Garinum atque alios complures vestem eamdem credidisse ac litteris

Digitized by Google

etiam mandasse, sed eorum auctoritas plus veritate valere non debet. Coccum diversum a purpura, clare intelligitur ex l. LXXII. § 13. D. de legat. Purpurae autem appellatione omnis generis purpuram contineri puto: sed coccum non continebitur; v. Gesn. thes. v. *coccum*, ubi ita: Coccum nobile illud granum, quo efficitur ille laudatus color coccineus, acutissime rubens seu puniceus ex purpura etiam exsplendescens, sed exsplendescens, seu radians tantum e violaceo.

PVTANT (1), qui omni genere errant; *Suspicantur*, qui aliquo modo praevident. Fronto.

PVTAT dubitans; *Aestimat* ex natura rei; *Opinatur* opinioni suae, vel alienae credens; *Arbitratur* dubio fidem dans. H.

PYRGVS et FRITILLVS differunt. *Pyrgus* erat turris lignea, in modum modii facta, quae in parte alveoli haerebat, in summo aperta, et gradus intus excisos habens, in imo vero foramen, quo tesserae effundebantur in tabulam. At *fritillus* erat pyxis, quae manu tenebatur et movebatur cum tesseris quae inde in pyrgum mittebantur, ut per scamillos intus excisos, crebro subsultantes, in tabulam demum exciderent. Salmasius Exerc. plin. p. 50. Gesn. thes. v. *fritillus*. *Fritillus* in lusu aleae est vasculum poculo simile, quo coniecti tali agitatique mittuntur in alveolum; praestitit igitur eum usum, quem pyrgus seu turricula, obstitit fraudi eorum, qui argutis nimis digitis possent tesseras, pro ut e re esset, non tam iactare, quam ponere. Graphice hoc describit Seneca in opella cui nomen fecit: Ἀποκολοκύντωσις. *Pyrgus* turricula est intus cochleatim structa, ut temere devoluti tali vel tesserae suo motu intra prosiliant in alveolum seu forum. Porphyr. ad Horat. Sat. II. 7. 17. pyrgum cum fritillo confundit, quando ait, pyrgum, quem nos fritillum dicimus, quo coniectae tesserae, agitataeque mittuntur. Rectius dixisset, pyrgus idem praestat, quod fritillus. Plura hac de re legere cupientibus satisfaciet Senftlebius de alea p. 155. f. 167. seq. qui errorem quoque Turnebi corrigit, cuius

(1) *Putare* est eius, qui simplicitate pectoris aberravit. Donat. Cic. Non putavit, lapsus est. R.

Digitized by Google

haec sunt verba: Fritillus videtur fuisse vasculum longum, in quo mittebantur tesserae, vel tali, vel calculi; pyrgus turris per cuius altitudinem mittebantur in alveum. Calculos mitti solitos in fritillum, nemini persuadebit. Calculi enim in tabula dabantur, non vero mittebantur.

Q.

QVAERERE ALIQVEM, *Quaerere ab* vel *ex* aliquo. H.

QVAERERE et PETERE differunt. Nam qui *petit*, vult obtinere, qui *quaerit*, vult scire vel invenire. Sic cum apud Plaut. Aul. I. 2. 13. dicitur quis ignem *quaerere*, intelligendus est ignem reperire cupere, non petere, obtinere. Hanc differentiam doctis probasse peculiari oratione Parisiis Lambinus gloriatus est; v. Taubm. ad Plauti l. c. De more veterum, ignem non semper domi suae excitandi, sed petendi plerumque a vicinis, quibus haud facile illum petenti negare licebat, uberius agit Rittershusius ad Phaedri Fab. III. 19: Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domos.

QVAERIT, qui ad plenum et perpetuum reponit: *Quaeritat*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. Donat. *Quaerimus* disciplinam; *Inquirimus*, de quo dubitamus; *Desideramus*, vel quod diligimus, vel quod amisimus. Fronto. *Quaerimus* inquirentes, *Querimur* deplorantes. *Quaerimus* lucrum; *Querimur* lacrymis; *Requirimus*, dum diu quaerimus. Afranius in fratriis et fratribus p. 50: Proin tutum quaeram, ne requiram te vide.

QVAESTOR est, qui quaesturam gerit (1); *Quaestorius*, qui *quaestor* fuit, quem posterior aetas Ex quaestore vocat, ut Ex consule, Ex praefecto; *Proquaestor*, qui mortuo vel absente quaestore eius munere fungitur. Cic. Verr. II. 4: Cum eum, cui Legatus et *proquaestore* fuisset, in invidiam adduxit. Similiter differunt consul et consularis, praetor et praetorius. Sed proconsul dicebatur, qui post gestum consu-

(1) *Quaestoris* urbani partes quaenam sint, tradit Brissonius de Form. II. p. 252.

Digitized by Google

latum, anno insequenti in provinciam eodem summo cum imperio mittebatur; propraetor autem, qui ex praetura provinciam obtinebat. Unde provinciae aliae consulares, aliae praetoriae vocabantur. Etsi interdum propraetor significat eum, qui, absente duce, vicario munere exercitui praeerat. Nam praetor appellabatur etiam is, qui exercitum ducebat. Sic, scribente Sallustio, Iug. CII: Syllam legatum Marius consul in expeditionem proficiscens propraetore reliquerat. Id. Ib. XXXVI: Albinus consul, Aulo fratre in castris propraetore relicto, Romam decessit.

QVANDO, interdum interrogationem temporis significat, ut: *quando* erit illa dies? Alias significat quoniam, vel quandoquidem. Virg. Aen. x. 509: *Quando* tot stragis acervos Teucrorum tua dextra dedit. R.

QVANTVMVIS et QVANTIVIS differunt. Alterum contemtionis, alterum laudis. Donat. R.

QVARTO locum significat, et tres ante factos. *Quartum* tempus denotat, et ter ante factum. Similiter distant tertium, quintum, sextum, et tertio, quinto, sexto. Legatur Nonius Marcellus de Proprietate Sermonis fol. 211. fac. a. Ennius Annal. VIII: Quintus pater *quartum* fit consul. Sed hanc differentiam, quam Varro et Gellius tradiderunt, non observant veteres scriptores. Nam et Gellius in Historiis dixit: Tertio et *quarto* Cos.; et Quadrigarius Annal. XIX.: C. Marius creatus septimo consul. Item inscriptio Romana: P. Decius P. Decii. F. Primo. Cos. De. Samnitibus. Triumphans. Spolia Ex. His. Cereri. Consecravit. Nec est ulla ratio, cur magis differant *quartum* et *quarto*, quam primum et primo, postremum et postremo: quae promiscue et indifferenter dici notissimum est.

QVATENVS significat quo fine, quo usque, ut hactenus hac fine; *quatinus* vero significat quoniam, quia, ut tradunt Festus et Victorinus. Quae differentia arguta magis est, quam vera. Nam ut iam ante monui, una eademque vox propter diversas significationes non debet varie scribi, et fuit alioqui veteribus usitata commutatio litterarum E et I, de qua dixi libro primo de usu antiquae locutionis. Ut non sit dubium mihi quidem, antiquissimos in utraque signifi-

Digitized by Google

catione indistincte scripsisse *quatenus* et *quatinus*. Sed prioris significationis usus tritissimus est; posterioris exemplum suppeditat Hor. Od. III. 24. 30. seq., ubi editio Cruquiana et Thomae Treteri Index legunt imprimis *quatinus*: *Quatinus*, heu! nefas, virtutem incolumem odimus. Et Satyr. I. 3. 76. seq. Denique *quatinus* excidi penitus vitium irae, Cetera item nequeunt (1). Svet. Claud. XXVI: Confirmavitque *quatenus* matrimonia sibi male cederent, mansurum se in coelibatu. Plin. Epist. III. 7: Et *quatenus* nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Iuven. Sat. XII. 102: *Quatenus* hic non sunt, nec venales elephanti.

QVATIO est violenter agito, vel impello; *quasso* est in varias partes iacio vel moveo cum magna indignatione magnaque vehementia, quod gravius et violentius est, quam *quatio*. Ovid. Her. XVIII. 48: Ventus *quatit* aquas. Plaut. Trin. v. 2. 35: Quid *quassas* caput? Hinc *quassata* dicuntur, quae disiecta et fracta desederunt. Virg. Aen. I. 555: *Quassatam* ventis liceat subducere classem.

QVERIMONIA certae rei est: *Querela* supervacua est. Itaque prior gravitatis est; posterior levitatis. Breviter: *querela* est querimonia levior; *querimonia* autem *querela* gravior. Front.

QVIA causam reddit plerumque et respicit quare. *Quoniam* plerumque rei statum aut conditionem declarat, et est idem ac siquidem, quando, quandoquidem. Nec desunt loci veterum, ubi *quia* pro *quoniam*, et v. v. *quoniam* pro *quia* ponitur.

QVIDAM notat rem certam; *Quispiam* vel *aliquis* incertam et vagam. Gocl. Sed haec differentia non semper ita vera est, ut flagitiosum sit contra fecisse.

QVILIBET non universale, sed indefinitum est. Universale autem est *unusquisque*; sed *quisque* indefinitum eiusmodi, quod distributive sumitur.

QVIETVS et PLACIDVS non nihil differunt. Phaed. Fab. II. 7: Comes *quieto* sequitur et *placido* gradu. Infinita docent

(1) Perperam noster Horatianis hisce exemplis nititur confirmare, aliquod discrimen intercedere inter *quatenus* et *quatinus*. Namque optimae quaeque editiones in locis allatis habent: *quatenus*. TH. VALL.

Digitized by Google

exempla, haec duo vocabula non plane eamdem vim habere, Virg. Aen. V. 848; Valer. Max. VI. 3; Sen. de provid. II; id. ep. VII. 2; id. de ira, I. 1; Apul. de deo Socr. Denique ex oppositione apud Phaedrum l. c. differentia rectius intelligitur. Nam placido gradu opponitur τοῖς celsa cervice eminens, quieto τοῖς iactans collo tintinnabulum; v. Burmanni notas ad Phaedr. l. c.

Qvis ad unum indefinitum refertur, ut Cic. Fam. IV. 1: Si *quem* tuorum fidelium voles, ad me mittas. *Quisquis* vero, vel *quicumque* ad universos confuse dicitur. Similiter *quot* certum desiderat numerum; *Quotquot* vel *quotcumque* omnes denotat, ut observavit Priscianus.

Qvis et Qvid interrogativa sunt; *Qui* et *quod* relativa; *Quidquid* et *quodcumque* indefinita. H.

Qvot de discretis; *Quantum* de substantia. H.

Qvotannis et Qvotidie tempus continuatum significant: *In singulos annos*, et *in dies singulos*, tempus interruptum; per *intervalla annorum et dierum*, seu *quotannis*, fere est continuum; *singulis annis* intervallum. Sic *quotidie* est continuum; *singulis diebus* est intervallum. Cic. Attic. v. 7: *Quotidie* vel potius in *dies singulos* breviores litteras ad te mitto. Ulp. ad Sabinum 23. leg. 13. D. de Tritico XVII. D. de Annuis. Haeres meus amphoras decem *quotannis* in *annos singulos* dato. Labeo Posterior. II. Vini Falerni, quod domi nasceretur, *quotannis in annos singulos* binos culleos haeres meus Accio dato.

Qvotvs interrogat; *Quotusquisque* paucitatem simul infert. H.

R.

Racemi sunt uvae minores et exilioribus granis, qui plerumque a vindemiatoribus sub pampino latentes fallentesque relicti post colliguntur. *Uvae* sunt maiores, ac crassioribus acinis, ideoque *uvae* plenae sunt suavi succo, qui in uvis passis exsiccatur. Plin. NH. III. 3: Quando non *racemos* sed *uvas* alias gignunt.

Digitized by Google

RADERE et TONDERE non sunt eadem. Svet. Caes. XLV: Circa corporis curam morosior, ut non solum *tonderetur* diligenter ac *raderetur*, sed velleretur etiam. Id. Aug. LXXIX: Modo *tonderet*, modo *raderet* barbam. Martial. Ep. II. 17: Non *tondet*, inquis? ergo quid facit? *radit*. Distinguunt etiam ita, ut *tondeo* de homine et pecore dicatur, *radere* numquam de pecore.

RAPI dicebantur res mobiles. Immobiles non *rapi* sed *invadi* dicebantur. R.

RAPTIO ad personam refertur; *Rapina* ad rem; *Raptus* ad stuprum proprie; *Praeda* ad victoriam.

RASORES diversi sunt a *coelatoribus* et *tornatoribus*. Distinguit eos Theophrastus. *Tornatores* exsculpunt et insculpunt ligna, non vice versa tornant sculptores; praeterea strias et sulcos in ligno tornatili facere possunt tornatores, figuras et sigilla torno exprimere nullo modo queunt. Radunt utrique tam tornatores quam caelatores. Τορνευταὶ dici etiam possunt γλύπται, non tamen e contrario γλύπται dici possunt τορνευταὶ.

RASTRVM et RVTRVM distant. Varro L. L. IV. 34: Rastri, quibus dentalibus penitus eradunt terram, atque eruunt, a quo et rutabri dicti. Dentati igitur *rastri*, et sane a radendo dicti. Cato RR. XI: Oportet habere villicum palas sex, *rutra* quatuor, *rastros* quadridentes quatuor. Ergo aliud *rastrum*; aliud *rutrum*. Rastri eradendae potius et poliendae terrae, quam fodiendae et eruendae facti, cui rei rutrum inserviebat; v. Salmasii exerc. plin. p. 365.

RECIDIVA sunt, quae ex suo casu restituta, eodem modo et genere redeunt, ut recidivas febres dixit Plinius. Virg. Aen. VII. 322. et X. 58: *Recidiva* pergama; Tertull. Reciprocarum frugum et uvidorum elementorum, et *recidivi* anni fidem argumentantur. Arnob. IV. Quidquid prior aetas abstulisset, *recidivâ* substitutio denegaret. *Rediviva* autem sunt, quae ex vetustis renovantur, et quasi in vitam nova adsumta forma, denuo revocantur, seu suo casu restituuntur, ut redivivus lapis, qui ex vetere in novum aedificium translatus, de integro politur. Cic. Verr. III. 56: Utrum existimatis, minus operis esse unam columnam efficere ab integro novam, nullo lapide *redivivo*, an quatuor illas reponere. Id. ib. *Rediviva* sibi habeat.

Digitized by Google

RECIPERE et SVSCIPERE eo differunt, quod *suscipitur* totum, *recipitur* pars; et *suscipitur* id quod principale est, *recipitur*, quod hinc pendet (1). Denique *suscipitur* solum aliquid propter se; *recipitur* etiam propter aliud, ut notat Asconius Paedianus. *Recipimus* aliquid rogati, *suscipimus* sponte. Agr. *Recipiuntur* delata, *suscipitur* aliquid ultro.

RECIPERE (2) aut PROMITTERE amplius quidpiam significare quam *polliceri*, argumento est, quod Cicero inquit: De aestate polliceris, vel potius recipis. *Recipere* enim est, quasi periculum et eventum rei suscipere in se. Vid. Goclenius cit. p. 246. H.

RECIPIO quod habui; *Suscipit*, qui, quod non habet, sponte accipit. H.

RECITANT proprie qui de scripto legunt, *pronunciant*, qui memoriter dicunt. *Recitant* eruditi in coetu amicorum, *pronunciant*, qui aliquid pro auctoritate dicunt, notatu dignum.

RECTA loca dicuntur, quae absque ullis anfractibus surgunt in altum, vel in longitudinem extenduntur; *Porrecta* sunt plana et patentia; ita recti montes, rectae turres, porrecti campi. Caes. B. G. II. 19: Porrecta ac aperta loca. Id. VI. Rectaque fluminis Danubii regione. Horat. Epist. I. 7. 41. seq. Non est aptus equis Ithace locus; ut neque planis Porrectus spatiis. Minut. Fel. in Octav.: Quid loquar apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum.

RECVSARE est denegare; *Accusare* est culpare pares et inferiores; *Incusare* est culpare superiores; *Excusare* est culpam dimovere. H.

REDDERE est acceptum et ablatum vel abductum retro dare; *Reddere* nonnumquam et pro solvere atque dare capi, Gifanius loc. saepissime alleg. est auctor p. 211., et quidem praeeuntibus Plauto, Cicerone, atque Horatio. *Restituere* vero est amissa et alienata, aut immutata, ad priorem do-

(1) *Recipere* et *suscipere* Cicero in Divinat. Ego in hoc iudicio mihi Siculorum causam receptam, populi romani susceptam esse arbitror. R.

(2) *Recipere* plus est, quam promittere. Cic. Ep. XIII. 28 et v. 8. Qui enim in se recipit, praestiturum se promittit. Et XIII. 41. dixit; confirmo et spondeo. R.

Digitized by Google

minum atque statum pristinum reducere. Ter. Eun. I. 2. 66: Praeterea ut suis *restituam* ac *reddam*, id est, ut virginem servam in libertatem restituam, et abductam reddam. Liv. III. 68: Tribuni vobis amissa *reddent* ac *restituent*. Gellius III. 8: Captivosque omnes, quos tum habuerit, *restituisse* et *reddidisse*. Sed ἀκρίβεια non usquequaque observatur. *Redditur* nobis, quod nostri cupidum est, *restituitur* nobis cuius cupidi sumus. *Restituimur* iis, quibus nos volumus, *reddimur* iis, qui nos volunt. Donat. R.

Reditvs et Reversio non sunt synonyma. Est enim *reditus* eius, qui, quo statuerat, pervenit; *reversio* autem eius, quem ex itinere causa aliqua revocat, et reducit ad eumdem locum unde a principio discesserat. Quod Ciceroni in Graeciam proficiscenti contigisse ostendunt ea, quae in Phil. I. 3. narrantur. Propterea, cum hac ipsa de re ad Att. XVI. 7. scriberet: Dii immortales, inquit, quam valde ille reditu, vel potius reversione mea laetatus. Itaque quum Cic. Phil. I. 1: Exponam, ait, vobis breviter consilium et profectionis et reversionis meae, proprie loquitur, quia reversio illa fuit potius quam reditus. Non enim in Graeciam Cicero pervenit. Interdum tamen confunduntur, et *reversio* capitur pro *reditu*, ut Id. de Fin. II: Ut omnium siderum eodem, unde profecta sunt, fiat ad unum tempus reversio. *Reditus* autem pro *reversione*. Cic. Philip. I. 4: Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum; et Phil. II. 30: Qui vero Narbone reditus? Non dicit, quae Narbone reversio, cum tamen reversio illa potius Antonii fuerit, quam reditus; profectus enim ab urbe, ut in Hispaniam iret, Narbone dies aliquot mansit, deinde mutato consilio Romam revertit. V. Manut. ad Bic. Phil. I. 11. Quin Cicero Phil. II. 30. sibi ipsi mox reditum, mox reversionem tribuit. Et tamen quaerebat: Cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem. Exposui nuper causas reditus mei. Nam quod quaerebas, quomodo rediissem? Attigit hoc discrimen etiam Gesn. in thes. v. *reversio*. Qui regreditur ante quam eo perveniat, ubi animum intenderat, is non redire dicitur, sed reverti, redire autem, qui coeptum iter absolvit.

Refellit, qui negat; *purgat*, qui fatetur, et sic defendit.

Digitized by Google

Refellimus per coniecturam, *purgamus* per ceteros status. Donat. R.

Referre respicit simplicem narrationem, *exponere* addit omnes ac singulas circumstantias, *explicare* uberius interpretatur et illustrat.

Refvtatio in rem est, *confutatio* in personam. Donat. R.

Regivm, quod regis, ut, regia domus, vel aula sive vestis regia; *regale*, quod rege dignum est. Fronto.

Regnvm est, cui rex, et quidem cum regiis insignibus praeest; *dominatus*, ubi unus imperat, ceteri servi sunt; *principatus* est status monarchicus quidem, sed qui cum dominatu libertatem miscet.

Regvlam inter et Perpendicvlvm et Normam Vitruv. vii. 3. ita distinguit: Longitudines ad regulam et lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam exigantur. Plura v. in Gesn. thes. voc. *perpendiculum*.

Relegatvs ius civitatis retinebat, certo loco concludebatur, aut urbe, provincia, aliove loco prohibebatur ad tempus vel in perpetuum, et tamen omnia iura sua et bona, praeterquam si quaedam bonorum pars ademta fuerat, servabat integra. *Exul* ius civitatis amittebat in perpetuum, vel ablegabatur in insulam, quam princeps adsignarat, vel extra Italiae fines ad socios transire iubebatur, et omnia iura sua et bona, quae publicabantur, amittebat. Differunt ita ut minus et maius.

Religio est cultura Dei; *Superstitio* (1) vero est caelestium et divinarum rerum quae super nos stant inanis et superfluus timor. Cic. de Nat. Deor. ii. 28: Non enim philosophi solum, verum etiam maiores nostri *superstitionem* a *religione* separaverunt. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, et quasi relegerent, dicti sunt religiosi ex relegendo. Leg. Oli-

(1) Sed vero superstitiosi proprietatem ex hoc habent, quod prae cultura Deorum supersedeant cetera, id est negligant. Itidem et religiosi quasi religosi, omnium ceterorum sacrificiis serviant, Non. R.

Digitized by Google

verii Arzignanens. Commentar. Histor. et Litter. ad Val. Maximi I. cap. 1. fol. 2. fac. b. Cic. in Partit. Orat.: Fortitudinem audacia imitatur, et *religionem superstitio*. Frequenter tamen religio pro superstitione, id est, inani timore ac sollicitudine usurpatur a Varrone, Cicerone, Virgilio et aliis, quorum testimonia exstant apud Nonium. Hinc religiosum a superstitioso Varro in libris Rerum Divinarum ita discernit, ut superstitiosum dicat timere Deos, religiosum autem tantum eos vereri. *Pro religione* ponitur apud scriptores *formido*. Sil. I. 81. 82: Urbe fuit media sacrum genetricis Elisae Manibus, et patria Tyriis formidine cultum. Distinxit autem Curt. IV. 10. 2. ita: Sollicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens *religio* et ex ea *formido* quaedam incussa est. *Religio*, notante Pitisco ad h. l., est horror, quem res divinae, et vim humanam superantes nobis infligunt, quo fit, ut quasi constricti teneamur, nec animi mentem quoquam convertere audeamus. Inde religionem obiicere Plauto Merc. II. 5. 40, est, deorum metu aut religione negotium alicuius rei impedire. *Formidinem* Cic. Tusc. IV. 8. definit, esse metum permanentem. *Religio* est erga Deum; *Pietas* in Deum atque in parentes, patronum, patriam simul. Goclen. H. Sed non est perpetuum hoc.

Relinqvimvs lubentes; *Deserimus* inviti. Et: *relinquimus* aliquid, quod in loco relicto manet; *deserimus* etiam locum, ubi nihil manet. H.

Reliqvi, sunt relicti; *Ceteri*, quos nescimus. H.

Remedivm, ne periclitemur, datur. *Medicamentum* ad subita pericula aptatur. Atque ita remedium submovet imminentia, medicamentum sanat non sana. Front.

Remotvm est, quod longe abest; *Semotum*, quod seorsum positum est. Lucr. I. 58: *Semota* e nostris rebus *seiunctaque* longe. Id. ib. 45: Quasi omni tempore semotum fuerit, longeque remotum.

Renovare et Redintegrare distant. Auct. ad Herenn. II. 30: Enumeratio est, per quam colligimus et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus breviter, ut *renovetur*, non *redintegretur* oratio. Longol. ad h. l. *Renovantur* aedes, quae longa vetustate propemodum absumtae restaurantur. *Redin-*

Digitized by Google

tegrantur vero, quae penitus collapsae omnino novae fiunt. Sic et oratio *renovatur*, quae propemodum in oblivionem veniens, ad memoriam revocatur; *redintegratur* vero, cuius omnino obliti tamquam ab integro novam audimus.

RENVNCIARE muneri, vel hospitio, est recusare; *Renunciare consulem* est declarare. H.

REPRIMERE est ad tempus; *Comprimere*, in perpetuum. Ideoque *comprimi* plus est, quam *reprimi*, id est, quam refrenari et leniri. Goclen. H.

RES diversae sunt a *rationibus*. Nam *rationes* sunt ipsa nomina, et quidquid in tabulis refertur; *res* sunt ipsa corpora, ut pecunia, merces, penus. Itaque separantur Plaut. Amph. Prol. v. 4; Pseud. II. 2. 31. et apud Cic. pro Quintio. R.

RESCISCVNT, ad quos pertinet et qui nesciunt; *sciunt*, qui negligunt. *Resciscimus* ex alio, *scimus* etiam per nostram opinationem. Donat. R.

RESPONDEMVS proprie praesenti, *rescribimus* absenti. Seneca Epist. LXII: Sic afficior animo tamquam tibi non rescribam, sed respondeam. Vid. Cuiac. Observ. XII. 8. R.

RESTIARIVS est, qui facit restes, h. e. vincula e cannabe, vel stupa, omni fune minora. *Restio*, qui vendit, ut tradit Fronto. Sed meo iudicio non recte. Nam *restiarius* est, ut lintearius, qui restes vendit, ex eaque re quaestum facit; *restio* est, ut linteo, pellio, qui restes intorquet et nectit. Alter Graecis dicitur σχοινοπώλης, alter σχοινοπλόκος, sive καλωστρόφος, ut Plutarchus in Augusto dixit. Glossarium σχοινοπλόκος resticularius, restio. Svet. Aug. II: Libertinum ei proavum exprobrat, restionem.

RESTO et RESISTO ita differunt, ut *obsto* et *obsisto*, de quibus supra; etsi non perpetua est haec differentia, et interdum *resto* pro *resisto* sumitur. Sallust. Historiar. I: Urbem multos *restantem* pugnando vicit. Ovid. Fast. II. 749: Postmodo victa cedes, melioribus, Ardea, *restas*. Propert. Eleg. III. 8. 31: Dum vincunt Danai, dum *restat* Barbarus Hector.

RETIA et PLAGAE differunt. Cic. Verr. v. 58: In illas tibi maiores *plagas* incidendum est. Virg. Aen. IV. 131: Retia rara plagas, ubi Servius: Multi dividunt, ut sint *retia*

Digitized by Google

maiora, *plagas* minora intelligamus. Alii plagas per definitionem accipiunt. Sciendum tamen, proprie plagas dici funes illos, quibus retia tenduntur circa imam et summam partem. Gesn. voce *plagae*.

Revm facere est in iudicio legibus interrogare de crimine de quo postulatum est; *Reum agere* (1) est accusare, et actionem prosequi. Leg. Schardii Lexicon Iuridic. p. 819. col. a. Nam primum postulabat actor a praetore, ut accusare liceret; quo impetrato, nomen deferebat, postremo accusabat. Coelius ad Cic. Fam. viii. 6: Illud mihi occurrit, quod inter postulationem et nominis delationem uxor a Dolabella discessit. Valer. Maximus vi. 8: M. Antonius avorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur. Id. viii. 1: Flavius a C. Valerio aedile apud populum reus actus. Sed haec fere confunduntur, sicut et postulare et accusare.

Revs stipvlando est idem, qui stipulatur: *reus promittendo* est, qui suo nomine alteri quid promisit, quive pro altero quid promisit. Fest. R.

Rheda saepe generalius vehiculum, saepe specialius denotat. Si specialius et peculiare, differt a *cisio*. Casaubonus in Svet. Iul. lvii: *Rheda* quatuor rotas habebat, ut *cisium* duas. Distabat etiam *rheda* a *petorito*, de quo docet Ausonius ep. viii. atque aliis. Non probat Schefferus de Re Vehic. ii. 30. p. 342. quod idem habet Casaubonus. Quemadmodum hoc genus vehiculi a rotarum numero τετράκυκλον nomen invenit, sic apud vetustissimos Aeoles ab eodem numero πετορίτον dictum. Πετορίτον est petoritum, a quo non semel rhedam distinguit Ausonius, qui et ipse gallus fuit, et gallica vehicula optime nosse debuit. De *cisio* Schefferus de re vehic. sigillatim agit ii. 18. de petorito 26.

Rhetorice est ars bene dicendi circa orationem ad persuadendum idonea. Unde *rhetorice* aliquid dicere est graviter, splendide, magnifice, vehementer ac copiose aliquid dicere. *Dialectica* autem est recte disserendi scientia circa orationem

(1) *Reum agi* est accusari, vel ex legibus interrogari; *reum peragi* vero est condemnari. Parrhas. ad Cic. pro Milone. R.

Digitized by Google

quae interrogatione et responsione consistit. Haec Diogen. Laertius in vita Zenonis, ubi verba graeca sunt videnda. H.

Ridet, qui simpliciter ridet; *deridet*, qui alterius irrisione et contemtu ridet. Donat. R.

Ripae propriae fluminum sunt, dictae a ῥίπτω, quod impetum ventorum, vel aquarum, quem sustinet ripa, denotat. *Littora* maris, ut Ovid. Metam. I. 42: Pro ripis littora pulsant.

Rixam et Turbam multum differre, Labeo ait. Nam *turbam* multitudinis hominum esse turbationem et coetum; *rixam* etiam duorum: Vid. Valla Elegantiar. VI. 61. Unde edicto praetoris de damno, quod in turba datum est, in turba factum interpretatur Ulpianus IV. D. quod decem aut quindecim hominibus coactis factum est. Ego hoc amplius interesse puto, quod rixa levis verborum velitatio est, turba multitudinis commotio, seu concursus vel concertatio et pugna. Cic. Verr. VI. 66: Ecce autem nova turba atque rixa. Liv. II. 18: Concursu hominum rixa, ac prope praelium fuit. *Rixa* sine armis est, et habet defensionem; *pugna* legem habet vel naturalem, vel moralem. Palaestrans enim vel exhibet virtutem, vel armis per sua vitae pericula dimicat. Corn. Fronto.

Robvstvm corpore, sed dices pectore *fortem*. R.

Rogare minus est, *orare* plus. Asconius in Cic. Divinat. Rogare ut homines, orare ut Deos. R.

Rogationes sunt leges. Rogationes sunt, si proconsules provincias sicut priore anno eas tenebant, obtinere iubebantur, quoniam per modum rogationis ad populum ut leges ipsae fieri debebant. Livius VIII. 26. R.

Rosevm per se, seu quod rosarum qualitates exhibet; *rosàceum* mixtum, seu ex rosis confectum. Sic rosaceas corollas quaerimus apud virgines; roseam autem fragrantiam in talibus corollis. Fronto.

Rostrvm non est, nisi quod incurvum est. Agr. R.

Rvber color non idem est cum *rufo*. Brodaeus in misc. Alciatum reprehendit, quod in parergis colorem rubrum cum rufo confundit. Brodaeus existimat, ita distingui oportere, ut *rubrum* natura sanguinem esse, *rufum*, v. c. Saxonem aut Britannum dicant. *Rufos* capillos, rufam barbam Germanos quosdam habere, non rubram. Decepit Alciatum vernacula

Digitized by Google

lingua, siquidem Itali tam rubrum quam rufum *rosso* promiscue vocant. Nec inficiatur tamen Brodaeus, quosdam rubros et rubicundos posse dici. De rubro et rufo colore singillatim agit Gellius II. 26, ubi Favorinus: Russeus color et ruber nihil a colore rufi differunt.

Ruber color simplex atque nativus est; *Rubeus* sive *robeus* mistus et concretus ex rubro et albo paululum virenti, ut in melle et in moris maturescentibus: ita dictus, quia ex rubiae herbae radice, quam ἐρυθρόδανον Graeci appellant, in tinctoriis officinis conficiatur; *Rubidus* vero est rufus, nigrore multo infuscatus, forte a rubi fructu dictus. Plautus Casin. II. 5. 2: Ibi torreto me pro pane *rubido*. Varro RR. II. 5: Colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio helvo, quarto albo. Vetus inscriptio: Omnibus annis vitulo robeo et verre.

Rvdis et Missio gladiatorvm differebant olim. *Missio* enim victo, *rudis* victori tribuebatur; *huius* perpetuus, *illius* in eum tantum diem erat effectus. Mart. Ep. XII. 29. Lipsius saturn. serm. p. 114.

Rvmor tumultuatur; *Fama* indicat; *Opinio* reddit suspectum. H.

Rvra dicebant silvas et pascua; *Agrum* vero eum qui colitur. Serv. R. V. *Villa*.

Rvrare et Rvsticari a nonnullis confunduntur. *Rurare* est ruri agere, et opus facere, seu rus colere, sicut arare, arvum colere. Varro apud Non. II. 731.: Dum in agro studiosus ruror, idest agrum colo. Sed aliud plane quid notat *rusticari*, quod et Scipio Gentilis monuit. Significat nimirum hoc verbum ruri agere, degere, sine labore rustico.

Rvrsvs repetit sine respectu numeri et ordinis; *iterum* primam repetitionem respicit.

Rvrsvm proprie retro: *Prorsum* ante significat. Donat. R.

S.

Sacellvm *V.* Cella.

Sacramentvm non vocari omne *iusiurandum a militibus* praestitum, sed illud tantum, quod sub ingressum militiae iuratur, immo plus gravitatis et sollemnitatis habuisse *ius-*

Digitized by Google

iurandum quam *sacramentum*, docemur a Livio xxii. 38: *Milites tunc, quod numquam antea factum erat*, iureiurando *ab tribunis militum adacti, iussu consulum conventuros, neque iniussu abituros. Nam ad eam diem nihil, praeter* sacramentum *fuerat; et, ubi ad decuriatum, aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites coniurabant.* Ex his verbis abunde patet, ad eam diem satis fuisse, si, ad militiam accedentes, nil praeter sacramentum dicerent, quod ita minus solemne erat. Tunc, quod insolitum, ante quam in Africam transirent, iurisiurandi religione, tamquam in re gravissima, adactos fuisse. *Iusiurandum* enim omnium promissionum religiosarum gravissimam fuisse, inter veteres scriptores non Cicero solum de offic. iii. 29. et Gellius vii. 18. illustribus testimoniis confirmant, sed ex recentioribus etiam observarunt illi, qui de iureiurando veterum, data opera, egerunt, Trelier c. 6. p. 881. Io. Bapt. Hansenius c. 2. p. 805. T. V. Graev. th. A. R. et Marc. Hieron. de Bassen, quod inde etiam apparet, quod a Naevio apud Festum, v. sagmina p. 472, et ab Ennio apud Ciceronem de off. iii. 29, *iusiurandum* Iovis iurandum dicatur, id est, quod Iovi, Deorum principi, praestatur, quamvis nos non lateat, vocis huius iam Gellii temporibus tam strictam haud fuisse interpretationem, qui xi. 6. aedepol, *iusiurandum* per Pollucem esse, scribit. Ceterum magis constaret, quid inter *sacramentum* in primis militare et *iusiurandum* discriminis intercesserit, si nobis integra militaris formula cognita esset, quam nullibi apud veteres scriptores se invenisse queritur Hansen. l. c. c. 23.

Sacramentvm et Sponsionem non omnes distinguunt, in quibus sunt Turnebus, Advers. xxix. 36. Hotomannus ad c. viii. or. Cic. pro Quinct. Passeratius ad c. xxxiii. or. pro Caec. Menander ad or. pro Rosc. Com. c. v. Ernest. clav. Cic. Distinguunt, inquam, omnes eodem modo. Sufficit ultimi verba adscribere: Differt a sponsione sacramentum in eo, quod in sponsione non deponitur pecunia, sed tantum promittitur, et in controversiis privatis, ne calumniis impune quis alterum vexaret, aut solebat certam pecuniam deponere petitor, immo etiam reus simul, quae sacramentum dicebatur; aut tan-

Digitized by Google

tum spondebat, se aliquam pecuniae summam daturum, ni vinceret, stipulante eo, unde petebatur. Enim vero istud discrimen ut fictum reiicit Io. Fr. Schreiter in diss. de sacramentorum in veteris Romae iudiciis sollemnium antiquitt. Sed longum foret viri argumenta recensere. Sufficiat dixisse, Schreiterum a cel. Gesnero in thes. hoc nomine laudari.

SACRARIVM et SACRVM LOCVM separat Ulpianus ad edictum 68. l. 9. D. de Divis. Rer. Illud notandum est, inquit, aliud esse *sacrum locum*, aliud *sacrarium*. *Sacer locus* est locus consecratus; *Sacrarium* est locus seu pars intima templi, in quo sacra reponuntur et asservantur, quod etiam in aedificio privato esse potest; et solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare. lb. l. IV. Ne quid l. l. s. Ait praetor, in loco sacro facere, inve eum immittere quid, veto. Hoc interdictum de sacro loco, non de sacrario convenit. Cui adstipulatur Servius in illud Virg. XII. 199: Duri sacraria ditis. *Sacrarium*, inquit, proprie locus est in templo, in quo sacra reponuntur, sicut donarium est, ubi collocantur oblata. Sed Varro, Cicero, Svetonius et alii *sacrarium* pro sacello usurpant non semel. Unde *sacrarium* et *sacellum* significat et locum consecratum, sive in templo, sive in privatis aedibus, in quo vel sacrae res custodirentur, vel sacra gentilitia fierent. Alias sacellum definitur locus parvus cum ara Deo sacratus. Cic. Verr. IV. 2: Erat apud Heium *sacrarium* cum magna dignitate in aedibus a maioribus traditum.

SACRVM (1) est venerandum et exsecrandum. Virg. Aen. III. 57: Auri sacra fames. Item quod publica auctoritate Deo

(1) Apta inter *sacrum* et *sanctum* videtur distinctio. Quod illud olim *sacrum* fuerit dictum, quod publica auctoritate, augurum ope sit constitutum, illudque a pontifice Deo mancipatum, testatur Alexander ab Alexandro; *sanctum* vero, quod tum poenali lege ab hominum iniuria sit munitum, tum in sacris aedibus, quod ad divinum cultum, atque sacra obeunda a pontifice erat publica auctoritate constitutum. Habes enim aedes, ut Vestae, ad cultum deorum institutas, non sacras, quas nulla augurum religio tangebat, et loca, quae sacra per augures declarata, quod sacris obeundis non patebant, non sancta. Curia enim Hostilia templum est et *sanctum* non est. Progressu tamen temporis latinis scriptoribus non ubique usurpatam fuisse hanc distinctionem, illudque iam Varronis

Digitized by Google

rite consecratum est, ut *sacri* luci, montes, *sacra* templa, ornamenta, certamina et alia, quae publico civitatis instituto, aut permissu principis Deo dedicata fuerunt; *Sanctum* (D. de Rer. Divis. VIII.) est, quod sanctione quadam et praecepto firmatum, et ab iniuria hominum munitum est; quasi sanguine consecratum, et propterea inviolabiliter statutum, etsi non sit Deo consecratum, ut *sancti* muri et portae, quae sine nefario scelere non violantur, *sancti* legati, quibus noceri non debet, *sanctae* leges, quae certam poenam constituunt et sanciunt in eos, qui praeceptis legum non obtemperaverint. *Religiosum* est, quod a communi hominum usu semotum, et sanctitate quadam reverendum est, ut *religiosa* sepulcra, monumenta, in quae mortuus illatus est. Ita *sacrum* est divinum, et Deo dicatum; *sanctum* incorruptum et inviolatum; *religiosum* venerandum. Et *sacra* atque *sancta* religionem habent publicam; *religiosa* vero privatam, ut sepulcra et monumenta, quae olim cuilibet privata auctoritate constituere permittebantur; et ideo publica religione carebant. Praeterea *sancta* et *religiosa* tam animata sunt, quam inanimata; etsi Livius dixit, Quibus ipsi Dii neque sacri, neque sancti sunt; et Ovid. Amor. III. IX. 17: At sacri vates, et divum cura vocamur. Nam utrique improprie *sacri* dicuntur; alteri, quia sacra ipsis offeruntur; alteri quia sacra ferunt, quasi sacerdotes, ut ait Virg. Georg. II. 475: Me vero primum dulces ante omnia musae, Quarum *sacra* fero. Et Persius in Prolog. 7: Ad *sacra* vatum carnem adfero nostrum. Interdum tamen haec tria proportione quadam et similitudine eadem sunt, ut templa, alaria, eadem et *sacra*, quia Diis dicata, et *sancta*, quod ea violare nefas sit, et *religiosa*, quoniam ab usu hominum remota; id quod Festus

aevo eruditissimi viri adnotarunt. Martianus Ictus VI. § 3. ff. de D. R. et post eum imperator sacratissimus § 8. I. de R. D. sacras res esse statuit, quae rite per pontifices Deo consecratae sunt, veluti, aedes sacrae, et donaria, quae rite ad ministerium Dei dicata sunt, hincque locum, in quo aedes sacrae sunt aedificatae, etiam diruto aedificio sacrum adhuc manere. Sanctum vero iurisconsultus adserit, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est, hucque imperator refert muros et portas civitatum, l. VIII. pr. ff. l. c. § 1. l. c.

Digitized by Google

ex Aelio Gallo refert his verbis: Quod *sacrum* est, idem lege aut instituto maiorum *sanctum* esse, ut violari id sine poena non possit. Idem *religiosum* quoque esse, quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat. Quod si faciat, adversus Deorum voluntatem videtur facere. *Sacrosanctum* dicitur, quod iureiurando interposito est institutum, ut si quis id violasset, morte poenas penderet. Festus. Liv. IV. 3.

SACRIFICARE est veniam petere seu proprie sacra facere; in specie vero hostiam Deo offerre; *Litare* est propitiare et votum impetrare. Virg. Aen. IV. 50: Tu modo posce Deos veniam, sacrisque *litatis* etc., i. e. impetratis.

SAEVVS ore et verbere; *Crudelis* sanguine. *Saevus* factis, *tristis* animo, *truculentus* vultu, *tristis* qui dolet. *Truculentus* et *saevus*, qui terret. Donat. R.

SAGITTA et SPICVLVM non sunt confundenda. Recte Taubmanni ad Virg. Aen. v. 307: Spicula, caelatamque argento ferre bipennem, monuit, spiculum hic non sagittam esse, sed telum missile. Veteres pilum appellabant. Ad huius iactum exercebantur milites, ita, ut scutatos pedites, et loricatos equites saepe transverberarent. Erat et minus, quod verriculum, deinde verrutum nuncupabant. De eadem re Taubmann. p. 798. loquens haec tradit: Pilum proprie hasta Romanorum, spiculum quoque dictum, ut gaesum Gallorum, sarissa Macedonum, framea Germanorum. *Sagitta* proprie telum illud denotat, quod arcu mittitur; *spiculum* vero lanceam brevem, ita dictam a spicae similitudine. Causa vero, ob quam spiculum cum sagitta a nonnullis confundatur, haec videtur, quod spiculum praeterea cuspidem, eamque tam hastae, quam sagittae significat. Virg. Aen. XI. 614: Spicula converso fugientia dirigit arcu. Ovid. Metamorph. VIII. 375: Ambo vibrata per auras Hastarum tremulo quatiebant spicula motu. Conf. Gesn. thes. v. *spiculum*. Veget. II. 15.

SAGMA et SELLA differunt. Nam *sagma* proprie est, quod iumentis onera baiulantibus imponitur; *sella* equorum est, vel aliorum animalium, quibus homo vehitur. Veget. Mulom. II. 59. 1: Exceptis his, qui deputati sunt circo, reliquum mulorum, equorum asinorumque genus sub *sellis* aut *sagmis* solo tergo praestat officium. Sagmarum vel sellarum mensura

Digitized by Google

conveniens, et apta qualitas debet adhiberi. Si enim ista minora fuerint, vel maiora, augustiora, vel ultra modum lata, vel quae non congruunt, graviter nocent. Scheffer. de re vehic. II. 2. p. 8. *Sagmae* sunt clitellae, atque instar sellarum quiddam habent, licet proprie non sint sellae, quum in sellis homines sedeant, in clitellis non sedeant, sed imponantur onera et sarcinae. In sagma igitur homines non sedisse, Schefferus arbitratur. Id. p. 9. Sellae, aut strata pertinebant ad homines, non sagmae aut clitellae. Sagum et simpliciter stratum dictum esse, idem ex Seneca et Apuleio ostendit. Stratum istiusmodi fuit primum antiquissimumque in equis et mulis, diuque usurpatum ante sellas ligneas. Quamquam strata postea sint dictae sellae, nec illae solum, verum etiam clitellae. Sic apud Liv. VII. 14: Mulis strata detrahi iubet; binisque tantum centunculis relictis, agasones, partim captivis, partim aegrorum armis ornatos, imponit. His stratis oppositi centunculi, quibus agasones insidebant, vice aliorum stratorum. Veget. Mulom. II. 59. 2: Saga et centones sub *sellis* et *sagmis*.

Salem, quo utimur, sing. tantum num. dicimus; cum iocum urbanum significamus, plur. tantum. Nisi quod singulari num. etiam aliquando urbanitatem denotamus. Ter. Eun. III. 1. 10: Qui habet salem, quod in te est; i. e. quae res in te est. Salum mare denotat, ut, canente Virg. Aen. v. 537: Perque nudas superante *salo*. Servius.

Salio est transcendo et supero saltu (1); Salto est motus compositos pedibus edo. *Illud* est alacritatis; *hoc* elegantiae. Cato in Orig.: Caprae ferae sunt, quae saliunt e saxo pedes plus sexagenos. Quamquam poëtae interdum *salio* pro *salto* usurpant. Virg. Georg. II. 384: Mollibus in pratis unctos saliere per utres. Proper. Eleg. IV. 5. 54: Caelati medio cum saliere foro. A *salio* autem fit saltus, a *salto*, saltatus et saltatio. Sallust. Hist. III: Pompeius cum alacribus *saltu*, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.

(1) *Salire* ante se, necessitatis est, quando saltu superanda est fossa; *Salire* sursum, deorsum, laetitiae est, ut videre licet in illis, qui subsultim ingrediuntur; et in saltatoribus ac saltatricibus qui ad musicam saltando sese in saltatorio orbe versant. Comen.

Digitized by Google

SALTARE verbum generale est, quo omne genus saltationis continetur. *Tripudiare* proprie est ter pede in saltando, quantum per artem licet, terram ferire, estque exsultantium cum iubilo. Quod intelligit Hor. Od. I. 37. 1: Nunc pede libero Pulsanda tellus. Et alibi Od. III. 18. 15: Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram. Hinc saltatum et tripudium separat Liv. I. 20: Salios ancilia ferre ac per urbem ire cantantes carmina, cum *tripudiis*, solemnique *saltatu* iussit.

SALTATIONEM inter et SALTVM Scaliger Poët. I. 64. ita distinguit: *Salire* est moveri in sublime, vel tamquam medium, vel tamquam metam. Eius frequentativum *salitare*, unde concisum *saltare*. Graeca origo verbi ἅλλεσθαι. Eum motum rudem inter pastores primum fuisse credere par est; quem quum certis legibus variassent et composuissent, ὄρχησιν privato nomine vocavere. Latini rudem illum veterem, *saltum*; hunc *saltationem* quum adpellassent, non habuere verbum separatum, sicut Graeci ὀρχεῖσθαι, ab eo quod fuerat, ἅλλεσθαι.

SALVATOR et SERVATOR utpote graecae voci Σωτὴρ, et hebr. Iesus respondentia vocabula, quomodo inter se differant, docet Batth. Meisnerus Disp. VI. Christolog. Sac. § XI. atque Iacobus Pontanus in Atticis Bellariis Synt. X. p. 612. seq. H.

SALVBRE fere physice, *salutare* moraliter sumitur. *Salubris* de rebus dicitur sanitatem iuvantibus, *salutaris*, quae civiliter prosunt. *Salubre* ad locum refertur et ad cibum, *salutare* consilium est; vel *salubre* loci est et personarum, *salutare* vero consilii. Ita *salubre* non nocet, *salutare* prodest consilio. Fronto. Nec tamen haec differentia ubique custoditur. At *saluber* dicitur, qui praebet sanitatem, *sanus*, qui accipit et tenet sanitatem.

SANGVIS est, dum manat in venis: effusus de corpore, *cruor* dicitur. *Sanies* cruor est putridus.

SANIES et TABVM coniunguntur a Virgilio Aen. VIII. 487: seq. *Sanie taboque* fluentes Complexu in misero, longa sic morte necabat. Ea quidem distinguuntur, ut *sanies* de mortuo dicatur, *tabum* de vivo. Serv. Quam differentiam refellit ille ipse Virgilius, cum de mortuis dicit Georg. III. 480. seq. Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum, Cor-

Digitized by Google

ripuitque lacus, infecit pabula *tabo*. Et Svet. Vitel, x: Abhorrentes quosdam cadaverum *tabum*. Tac. Hist. II. 70: Foedum atque atrox spectaculum! Intra quadragesimum pugnae diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta *tabo* humus, protritis arboribus ac frugibus, dira vastitas. Verius ergo est, *saniem* esse atrum sanguinem; *tabum* esse liquorem putridum, cuius appellatione interdum continetur omne id, quod ex putrescentibus defluit. Unde dixit Virg. Aen. III. 28. seq.: Huic atro liquuntur sanguine guttae: Et terram *tabo* maculant. Lucan. VI. 558: Stillantis *tabi saniem*, virusque coactum Sustulit. Antiquus poëta apud Cic. Tusc. 107: Saxa spargens *tabo*, *sanie* et sanguine atro.

Sanvs, qui salvus est; sic *sanitas* tum corporis, tum animi est. Sed praecipuam elegantiam habet, cum ad animum refertur. Exempla vid. apud Doletum loc. cit. fol. 148. fac. a. col. 2. *Validus* qui multum rerum necessariarum ad salutem habet. Donat.

Sardvm inter et Sardiniensem nonnulli veterum grammaticorum ita distinxerunt, *illum* ut putarent dici, qui in Sardinia natus sit, *hunc* autem incolam Sardiniae. Porphyr. ad Hor. p. m. 1727.

Sartrix, quae sarcit; *Sarcinatrix*, quae sarcinas servat. Corn. Front.

Satiatvs ventris, *saturatus* animi. Corn. Front. R.

Satietas ad omnes sensus pertinet; *saturitas* saltem ad gustum. H.

Satio (1) ad omnes sensus, et animum quoque pertinet; *saturo* magis ad corpus. Cicero: *Satiare* desideria naturae. Hinc dicitur *satietas* omnium rerum, ut *satietas* omnium aurium, *satietas* vitae, provinciae, apud Ciceronem; *saturitas* tantum earum rerum, quae ad victum pertinent. Idem de Senect. XVI: *Saturitate* copiaque omnium rerum, quae ad victum hominum et ad cultum etiam deorum pertinent.

(1) Quod proprie idem est, ac cibis impleo. Ad animum retulit Cicero, quando dixit pro Milone XVIII: Sanguine et vulneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosque *satiavit*.

Digitized by Google

SATISFACERE (D. de Pign. Act. l. IX. § 3.) est desiderium creditoris quocumque modo implere, et *satisfactum* accipimus acceptilatione et iureiurando, et nuda conventione, vel fideiussore, vel pignore, vel pretio aliquo dato; *solvere* proprie est pecuniam pro eo, quod debetur, creditori reddere. Hoc enim verbo nummorum numeratio, vel alia naturalis eius, quod debetur, praestatio intelligitur. Conf. Schardii Lexicon Iuridicum, p. 835. col. a. Pomponius ex Plautio VII: Si solverit *satisve fecerit*, liber esto. Non potest is servus, nisi triennio praeterito liber esse, nisi praesentem eam pecuniam solvat aut *satisfaciat*. Idem ad Q. Mucium 31. D. de Cont. Emt. XIX. Quod vendidi, non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut *satis* eo nomine *factum*. Sed interdum solvere latius patet; et solutionis appellatione omnis liberatio quoquo modo facta, et qualiscumque *satisfactio*, qua creditor contentus fuerit, continetur, ut auctor est Ulpianus D. de verb. Sign. CLXXVI. Et *satisfacere* est verbis excusare; et *satisfactio*, excusatio. Cicero Orat. Philippica II. 20: Acceperam iam ante Caesaris litteras, ut mihi *satisfieri* paterer a te. Id. Fam. VII. 13: Hic tu me etiam insimulas, nec *satisfactionem* meam accipis.

SATISFACTIONIS solemnis hae plerumque partes et formulae erant: 1° confitebantur factam iniuriam, 2° iurabant, se mala mente fuisse, 3° nolle se, haec dicta aut facta esse, et indignum alterum esse hac iniuria, 4° precabantur, ut iniuria quam fecissent alteri, in suum suorumque caput recideret. *Palinodia* vero sine iureiurando fit, et nuda retractatio eorum est, quae perperam vel male dicta sunt. Vid. I. C. Wernsdorfii bona mens a romanis consecrata. § 14. 15.

SATVRITAS in cibo tantum dicitur, in ceteris vero *satietas*. Sosipater. R.

SAVGIVS et VVLNERATVS non idem proprie. Quum *saucium* dicimus, *vulneratum* quidem intelligimus, sed indefinite, ac sine designatione vulnerum, quot, quae, qualia, aut qua in parte acceperit. Quum *vulneratum* loquimur, significamus percussum certa parte sui, aut quoties, aut quo vulnere. Itaque proprie efferri *saucios* ex acie, non *vulneratos* historici dicere solent, qui melius, quam ceteri latine loquuntur. Vavassor. in Antib. p. 584. s.

Digitized by Google

Saxvm est lapis durior asperiorque, qui montibus excidítur; *Silex* est lapis minor et durus, ex quo ignis excuti potest. Cato in Q. Thermum: Ego iam a principio in parsimonia, atque in duritia, atque industria omnem adolescentiam meam abstinui, agro colendo, *saxis* sabinis *silicibus* repastinandis atque conserundis. Lucretius II. 447: In quo iam genere imprimis adamantia *saxa* Prima acie constant, ictus contemnere sueta: Et validi *silices* et duri robora ferri. Virg. Aen. VIII. 233: Stabat acuta *silex* praecisis undique *saxis*. *Saxum* naturale, ingens, et pars rupis; *lapis* qui e saxo caesus est; *calculus* in vesica et renibus, quo qui laborat, exquisitos cruciatus patitur.

Scamna sunt, in quae per gradus adscenditur; *scabella*, in quae una scansione adscendimus. Varro VII. 35: Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, *scabellum;* in altiorem, *scamnum;* duplicata scansio *gradus* dicitur.

Scelerativs est, qui *scelera* versat animo, et opere perficit; *scelerosus*, qui multorum *scelerum* auctor damnatusve est; *scelestus*, qui facinus aliquod patravit. Ter. Eun. IV. 3. 1: Ubi ego illum *scelerosum*, misera, atque impium inveniam? Varro de LL. V: Ante privati huiusce T. Quintii Troii, *scelerosi* hominis, ostium canat. *Sceleratus* est contaminatus; *scelerosus* plenus scelere; *scelestus* excogitat exitium. R.

Scelvs omne est *flagitium*, non vero contra: et minor in aliquo *flagitio* culpa, quam in *scelere*. Manut. *Scelus τῷ* oportet; *Nefas τῷ licet* respondet. Cic. Parad. III. 2: Quicquid non oportet; *scelus* esse, quicquid non licet, *nefas* putare debemus. R.

Sciens, qui alicuius indicio rem cognoscit; *prudens*, qui intelligentia sua aliquid sentit. Ergo *prudens* per se, *sciens* per alios. *Sciens*, qui scit; *scitus*, qui scitur, vel festivus. Corn. Front. *Scius* secum, *conscius* cum alio scius est: licet *conscium* indifferenter legerimus. R.

Scientia rei certa est, *opinio* incerta. Itaque *scire* et *opinari* differunt, quod Cicero indicat pro Archia IV: Adest vir summa auctoritate et religione et fide M. Lucullus, qui se non *opinari*, sed *scire*; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit. Goclen. H.

Digitized by Google

Scimvs, quod certum est; *noscimus*, quae adhuc incerta desideramus. Donat. Terent. Andr. I. 1. 25: Nam antea qui *scire* posses, aut ingenium *noscere*? *Rescimus* occulta. Donat. *Scimus*, quae ad nos deferuntur. *Scire* minus est, *in memoria habere* plus est. Nam quae *scimus*, possumus oblivisci; quae vero memoriae commendamus, numquam amittimus. Don. R.

Scintilla est silicis caesi; caret igne *favilla*. *Illa* excutitur ex silice, *haec* quasi scintilla exstincta.

Sciscere et Ivbere sunt suffragio aliquid probare aut improbare. Sed *sciscit* plebs (unde appellata plebiscita); populus vero *iubet*. Quamvis etiam plebs *iubere* dicatur; inde *scita* et *iussa* appellata sunt. Goclen. H.

Scitvm dicunt, quod placet; *inscitum*, quod displicet. Donat. R.

Scolia ab Epithalamiis diversa fuisse, negare videtur Souchay (*Mémoire sur l'origine et le caractère de l'épithalame dans les mémoires de littérat.* Tom. XIII. p. 475). Sed non parum differre illa carmina, ex Aristoxeno et Phyllide, musico, patet, qui *scolia* nuptialia non carmina fuisse docent, in sponsi sponsaeque honorem composita, sed amatorias potissimum cantilenas.

Scomma est contumelia levior, quae urbanitate tegitur. *Convicium* est contumelia aperta, gravior et petulantior.

Scorpio bellica res est (1); *Scorpius* animal. Clarus.

Scribimvs seria, quod nobis usui sit; *pingunt* litteras calligraphiae studiosi, eiusque magistri ac tirones, qui discunt litterarum notas eleganter formare.

Scribit, qui verba adhibet tantum; *facit*, qui etiam argumentum componit. Donat. R.

Scrvtatvr in te ille, qui intercipit quaedam secreta; *Quaerere* duo significat, vel quod abest, vel quod ad patrimonium pertinet. Corn. Front.

Scrvtor profundum; *Sciscitor* sciendi; *Percunctor* arguendi causa. H.

Scvlptor latius patet quam *fictor*. *Fictor* tantum circa statuas et rerum simulacra, *sculptor* etiam circa id, quod in aes inciditur, quod inciditur in marmore et in gemma.

(1) Seu machinula militaris, quae parvis spiculis infert mortem.

Digitized by Google

Scvtvm oblongum est, *clypeus* rotundior; *hic* militum pedestrium, *illud* equitum; quae tamen differentia non videtur esse perpetua.

Se simplex ponitur, cum aliquis se in alium quid fecisse fatetur; *sese* geminatum, cum in seipsum; uti Caesar de Analogia praecepit, auctore Servio. H.

Sebvm et Ungventvm habet hanc diversitatem. *Sebum* fit ex adipe ruminantium. Non. R.

Secessio idem est, quod *seditio* esse potest; sed non *seditio*, *secessio*. *Seditio* enim est, cum plebeii et patricii in urbe aliqua ita dissentiunt, ut pars eorum mixta in utrisque partibus plebeii et patricii mixti. In *secessione* autem altera pars dividitur, et *secedit* ab altera; atque in una parte tantum plebeii sunt, in altera patricii. Vocatur etiam *secessio* motus civium, aliquid probabili causa petentium, nec inferentium bellum. Gocl. H.

Secretarivm fuit locus iudicii separatus (1), in quo causae capitis tractari solebant (2); civiles enim sub dio, et apertis foribus agebantur, turba adstante, uti ex Plinio apparet (3). In criminalibus autem, cum testes separatim examinandi, et rei quaestionibus dandi, resque ob gravitatem suam interioribus animis esset ponderanda, in hunc locum, ut a multitudine hominum separati essent iudices, conventum fuit (4); cui inde et nomen secretarii impositum. Praeterea clausum erat cancellis, ad quos notarii et scribae

(1) Nardinus in Rom. vet. I. V. c. 8. p. 1179. 1182.

(2) An et civiles graviores? dubium sane est. Cassiodorus Var. Ep. VI. 8, ubi secretarii mentionem iniicit, agit de criminalibus. Non ibi advocatus aderat, non se partes solemni actione pulsabant; erat secretarium impolluta seditione confusum, et adpellabatur abusive iudicium, ubi non adlegabantur a partibus dicta prudentium. Addatur I. pr. § ult. C. ubi senat. vel clariss., qua locus iste, ubi causae capitis tractantur, secretarium nominatur. Sane eiusdem aditum ac confessum non omnibus patuisse ex leg. III. C. de Offic. Div. iudicum et C. de prox. sacr. scrin. II: colligo, siquidem ibi statutum, ne iis, quibus consistorium imp. ingrediendi facultas praebetur, eius ingressus, aut sedenti cum iudice societas denegetur.

(3) Ep. II. 14. Si quando transibis per basilicam, facilis divinatio est.

(4) Hinc quoque locus examini testium destinatus in l. XIV. C. de test. secretarium vocatur.

Digitized by Google

adstabant (1). Intra hos vela adfixa erant, quae, si iudices huc consultum venirent, obducebantur (2); sententia denique intra haec concepta, vel extra illa (3), e tabula recitabatur. Hinc levato velo, de rebus, quarum cognitio neminem fugere debebat, uti de rebus naufragio perditis, cognoscere iubent Honorius et Theodosius impp. C. de naufr. v. Ab hoc *secretarium* quidem *senatus* differebat; in illo tamen conveniunt, quod et in hoc instar secretarii iudicum disceptatae fuerint capitis causae, siquidem saepius evenire solebat, ut eae vel mandato principis speciali senatui committerentur (4), vel a tribunalibus ad eum devolverentur (5). De hoc exstat lapis apud Gruterum p. 170. n. 5: Salvis . Dominis . Nostris . Honorio . Et . Theodosio . Victoriosissimis . Principibus . Secretarium . Amplissimi . Senatus . Quod . Vir . Inlustris . Flavianus . Instituebat . Et . Fatalis . Ignis . Absumpsit . Flavius . Annius . Eucharius . Epifanius . V . C . Praef . Vice . Sacra . Iud . Reparavit . Et . Ad . Pristinam . Faciem . Reduxit.

Secretvm (ita I. M. Gesnerus in biogr. acad. Gotting. V. H. p. 171) non semper occultum quiddam significat; sed potest in clara luce positum, et tamen secretum esse, si gradibus elevatum, si conclusum cancellis, si satellitum stationibus, aut quocumque modo munitum sit, ne accessus temere et sine discrimine omnibus pateat. Hinc *secretum iudiciale* eamdem fere vim habet, ac si tribunal diceres.

(1) Unde cancellariorum nomen. Polletus For. Rom. v. 12. 505.

(2) V. Chimentellius de honore bisellii c. 17. ex quo excerpsit Pitiscus Ant. Rom. Lex. t. II. p. 987.

(3) Ex actis S. Eupilii Nardinus Rom. vet. v. 8. 1182. Cum esset extra velum secretarii Eupilius Calvisianus consularis, intra velum ingrediens sententiam dictavit, et foras egressus adferens tabulam legit: Euplianum Christianum edicta principum contemnentem, et Deos blasphemantem, gladio animadverti iubeo. Id. ex actis S. Claudii, et socior. ib. Lysias introgressus obduxit velum: postea exiens ex tabula recitavit sententiam. Io. Columbus in not. ad Lactantii locum.

(4) G. de Naufr. v.

(5) Exempla vid. apud Svet. Tib. LIX: Sub idem tempus, acta res in senatu. Id. Domit. XI: Quosdam maiestatis reos, in curiam induxerat: et ... facile perfecerat, ut more maiorum puniendi condemnaretur.

Digitized by Google

Secvrvs et Tvtvs. Ne sit *securus*, qui non est *tutus* ab hoste. Distinctius Landinus: *Securus* est, qui non timet, etsi imminet periculum. *Tutus* vero est extra periculum, quamvis etiam timeat. *Se* veteres pro *sine* dicebant, quod constat ex legg. xii. tabb. *Securus* igitur est sine cura, vel ex levitate animi, vel quod causas habet non metuendi.

Secvs, Secivs et Seqvivs nonnulli ita distinguunt, ut *secus* significet aliter, vel male; *secius* minus; *sequius* deterius aut peius. Svet. Tiber. il: Multa etiam *secus* admissa in rempublicam exstant. Tacit. Ann. ii. 50: Interrogatus a consule, quid de his censeret, quae de matre eius locuta *secus* argueretur, reticuit. Virg. Aen. v. 862: Currit iter tutum non *secius* aequore classis. Varro in Tanaquil.: Non modo absens quidquam de te *sequius* cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem. Mihi videntur, illa duo *secius* et *sequius* omnino eadem esse, nec magis differre, quam arcus et arquus, oculus et oquulus.

Segnitia est tarditas; *socordia* est stupor et remissio. *Illa* corporis, *haec* animi; *illa* in agendis iis, quae provisa consultaque sunt, remissior est, *haec* nihil excogitare et invenire potest, quod ad rem sit. *Illa* ad agendum, *haec* ad considerandum. Plaut. Asin. ii. 1. 6: Quin tu abs te *socordiam* omnem reiice, et *segnitiem* amove. Ter. And. i. 3. 1: Enimvero, Dave, nihil loci est *segnitiae* atque *socordiae*. Ubi Donatus: Segnitiae ad agendum, Socordiae ad considerandum. Liv. xl. 27: Hostes *segnius socordiusque* oppugnabant.

Segregari dicitur quis a meretrice, *seiungi* ab uxore, Donat. R.

Sella et Lectica multis partibus diversae erant. In *sellis* magistratus, ius dicentes, per urbem portabantur. In *sella* semper unus ferebatur, in *lectica* etiam plures. In *sella* sedebant, uti indicat ipsum vocabulum, in *lectica* vero cubabant, uti ex Lipsio notat Schefferus de re vehiculari. Intelligendum id de more ordinario; extraordinariis enim occasionibus et iam in lecticis sedebant, teste Mercuriali de arte gymnast. iii. 2. *Sella* erat altior, *lectica* longior, idque omnino erat necessarium, quia in sella aliquis posse debebat sedere, in lectica vero iacere et cubare; quo respexisse videtur Iu-

Digitized by Google

venalis Sat. III. 135: Cum tibi vestiti facies scorti placet, haeres Et dubitas alta Chionem deducere *sella*. *Lecticas* sellis digniores fuisse docet Lipsius Elect. c. XIX, idque probare contendit ex Svetonio Domit. II: Habitabat cum patre una, *sellam*que eius ac fratris, quoties prodirent, *lectica* sequebatur. Casaubonus ad h. l. ita commentatur: Sella igitur lectica dignior? ita videtur colligi ex hoc loco posse. Sed si de curuli intelligas, non de vulgari sella, plane ruit; v. Schefferus de re vehic. et Alstorphius de lecticis p. 257. Ita enim *cathedra* et *sella*. Lipsius, cui adstipulatur Schefferus de re vehic. II. c. 4. p. 64. *sellas* communes fuisse coniicit sexui utrique, *cathedras* pertinuisse tantum ad mulieres. Viri tamen molliores uti *sellis* muliebribus non abnuerunt. Svet. Oth. VI: Tunc abditus propere muliebri *sella* in castra contendit. Quae his *sella* muliebris, ea apud Iuvenalem sat. I. 64. *cathedra*. *Cathedra* alias ubique, nisi ubi sit respectus ad mollitiem muliebrem, de solis usurpatur feminis. Phaedrus III. 8: Hi speculum, in *cathedra* matris ut positum fuit, Pueriliter ludentes forte inspexerant. Martialis Ep. XII. 38 ad Candidum: Hunc qui femineis noctesque diesque *cathedris* Incedit. Ab his cathedris feminarum fertoriis distant earum cathedrae domesticae, de quibus Scheffer. l. c. Gesn. thes. v. *cathedra*.

SELLA et SEDES plurimum differunt. *Sella* integra est et tota fabrica, *sedes* vero una illa tabula, cui insident, quamque occupant, qui *sella* utuntur. *Sedile* quoque adpellarunt, ut adeo rectissime dicat Chimentellius de honore bisell. c. XXIV. *Sedile* proprie ea pars, quam sede premimus. Sicut *sedile* pars *sellae*, ita et *sedes*; eadem enim est ratio utriusque vocabuli, nisi *sedile* de viliori genere *sellae* cum quibusdam capere velis, ut adeo, qui in *sella* poscit sedem cum alio, non *sellam* aliam in ea poscat, verum locum, in quo possit sedere. Et hinc explicandus Tacitus Ann. XI. 33: Ac ne, dum in urbem vehitur, ad poenitentiam a L. Vitellio et P. Largo Caecina, mutaretur, in eodem gestamine *sedem* poscit sumitque. Errat igitur hic Lipsius in notis, quando ait: Apparet tamen in eodem gestamine plures *sellas* fuisse, non enim plures erant *sellae* in eodem gestamine, sed *sedes*; vid. Alstorphius de lecticis vet. p. 197. seq.

Digitized by Google

SEMENTIS est ipsa satio; *seges* nondum demessa; *fruges* fructus terrae et arborum. Valla IV. 24.

SEMINARIVM est, ubi seminantur arbores; *arbustum* locus, quo transferuntur iam grandiusculae.

SEMPITERNVM ad Deos pertinet; *perpetuum* proprie ad homines. Ceterum *perpetuum* est, quod intermissione, *sempiternum* autem atque *aeternum*, quod fine caret. Goclen. Donat.

SENATORES erant actu tales, ad *ordinem senatorium* pertinebant etiam filii senatorum et familia. R.

SENATVS CONSVLTVM est quodcumque senatus de pluribus singulisve rebus aut hominibus censuit. Sed *senatus decretum* quod de singulis dumtaxat, non pluribus, rebus aut hominibus *senatus* constituit, ut cum alicui provincia, honos, supplicatio decernitur. [Si vero senatus decreto aliqua deesset conditio, quominus *senatusconsultum* legitimum esset, vocabatur *senatus auctoritas*. Cael. ad Cic. Fam. VIII. 8: Si quis huic *senatusconsulto* intercesserit, senatui placere, *auctoritatem* perscribi. TH. VALL.]

SENES adpellantur, qui usque ad senilem aetatem pervenerunt; *Veteres*, qui superioribus temporibus vixerunt. Sunt aetate *senes*, *veteres* vixere priores. Ita *senes* sunt, *veteres* fuerunt. Aliquando tamen *veteres* dicuntur *senes*, ut *vetulum* pro *sene* dici, notissimum est. Ter. Eun. IV. 4. 21: Hic est *vetus*, vietus, veternosus *senex*. Lucil. Satyr. XIV: Nam *vetus* ille Cato dignum quemcumque lacessit. Varro ap. Non. II. 657: Quod non solum *innubae* fiunt communes, sed etiam *veteres* puellascunt, et multi *pueri* puellascunt. Antiqua inscriptio: Aruncitani Veteres Et Iuvenes Opt. Civ. Alia: Arbocrisenses Iuvenes Et Veteres Statuam In Foro Posuere.

SENSVS sunt, qui sentiunt, ut, gustus, tactus; *sensa* sunt quae sentiuntur, velut obiecta *sensus*, et concepta *mentis*. Cic. Orat. I. 8: Et quod exprimere dicendo *sensa* possumus. Interdum tamen *sensus* accipitur pro sententia, ratione, et voluntate. Lucr. II. 886: Quod movet, et varios *sensus* expromere cogit. Liv. I: Ut elicere omnia arcana, specularique abditos eius *sensus* posset.

SEQVESTRES sunt, apud quos pecunia deponitur. *Interpretes* sunt, apud quos inducitur pactio. Pedian. R.

Digitized by Google

SEQVIMVR pedibus; *imitamur* moribus; *adsequimur* studio. Alias: *Sequimur* vestigia; *imitamur* mores. R.

SEPVLCRA aut privis fiebant hominibus aut vel coniugibus, aut omni familiae posterisque. Privorum coniugumque adpellabantur *requietoria*, aut *loci*. Augustin. CD. I. 1: Testantur hoc martyrum *loca*, et basilicae apostolorum. Idemque videre est in iure et inscriptionibus sic: P. Scanthius . Philetus . Fecit . Sibi . Et . Sanctiae . Nice. Lib. Requietorium. In alia apud Gruterum pag. 1080: Sibi . Et . Coniugi . Carissimae. Requietorium . Fecit . Addere iuvat tertiam: Requietorium. Amici . Bene . Facere . Semper . Studiosus . vid. Kirchmann. de funer. pag. 399. Vocabantur haec sepulcra etiam *ossuaria* et *cineraria*. Iam omni familiae, posterisque facta esse sepulcra, docent praeter alia antiquae inscriptiones: Fecit . Sibi . Posterisque. Haec intelligit Ovid. Met. XIII. 523: At, puto, funeribus dotabere, regia virgo; Condeturque tuum monumentis corpus avitis. Ea autem dicebantur *loci communes*. Cic. Verr. VI: Dico, nihil istum eiusmodi rerum in provincia reliquisse, nihil in aedibus cuiusquam, ne in oppidis quidem, nihil in *locis communibus*, ne in fanis quidem. Iustinian. Instit. II. t. 1: in *communem* autem *locum* purum invito socio inferre non licet. Etiam *familiaria sepulcra*, it. *haereditaria*, I. ff. XI. 7. Latinis interdum *locum* de sepulcro dici, docet etiam Salmasius ad inscriptionem Heredis p. 50. 67. 209. Alio sensu Horatius Sat. I. 8. 10. commune accepit sepulcrum: Hoc miserae plebi stabat *commune sepulcrum*. Ad quem locum ita Turnebus: Cum olim qui locupletes erant, in suis fundis aliquid loci sepulturae seponerent, et ibi haberent privata sepulcra sibi familiaeque suae aut haeredibus, plebs, quae agris fundisque carebat in loco communi, sepulturae destinato, humabatur, sepulcrumque commune vocabatur, ubi sepeliebatur. Hinc etiam apud Catull. LXVI. 89: Troia, ubi tot heroes ex Asia et Europa occubuerant, et compositi fuerant, commune vocatur sepulcrum Europae Asiaeque.

SERMO omnium gentium est, *loquela* cuiusque gentis dialectus propria. *Sermonem* cum amicis producere interdum solemus in multam noctem, sed *lingua* est vel latina, vel

Digitized by Google

graeca etc. Sunt tamen loci veterum scriptorum, in quibus sermo usurpatur pro lingua, v. g. sermo patrius.

SERMO et CONTENTIO diversum habent significatum. Cic. Off. I. 37: *Contentionis* praecepta rhetorum sunt, nulla *sermonis*. *Contentio* est oratio acris et vehemens ad confirmandum et confutandum accommodata; *sermo* oratio remissa, et finitima quotidianae locutioni. *Sermonis* usus omnibus est communis, *contentio* oratorum propria. Cic. Off. II. 14: *Sermo* ad usum quotidianum pertinet, *contentio* ad curiam et forum. *Ille* ad gratiam, *haec* ad gloriam conciliandam plurimum facit.

SERTVM et SERTA, cum nihil adiicimus, promiscue usurpantur, ut Virg. Aen. I. 417: *Sertisque* recentibus halant. Id. Ecl. VI. 16: *Serta* procul tantum capiti delapsa iacebant. Si autem *sertos* dixero, addo flores; si *sertas*, addo coronas. Notandum autem, *sertum* gen. neutr. *coronam* quoque, sive *corollam* significare, h. e. circularem textum eorum florum, qui capiti redimiendo apti sunt ac destinati, ut Lucanus X. 164: Accipiant *sertas* nardo florente coronas.

SERVIRE et SERVVM esse separat Quintilianus Inst. Orat. VII. 3, ita ut *servire* latius pateat. Nam serviunt etiam famulus, addictus et nexus, licet liberi; *servus* est is solum, qui servilis conditionis est.

SERVITVS est sub domino; *servitium* patientia servi facit. *Servitus* (1) est necessitas; *servitium* est multitudo servorum. H.

SERVO, ASSERVO, RESERVO, idem est, atque in tempus futurum aliquid repono; *conservo* est praesentem statum continuo; sed *retineo* est non dimitto. H.

SERVM ad negotium pertinet; *sero* ad tempus; sic *sera* diei pars *serum* est; sed *sero* maturescens fructus est serotinus. Corn. Pront.

SESTERTIVS dicitur quarta pars denarii. Itaque cum denarius decussi, id est, decem assibus aestimabatur, tum *sestertius* duobus assibus et semisse permutabatur. At cum sexdecim assibus denarius aestimatus est, tum *sestertius* quatuor

(1) *Servitium*, multitudo est servorum. *Servitus* conditio serviendi: Sed veteres promiscue *servitium* et servitutem posuerunt. Virg. Aen. III. 327: *Servitio* enixae tulimus. Fl. Sosipp. R.

Digitized by Google

asses valuit, auctore Plin. HN. xxxiii. 13: *Sestertium* valet mille *sestertiis* nummis, suntque idem mille nummi et *sestertium*, ut quod Varro de RR. iii. scribit: Emtum octo *sestertiis*; hoc octo millibus nummum dixit Macrobius in Saturnalibus. Et quod Tacitus in Annal. xi. 7: Capiendis pecuniis posuit modum, usque ad dena *sestertia*, hoc Plinius Epistol. v: Peractis tamen negotiis permittebantur pecuniam dumtaxat decem millium dare.

Severitas auctoritatis est; *accuratio* sollicitudinis; *diligentia* laboris. Gocl. H.

Sic ad exemplum; *ita* ad rationem communiter refertur. H.

Sidvs (1) est signum fixum, in quo plures *stellae* insidunt, ut Aries, Taurus, Perseus, Andromeda, et si quod aliud nota aut forma aliqua in caelum receptum est. *Stella* est erratica et sola fertur, non admistis aliis *stellis*, ut Lucifer, Vergiliae, Vesperugo et reliquae omnes toto caelo sparsae. Cic. de Republica vi: Hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae *sidera* et *stellas* vocatis. Lucr. ii. 209: Non cadere in terram *stellas*, et *sidera* cernis? Quamquam interdum *sidus* pro sole et luna, aliquando (sed fere numero multitudinis) pro *stella* usurpant Cicero, Quintilianus et poëtae; ut quod dixit Lucretius: *Sideribus* fixum caelum, hoc Virgilius Aen. iv. 481: *Stellis* ardentibus aptum. Sed *stella* pro *sidere*, sive signo, apud nullos scriptores reperitur. Itaque vera et perpetua est illa differentia, quam posuimus; etsi Valla aliter sentit.

Sidvs non sine astris; *Astra* non sine sidere H.

Siglae et Notae differunt. Ernestius in Clav. Cic. Notas, inquit, de quibus Cic. Orat. iii. 44. loquitur, alii interpretantur siglas, quum pro singulis verbis litterae singulae ponuntur, alii formulas actionum, alii obscura verba, alii signa, quibus verbum unum, aut plura exprimebantur, cuiusmodi sunt adiecta corpori Inscript. Gruteri. Hanc sententiam probarem et ipse, si res et locus Ciceronis paterentur. Primo nulla est necessitas dicendi, notas fuisse signa eiusmodi. Nam

(1) Signa dicuntur eadem et sidera. Signa, quod aliquid significent ut: libra, aequinoctium. Sidera, quae insidiantur, atque ita significant aliquid in terris perurendo. Varro R.

Digitized by Google

per notas scribere, ut e Svet. Aug. LXXXVIII; Caes. LV. constat, etiam dicitur, quum integra quidem verba litteris scribuntur, sed ita, ut litterae non suam ordinariam vim habeant, sed v. c. *d* pro *a*, *e* pro *b* ponatur. Ergo omnis ratio scribendi occultior est per notas. Cuiacius Obs. XII. c. 40. distinguit quidem notas a siglis, et est certum, non omnes notas esse siglas; neque tamen propterea *siglae* non sunt *notae*. Itaque et ipse locum Ciceronis de siglis interpretatur. Illas autem siglas vix putem tam vetustas, ut de his aut similibus Cicero intelligi possit. Ergo siglae sunt species notarum, et litterae singulares sine coagmentis syllabarum, ut, quum scribimus S. vel S. P. D. Conf. Gesn. in thes.

SIGNIFICO aliquid minus, aliquanto plus *declaro:* Cic. Fam. v. 13: Hoc saepius dicendum, tibique non *significandum* solum, sed etiam *declarandum* arbitror. Vavass. p. 592.

SIGNVM et STATVA ita differunt, ut genus et species. Nam *signum* est exemplum et Dei et hominis et bruti; *statua* (1) est Dei tantum et hominis. Ita *statua* omnis signum est, non contra. Et *statua* ponitur in foro, aut in alio publico et conspicuo loco; signum in templis, vel aedibus privatis. Cato in Orat.: Uti praeda in publicum referatur, miror audere atque religionem non tenere. *Statuas* Deorum exempla earum facierum, *signa* domi pro supellectile statuere. Praeterea *signum* interdum dimidiam habet eminentiam, et haeret in ipsa materia, in qua vel incisum est, ut in gemma (2); vel incrustatum aut affixum, ut in vase caelato; vel intextum, ut in veste (3). Virg. Aen. I. 648: Pallam *signis* auroque rigentem; *statua* vero integra undique et solida prominet, nec materiae, unde facta est, inhaeret. Ab utroque differt *tabella* quae penicillo exprimitur.

SIGNA et VEXILLA saepe iungunt historici, inter quae hoc interest, quod *signa* erant oblongae hastae, in quarum summitate breve transversim affixum erat lignum ad formam crucis

(1) Vid. Emundi Figrelii liber singularis de Statuis illustrium Romanorum. cap. 23. p. 199. seq.

(2) Haec quidem signa graeco nomine *anaglypta* appellari consueverunt. TH. VALL.

(3) Intellige *textiles picturas*, quas memorat Lucret. II. 35. TH. VALL.

Digitized by Google

cum titulo cohortis. *Vexilla* erant parva vela. *Illa* habebant Caesarum ex auro argentove imagines innexas a summo ad medium; *haec* quoque eorum nomina praeferebant. Svet. Ner. XIII: Inter *signa militaria*, atque *vexilla*. Id. Vespas. VI: Nomenque eius *vexillis* omnibus sine mora inscripserunt. Tac. Hist. I. 36: Medium inter *signa* Othonem *vexillis* circumdarent. Id. II. 18: Correptis *signis vexillisque* ruere. Hinc manarunt elegantes et usitatae locutiones, *signa* movere, *signa* inferre, concurrere infestis *signis*, sub *signis* ducere, habere; item *vexillum* flagitare, pro velle exauctorari, ad *vexillum* ducere, sub vexillo retineri, id est, exauctoratum esse; quae legenti libros historicorum occurrunt.

SILET, cuius loquentis sermo comprimitur, ab ipsa significatione litterae S. *Tacet*, qui ne loqui quidem coepit. Front. *Silere* proprie est eorum, qui revera loqui possunt. *Tacere* autem est tum loquentium, tum non loquentium. *Silet*, qui nondum coepit loqui, *tacet*, qui desinit. *Silere* proprie est eorum, qui iam loqui coeperunt. Alias *silere* idem est, ac nihil soni edere. Illud enim *silet*, quod nihil sonat; *silescit* autem quod sonare desinit, ut fiat *silentium*. *Tacere* est et loquentium et non loquentium. Plaut. Poen. Prol. 3: *Sileteque* et *tacete*, atque animum advertite. Cic. Syll. XXIX: Cum ceteri de nobis *silent*, non etiam nosmet ipsi *tacemus*. Confunduntur tamen interdum, ut quam Catullus *tacentem* noctem, eamdem Virg. (Aen. IV. 527. et Aen. VII. 90. 102.) *silentem* dixit. Et idem rursus Aen. II. 250: ubi pro noctis voce vox lunae in pluribus editionibus nequaquam inique est substituta. *Tacitae* per amica *silentia* noctis.

SILICES erant lapides quadrati, quibus apte iunctis viae romanae sternebantur, *glareae* lapiduli erant, quibus terrae fossae implebantur. Tibull. I. 7. 59: Namque opibus congesta tuis hic *glarea* dura Sternitur, hic apta iungitur arte *silex*. R.

SIMVL (1) notat coniunctionem temporis; *Una* coniunctionem loci et facti. Unde dicuntur *simul* fuisse, qui eodem tempore fuerunt; *una*, qui in eodem loco. Cic. Att. VII. 10: Si in Italia Pompeius consistit, erimus *una*.

(1) Simul locum demonstrat, una congregationem. Cornel. Front. R.

Digitized by Google

SIMVLACRA deorum sunt, *umbrae* inferorum; *animae*, quae caelum petunt. Servius ad Aen. IV. 353: Et nunc magna mei sub terras ibit imago: Bene, inquit, imaginem dixit. Valde enim quaeritur apud philosophos, quid illud sit, quod inferos petat? nam tribus constamus, anima, quae superna est, et originem suam petit, corpore, quod in terra deficit, umbra, quam Lucretius sic definit: Spoliatus lumine aër. Ergo umbra, si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo, nec est quidquam reliquum de homine, quod inferos petat. Sed deprehenditur, esse quoddam simulacrum, quod ad corporis nostri effigiem fictum inferos petit; et est species corporea, quae non potest tangi; sicut ventus. Ceterum poëtae confuse vel simulacrum, vel umbras dicunt. Vetus quoque doctrina fuit, circumvolare umbras, donec consumta sint corpora. Vid. Fabri lex. t. II. p. 698. et Materni de Cilano pr. de anniv. Rom. februatione. Alton. 749.

SIMVLARE (1) est referre et effingere id, quod est; *dissimulare* est artificiose et astute aliquid celare ne intelligatur, seu ea, quae sunt, non aperte prodere; *insimulare* autem est per *simulationem* criminari. Itaque *dissimulamus*, quae sunt; *simulamus*, quae non sunt. Cic. off. I: Quaedam *simulabit*, aut *dissimulabit* vir bonus, Sallust. Catil. V: Cuiuslibet rei *simulator* et *dissimulator*. Arnob. II: *Simulare* in hominibus discerent, *dissimulare*, mentiri.

SINE particula negationis, *praeter* exclusionis est.

SINGVLARE in suo genere est unicum, *eximium* est praestantius inter multa genera. Goclen. H.

SINVS est genus vasis; quod cum significatur, *si* producitur; cum *gremium* significamus, *si* corripitur. Servius.

SINVS est vas fictile ventrosum, *sinus* est laxitas vestimenti supra cingulum, cui indimus aliquid. H.

SOBRINI ex duabus sororibus; *consobrini* ex fratre et sorore; cum ex fratribus *patrueles* dicuntur. Donat. H.

SOCIVS differt a participe. *Particeps* est, qui certam habet partem, non divise agit, ut *socius*. Pedian. R.

(1) *Simulare* est fingere scire, quae nescias: dissimulare fingere nescire, quae scias. Non. Dissimulamus nota, simulamus ignota. Dissimulamus, quod sumus, simulamus, quod non sumus. Serv. R.

Digitized by Google

Societas in utramque sumitur partem; *coniuratio* in malam. Goclen. H.

Socordia *V.* Desidia.

Socii dicebantur Italiae populi, cum Romanis societate coniuncti. *Foederati*, populi etiam extra Italiam, qui cum Romanis amicitiam aliquo foedere contraxerant, sed suis legibus et magistratibus vivebant. Th. Vall.

Solativm et Solamen in rebus ipsis est, *consolatio* fit verbis, Valla iv. 77. Nec tamen hoc discriminis perpetuum est

Solea *V.* Calcevs.

Sollicitvdo est, quae inhaeret mentibus, *sollicitatio*, quae ab alio fit. *Sollicitudo* rerum incertarum magis est. Donat. R.

Solvs est relictus; *unus* ex multis: *unicus* inopia aliorum; *solitarius* semper sine aliis. H.

Solvere alicui est satisfacere; *solvere* aliquem est liberare. H.

Somnvs est sensuum quies et quidem naturalis et placida; *sopor* est profundus, et plerumque noxius, ut temulentorum fessorum et aegrotorum. M. Coelius ap. Quintil. iv. 2: Namque ipsum offendunt temulento *sopore* profligatum. Id. ibid.: Semisomno *sopore* inter manum centurionum concubinarumque iactabatur. Plin. H. N. xxi. 74: Iunci semine *somnum* allici: sed modum servandum ne *sopor* fiat.

Sordidvs est, qui sordibus vel illuvie squallet, ut dissolutus, aut avarus; *sordidatus* est, qui *sordida* veste et obsoleta amictus est, ut reus. Ille natura, vel instituto; *hic* necessitate fit urgente. Unde *sordidum* natura; *sordidatum* autem sordidum factum dicitur. Ter. Heaut. ii. 3. 56: Scin' hanc, quam dicit *sordidatam* et *sordidam?* Westerhovius ad eum locum haec habet: Est vero *sordidus* natura et moribus talis; *sordidatus*, qui habet vestes sordidas ex occasione quadam. Ita *sordidati* erant rei, lugentes et in periculo constituti. Svet. Vitell. xv: Primo diluculo *sordidatus* descendit ad rostra. Haec tamen distinctio non semper obtinet. Plaut. Asin. ii. 4. 90: Quamquam ego sum *sordidatus*, frugi tamen sum. Hinc sordes pro ipso reatu. Svet. Aug. xxxii: Diuturnorum reorum, ex quorum sordibus nihil aliud, quam voluptas inimicis quaereretur, nomina abolevit. Gesnerus tamen hunc

Digitized by Google

ipsum Plauti locum in thes. ita interpretatur, ut *sordidatus* sit sordide indutus.

Sortem in nascendo, *industriam* in faciendo esse, veteres dicebant. Ter. Heaut. III. 1. 11: Profecto ingenio egregie ad miseriam natus sum. Cic. Verr. III: Homo factus ad istius libidines. Pedian. R.

Sortiri, id est, sorte decidere, et *comparare*, id est, collatis inter se sententiis, et voluntatibus mutuo cognitis, constituere, decernere, inter se differunt. Liv. XXIV. 10: Decretumque omnium primum, ut consules *sortirentur*, comparare ntve inter se, uter censoribus creandis comitia haberet, priusquam ad exercitum proficisceretur. Eodem modo discerni videas *sortem* et *comparationem* Liv. VI. 30: Manliis Volsci provincia sine sorte, sine comparatione, extra ordinem data. V. Brissonius de formul. II. § 166. et Gesneri thes. v. comparo.

Species divisio est generis; *specialitas* ficta est ab Antonio (Gniphone) grammatico; *specietas* qualitatis. Corn. Front. R.

Species rerum praesentium est, quod quasi aspicitur, *fama* rerum absentium. Serv. R.

Spectacvla loca sunt, unde spectamus; *spectamenta* quae spectantur. Corn. Front. R.

Specvlator in malam, *Legatus* in bonam partem sumitur. *Speculatoris* (i. e. *exploratoris* alienorum consiliorum) nomen est infame; *Legati* honorificum. Goclen. H.

Specvlvm est, quo ora ac imagines animantium rerumque redduntur: *specularium* est, quod lumen transmittit et transfundit in aedes, ut hodie per vitreamina et chartacea fit; sic dictum, quod olim fiebat ex lapide *speculari*, quem Hispania dabat, qui, vitri modo, pellucidus in quamlibet tenues crustas findebatur, ut tradit Plin. H. N. XXXVI. 45. Senec. Ep. XC: Quaedam nostra demum prodiisse memoria scimus, ut *specularium* usum, perlucente testa, clarum admittentium lumen. *Specula* significat locum, ex quo despicimus: Virg. Aen. X. 454: Utque leo, *specula* cum vidit ab alta. Martialis Epigr. VIII. 14. 3: Hibernis obiecta notis *specularia* puros Admittunt soles et sine faece diem.

Sperata sponsa dicitur, quae nondum petita est; dehinc

Digitized by Google

dicta, *pacta*, *promissa* dicitur. Plaut. Amph. II. 2. 44: Amphitruo uxorem salutat laetus *speratam* suam. Virg. Aen. II. 678: Coniux quondam tua *dicta* relinquor. Id. Aen. X. 79: Gremiis abducere *pactas*.

SPERNERE *V.* CONTEMNERE.

SPINVS masculino genere prunorum arbor vocatur; *spina* vero foemin. Sentes. Servius.

SPIRARE viventis est, *expirare* mortui. Agraet. R.

SPIRITVS plus significat, quam *animositas* vel *contentio*. Paedian. R.

SPLENDET artificio, ut aurum, argentum, *fulget* natura, ut ignis, sol. Front. R.

SPLENDIDVS et ILLVSTRIS quum coniunguntur, *συνωνύμως* et significatione una eademque veniunt. At quum coniunctio geminatur, et splendidus et illustris, videtur intelligi necessario diversitas significationis verborum, sive significatio augeatur, sive non. Cic. de fin. V. 9: Atque his de rebus et *splendida* est eorum et *illustris* oratio, v. Vavassor. antib. p. 593.

SPOLIARE est non minimam partem auferre, *mutilare*, aliquid detrahere, sine quo res esse non possit, unde *mutili* dicti sunt boves, aut capri sine cornibus, *lacerare*, cum omnino non habeas, quod imminuas. Donat. R.

SPONDA et PLVTEVS differunt. Isidorus: *Sponda* exterior pars lecti, *pluteus* autem interior. Sic lectos in cubiculo collocabant veteres, ut parieti propius admoverentur, nec in medio essent positi, quod etiam hodieque solemus. Sic illa pars, quae parietem spectabat, et *pluteo* muniebatur et interior *sponda* vocabatur. Ad *pluteum* mulieres cubabant, viri autem in priore *sponda*. In lectis tricliniaribus non minus, quam in cubicularibus, *spondae* et *plutei* dicebantur, sed contrario modo. Nam *sponda* pars interior lecti tricliniaris adpellabatur, et quae mensae admovebatur; exterior vero *pluteus*. Ideo puellae et pueri, qui essent in deliciis, priores accumbere dicebantur, quum in gremio amatorum suorum iacerent, nec pluteum tangerent. Scipio Africanus de Sulpicio Gallo: Qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chirodota adcubuerit. Gesnerus in thes. v. *pluteus* ita: Nominatim in lecto *pluteus* est tabula perpendiculariter ultra

Digitized by Google

spondam eminens, quae in cubiculari lecto ad parietem spectat, in tricliniari autem a mensa aversa est. De tricliniari seu discubitorio Svet. Cal. XXVI: Quosdam summis honoribus functos, coenanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare, passus est. De cubiculari autem Martial. Epigr. III. 91. 9: Exciduntque senem, *spondae* qui parte iacebat; Namque puer pluteo vindice tutus erat.

SPONDERE et DESPONDERE ita distinguit Donatus Comment. in Ter. Andr. I. 1. 75. ut *spondeat* puellae pater, *despondeat* adolescens; nimirum, *despondeat* qui petit; *spondeat* autem a quo petitur. Sed ubique haec Donati differentia non observatur. Illud tamen teneri solet, ut *spondere* vel *despondere* puellam, non adolescentem dicamus. Sibi quoque adolescens uxorem *despondere* dicitur. Leg. Goclenii LL. observationes p. 248. H. Fr. Hotomannus inquit: Haec futilis grammaticorum observatio est; nam *despondendi* verbum videmus passim promiscue tum in adolescentis, tum in puellae patre, tum etiam matre et fratre, atque ipso adolescente usurpari. Cic. Att. I. 3: Tulliolam C. Pisoni Frugi *despondimus*. V. *Promittere*.

SPONSIO et COMPROMISSVM sunt res diversae. In iudiciis *sponsiones*, in arbitriis *compromissa* fieri solebant; *illud*, nisi vere actio intenderetur, *haec* si damnatus arbitri sententiae pareret. *Compromittere* dicuntur, qui hinc inde promittunt, se arbitri sententiae obtemperaturos. Inde compromissarius iudex. *Compromissum* ipsum erat certa pecunia ab utroque litigatore mutuo promissa, nisi arbitri sententiae pareret. *Sponsio* autem in iudicio de certa pecunia fiebat, quam daret, qui vel tota causa, vel quaestione, quae in causam incideret, victus esset. Provocans *sponsione* dicebat: *spondeo*, me tantam pecuniam daturum, ni, etc. Provocatus autem contra restipulabatur. Heineccius antiqu. R. IV. tit. XI. § 4. In causis bonae fidei et arbitrariis aliquando deponebatur pecunia, quae *compromissum* appellabatur. Cic. Rosc. Com. IV: Quaero abs te, quid ita de hac pecunia *compromissum* feceris, arbitrum sumpseris, quantum aequius et melius sit, dari, repromittive, si pareret. Quum enim periculum esset, ne alterutra pars arbitri sententiae staret, plerumque haec

Digitized by Google

pecunia deponebatur, ut multae loco eriperetur ei, qui hoc modo elusisset arbitrum.

SPONTE facere et *invite* facere inter se opponuntur. *Ultro* vero facit, qui non expectat, dum rogetur aut admoneatur, aut provocetur, ut faciat. Praeterea *sponte* etiam locum habet in rebus inanimis, ut cum dicimus, corpora gravia sua *sponte* deorsum ferri; *ultro* vero tantum in rebus animatis, atque adeo in his, quae rationis sunt participes. Servius ad Virg. Aen. II. 145: *Ultro* non est *sponte*, nam iam rogaverat, sed insuper et venit ab eo, quod est ultra, quia plus, quam rogaverat, praestiterunt. Scilicet amplius quid notat *ultro*, quam *sponte*. Id enim *ultro* fieri dicitur, quod praeter exspectationem fit, et praeter quam fieri adsolet. Ter. Eun. I. 1. 1: Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem, cum arcessor *ultro*? et mox I. 1. 29: Te *ultro* accusabis, et dabis ei *ultro* supplicium. Id igitur vult Simo, venisse Chremetem praeter morem gentis atticae, et praeter suam ipsius spem. Docuit tamen Gesnerus in thes. v. *ultro*, propriam vocabuli *ultro* vim in eo esse, ut initium aliquod actionis significet ab eo, unde non exspectabatur. *Ultro* quum aliquid fieri dicimus, nihil praecessisse indicamus eorum, quae alias solent. Itaque interdum per *insuper* reddi potest, interdum *sponte* videtur significare.

STAGNA et PISCINAE differunt. Plin. HN. XXXII. 7: E manu vescuntur pisces in pluribus quidem Caesaris villis; sed quae veteres prodidere, in *stagnis*, non *piscinis*, admirati. *Stagnum*, iudice Gesnero in chrestom. plin. p. 806. erat locus, quo sponte et sine opera humana aqua erat collecta; *piscina* autem lacus, ab hominibus effossus, vel piscium servandorum causa, vel alius commodi. In *stagnis* pisces maiore fruuntur libertate.

STATIO distat ab EXCVBIIS VIGILIISQVE. De stationibus ita Lipsius L. V. de Milit. rom. p. 87: Romanis mos fuit totas cohortes et turmas habere, et ponere quietas ante ipsas portas. Id vocabant ab ipsa re *stationes*. Stabant enim. Caes. BG. IV. 32: Duas cohortes in *stationem* succedere iussit. Palam hic pedites habes; at equites in Sallust. Iug. c: Neque secus, atque iter facere, castra munire; excubitum in portas

Digitized by Google

cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere. Distinguunt passim *stationes* a *vigiliis*. Liv. III. 5: *Vigiliae* in urbe, *stationes* ante portas, praesidiaque in muris disposita. Tac. Ann. I. 32: *Vigilias*, *stationes*, et si qua alia praesens usus indixerat. *Excubiae* et *vigiliae*, testibus Vegetio et Polybio, e quatuor viris; e contrario *stationes* e pluribus, immo integris turmis aut cohortibus constabant.

STATVRA significat corporis quantitatem, ut *statura* eminens, brevis: *Status* (1) est corporis habitus, dispositio et σχῆμα. Ter. Eun. III. 5. 49: Videre nimium vellem, Qui esset *status*. Donat.

STILLARE, est guttas emittere ex corpore, *exstillare*, ipsum corpus guttatim finire. Donat. R.

STIMVLAMVR inviti; *excitamur* etiam ultro. Goclen. H.

STIPENDIARIVS *V.* VECTIGALIS.

STIPENDIVM a TRIBVTO ita differt, ut species a genere. Nam *stipendium* proprie est pecuniaria militum merces, seu, quod confertur in mercedem militum; *tributum* autem est, quod in quemcumque usum reipublicae tribuitur. Ita omne *stipendium* est *tributum*, non contra. Quod sensit Pomponius Iurisconsultus D. de Verb. sign. XXVII. cum *stipendium* etiam *tributum* appellari ait. Sed ab imperio Augusti, qui cum populo provincias est partitus, coepit alia harum vocum differentia, atque eadem fere, quae aerarii et fisci. Quippe *stipendium* dictum, quod bello victae provinciae Caesari quotannis pendebant; *tributum* quod populi in aerarium inferebant. Unde praedia alia *stipendiaria*, alia *tributaria*, auctore Theophilo.

STIRPS in significatione generis et sobolis, foeminino genere usurpatur, ut ait Virgil. Aen. VII. 293: Heu *stirpem* invisam. Sed cum arborem et materiam significat, masculino. Virg. Aen. II. 170: Sed *stirpem* Teucri nullo discrimine sacrum Sustulerant. Sosipat.

STOLIDVS significat hebetem, agrestem, aut ineptum; *vanus* est levis, inconstans atque fallax. Sallust. Fragm. ap. Gell.

(1) *Status* est circa gestum situmque membrorum, *figura* circa ornatum et habitum vestis, insignium et armorum. Paedian. R.

Digitized by Google

XVIII. 4: At Cn. Lentulus patriciae gentis, collega eius, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum *stolidior*, an vanior. Lucret. I. 1067: Sed *vanus stolidis* haec omnia finxerit error. Gellius XVIII. 4. tradit: *Stolidos* vocari non tam stultos et excordes, quam tetros et molestos et illepidos, quos Graeci μοχθηροὺς καὶ φορτικοὺς dicunt; vanos autem esse mendaces et infidos, levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes. Atque ita Sallustium his vocibus usum. Quod mihi quidem non videtur. Neque enim Sallustius notavit Lentulum, ut morosum pariter et mendacem, sed et ineptum et impetu magis, quam ratione utentem, tum etiam levem et inconstantem. *Stolidus* est ad naturam brutorum; *stultus* (1) imprudens; *fatuus* qui nihil sapit. H.

STRABO oculos distortos habet, *luscus* uno captus est oculo. Gocl. l. c. H. *Strabo* plus vitii habet, quam *paetus*. Hor. Sat. I. 3. 45: *Strabonem* Appellat paetum pater. Scholiastes ita ad h. l. commentatur: *strabo* dicitur, qui est distortis oculis, *paetus*, qui leviter declinatis, cuius huc aut illuc tremuli volvuntur. Hoc autem decere magis, quam dedecere videtur, et venereum est; quare ipsa Venus paeta dicitur. Ovid. Art. Am. II. 659: Si paeta est, Veneri similis; si flava, Minervae. Conf. Gesn. annot. ad Hor. l. c.

STRENVVS *V.* FORTIS.

STRIA et STRIX in hoc differunt, quum utraque sit in eo columnarum genere, quod striatum dicitur, ut *stria* sit pars eminens, *strix* vero pars cava, vel canaliculus et sulcus, quo stria una ab altera discernitur. Vitruv. III. 3: Columnarum striae faciendae sunt XXIV: ita excavatae, ut norma in cavo striae cum fuerit coniecta, circumacta ita anconibus striarum dextra ac sinistra angulos tangat, ut acumen normae circum rotundatione tangendo pervagari possit.

STVDIVM animi est; *Disciplina* artis. Front. R.

STVPOR est stultitiae; *Furor* insaniae. *Furor* est maius; *Stupor* minus. Deinde *stupor* est in re cognita; *Impudentia* post rem cognitam abiectus pudor. Denique *stupor* est incli-

(1) *Stultus*, habetior corde, sic: Ego me ipsum *stultum* etiam existimo, *fatuum* esse non opinor, h. e. obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. Cf. Plaut. Bacch. v. 1. 2. Isidorus X. R.

Digitized by Google

natio, et minus, *Stupiditas* est habitus, et maius. Goclen. H.

Stvprvm in virginem et viduam; *adulterium* in nuptam; *incestus* iu consanguineas et sacras. H.

Svademvs facilia; *persuademus* difficilia; *suadere* facientis est; *persuadere* perficientis. Valla v. 50.

Svb nonnumquam pro *clam* ponitur. Ut: subripuit, clam rapuit. Aut fere notat aliquid subditum. *In* aut intus significat aut minus, aut valde, et in compositione pro *non* ponitur, ut: indoctus. Corn. Front. R.

Svbdvci dicuntur, quae nolumus amittere, *supponi*, quae non desideramus. Donat. Subducimus, et quae retro subtrahimus et quae in promtu offerimus bello. Sallust. Cat. lxix: Catilina optumum quemque in primam aciem *subducit*. Agraet. R.

Svbsideo et Svbsido diversum habent significatum. *Subsideo* notat subtus sedere vel fundum petere; *subsido* autem deorsum cadere, descendere, fitque cum motu, et motum significat, v. Gesn. thes.

Svbtile ab Acvto distinguit de Orat. iii. 18: Stoici orationis etiam genus habent, fortasse *subtile*, et certe *acutum*; sed ut in oratore, exile. De subtilitate Cicero dubitat, de acumine pronunciat. Vult igitur esse discrimen inter acutum et subtile. Non semper eodem modo utitur his verbis. Hic *subtile* est id, quod acriori ingenio repertum et perspicacius est inventum; *acutum*, quod velut aculeis et quibusdam rationum acuminibus viget.

Svffragia populi et quae honorant, dicuntur et quae donantur. Cic. de Praefectura Urbana: Istum vix ullis populi suffragiis redimere potui. Agraet. R.

Svmimvs, quae posita sunt; *accipimus*, quae porriguntur, *Sumimus* ipsi, *accipimus* ab alio quod datur, sive rem datam capiendo tollimus.

Svper est, quod eminet; *supra*, quod substratum aliquid habet; *subter*, quod a re aliqua superiori premitur et conculcatur; *subtus*, quod demissum altius non contingitur. Agr. Svper notat continuum, eique respondet subter; *supra* notat interiectum spatium, eique respondet intra; *supra* de re et loco, *antea* de tempore.

Digitized by Google

Svperbia est a super habendo et est proprie supergrediens mentis elatio: *arrogantia* autem etiam in pauperem cadit. Corn. Fr. H.

Svpervacaneum est, quod non necessarium est; *Supervacuum* est, quod abundat et superfluit. Sall. Catil. LVIII: Illis supervacaneum est pugnare pro potentia paucorum. Quod sumsit a Demosthene, qui in oratione περὶ στεφάνου ait: οὗτος δ'ἐκ περιουσίας μοῦ κατηγορεῖν. h. e. Huic autem *supervacaneum* est me accusare. Gellius I. 22: Quod *supervacaneum* esset, ac non necessarium. Et mox: Nostros veteres superesse alias dixisse pro superfluenti et supervacuo.

Svpplicia de tormentis dicimus: *Supplicationes* de precibus divinis. Agraet. R.

Svpremvs, *summus* et *ultimus* et superiorem et inferiorem significat. Agraet. R.

Svspicax arguit; *suspiciosus* recipit. Corn. Fr. H.

Sylva generale est; *saltus* sylva densa; *lucus* diis sacra. Vid. supra. H.

Symbola est collatio eranistae ad convivium: quisque enim quod ad manum erat, conferebat: mutato vero genere *symbolum* vocabant annulum, vel quidvis aliud, arrhae loco solitum dari ei sodalium, qui iubebatur coenam parare. Casaub. Animadv. in Athen. III. 31. quid vero est *symbolus*? etc. Front. R.

Silentivm auspiciorum proprium verbum erat, eoque nomine, ut Cicero interpretatur, appellabant, quod omni vitio carebat. Festus inter *sinistrum auspicium* et *silentium* hoc interesse ex Atteio Capitone scribit: Quod sinistrum in auspicando laetum et prosperum auspicium significet; at *silentium*, ubi dumtaxat vacat vitio: Igitur *silentio* surgere quum dicitur, significat non interpellari, quo minus rem gerat, *sinistrum* vero hortari quoque auspicia ad agendum, quod animo quis proposuerit, conf. Gesnerus in thes. v. *silentium*.

T.

Taberna *V.* Officina.

Tabvla et Lintevm pictvratvm perperam a nonnullis pro-

Digitized by Google

miscue usurpantur. Illa enim est italis: *una dipintura in sul legno*; hoc vero: *un dipinto sulla tela.* Cic. Fin. v. 1: Epicuri imaginem non modo in *tabulis*, sed etiam in poculis habere. Plin. HN. xiiI. 21: Nero iusserat se pingi in *linteo.* Th. Vall.

Tabvlarivm (Leg. 92. D. de Legat. iiI.) est publicum; *Tablinum* privatum. Nam *tabularium*, graece ἀρχεῖον, erat repositorium instrumentorum et litterarum, seu locus publicus adservandis instrumentis et tabulis, in quibus omnia praedia, pascua, vectigalia, portoria, redemtionesque publicanorum perscripta erant; *Tablinum* vero erat locus in aedibus proxime atrium, in quo veteres Romani coenabant, et tabulas rationum suarum reponebant. Plin. HN. xxxv. 2: *Tablina* codicibus implebantur, et monumentis rerum in magistratu gestarum. Virg. Georg. iI. 502: Insanumque forum, aut populi *tabularia* vidit. Liv. xliiI. 16: Censores in atrium Libertatis adscenderunt, et ibi signatis tabellis publicis, clausoque *tabulario*, et dimissis servis publicis. Vetus Inscriptio: C . Calpetanus . Statius . Sex . Metronius . M . Perpenna . Lurco . P . Sartius . Decianus . Curatores . Tabularior . Publicorum . Fac . Cur.

Tacere, Reticere et Obticere, hoc differunt, quod *tacemus* consilia, *reticemus* dolores, *obticemus* quorum nos pudet. Ter. Heaut. I. 1. 33: Ne *retice*, ne verere, crede, inquam, mihi. Id. Eun. v. 1. 4: Virgo, conscissa veste, lacrumans *obticet.* Donat.

Tacitvrnvs est, qui facile tacet; *Tacitus* argutus etiam, qui potest aliquando tacere; seu *tacitus* tacet dum non loquitur; *taciturnus* tacenda reticet et obticet.

Talos inter et Tesseras intercedit discrimen, Cic. de Sen. xvI: Nobis senibus ex lusionibus multis *talos* relinquant et *tesseras.* Gronovius ex antiquitate demonstrat, *tesseras* fuisse a *talis* diversas, quippe talorum maior numerus. In testimonii partem adducit illud Mart. Epigr. xiv. 15: Non sim *talorum* numero par *tessera. Talis* enim quatuor ludebatur, *tesseris* plerumque duabus, ad summam tribus. Tesserae nempe binae duodecim habebant puncta, si exsistant duo seniones, in quibus per tesseras numeratur usque ad xiI. puncta. Videtur tamen senio iunctus fuisse, dictus alias

Digitized by Google

basilicus, item Venus, cui opponebatur canicula. Lucem his dat Pers. Sat. III 48: Quid dexter senio ferret, Scire erat in votis, damnosa canicula quantum Raderet. *Tali* descriptionem ex Stephano Londinensi dedit Gesn. in thes. v. talus. *Tessera* erat cubus sive solidum quadratum, a quaternis singulorum sex angulis laterum dictum, τέσσαρες quatuor. A *tesseris calculi* iterum differunt. Martial. IV. 17: Hic mihi bisseno numeratur *tessera* puncto; *Calculus* hic gemino discolor hoste perit.

TANDEM refertur ad tempus, et differt ab adverbio *postremo*, quod usurpatur praesertim in enumerationibus. Virg. Aen. VI. 61: Iam *tandem* Italiae fugientis prendimus oras. Cic. ND. I. 37: Quaero igitur vester Deus primum ubi habitet; deinde quae causa eum loco moveat; *postremo* Deus quid appetat. TH. VALL.

TARDVM inter et PINGVEM multum interest. Turpius dicitur *pinguis* quam *tardus*. Hor. Sat. I. 3. 58: Illi *Tardo* cognomen *pingui* et damus. *Tardus* est homo cautus, *pinguis* stupidus, v. Gesn. ad h. l.

TECTA, ne videantur, *tacita*, ne dicantur. *Tecta* sunt, ne haec alii sciant, *tacita*, ne ipse indicet. Donat. R.

TELVM *V.* ARMA.

TELLVREM deam et globum terrestrem dicimus, *terram* vero elementum et solum globum. Serv. R.

TEMERARIVS est, qui sine respectu salutis obiicit se periculis. *Audax* sine ratione impetum facit. Ergo *audax* non providet; *temerarius* non timet. Corn. Fronto.

TEMERITAS sine consilio dicitur, *audacia* post consilium. Agr.

TEMPERANTIA (1) est animorum; *temperatio* rerum; *temperies* caeli et corporis et aeris et inprimis ventorum. Agr.

TEMPERARE sibi a mendaciis, est abstinere; *temperare* rempublicam legibus est moderari. Proprie autem *temperare* est tempore et modo actiones mensurare, seu res diversas proportionaliter componere. H.

(1) *Temperantia* abstinentiam simul complectitur; est enim *temperantia* domestica et civilis, duobusque modis in rebus commodis discernitur, et ea, quae absunt, non expetendo, et ab iis, quae in potestate sunt, abstinendo. Cic. in Partit. Orator. R.

Digitized by Google

TEMPLA nonnulli existimant esse singulorum diis attributorum locorum; *Delubra* multarum aedium sub uno tecto, a diluvio pluviae munitarum; *Fana*, unde fata petuntur. Alii *delubra* ea dicunt templa, in quibus sunt labra corporibus abluendis, more Dodonaei Iovis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur. Paedian. R. *Templum* (1) aedificium; *Ecclesia* coetus hominum; *Lucus*

(1) Non vero templum solum loci sacri propria notio est, sed etiam aedem sacram, delubrum, fanum, sacrarium, sacellum significare invenimus. At quamquam priscis temporibus inter haec differentiam intercessisse, certum est, progressu tamen temporum, et Ciceronis iam aevo, non usurpatam scriptionibus latinis eruditissimi viri adnotavere, Sam. Pitiscus lex. antiqu. sub templum, Bernh. Montfaucon T. II. P. I. pag. 46. Interim tamen non omnes aedes sacras templa esse, ex Gellio XIV. 7. discimus. *Aedes* enim *sacrae* dicebantur eae, quae ad sacrum quemdam essent constitutae usum, ipsa tamen augurationis lege non sacrae redditae erant. Iac. Gutherius in iure pontif. III. 2: Sic aedes Vestae ad sacra peragenda patebat, consecrataque a pontifice erat, minime tamen templum dicebatur, cum Numa non inaugurari eam voluerit, Gellius XIV. 7; Gutherius c. l. Error vero, quod plerumque templum, et aedes sacra confunduntur, inde meo iudicio originem sumsit, quod, quia omnes fere aedes sacras templa simul fuisse constat, et sanctas quoque reperies, dum sacra in eis facta scimus. Gutherius cit. loc. Pompon. Mela de situ orbis III. 6. cur sanctum sit ossa Herculis ibi sita efficiunt. Quod vero quivis scire posset ac videre, an templum aedis sacrae locus esset, in postico eius leges ponebant, quibus, an templa essent, descriptum legebatur. Plin. Ep. X. 58. Porro *delubrum* venit, quod hanc admittebat differentiam, ut sub uno tecto multorum deorum simulacra haberet, templum vero saltem unius adservaret, uti Bernh. Montfaucon antiqu. explic. Tom. II. P. I. p. 46. Gutherius III. 3. adnotat. Quidam etiam delubrum, locum ante templum, ubi aqua currit, ubique labra abluendorum corporum mortuorum causa reperiuntur, autumant. Ad *fanum* quod adtinet, antiquissimis temporibus area loci sacri dicebatur, quod hinc et Varro de LL. V. a fando fines templi, derivat, templumque evadebat, si ei inaedificaretur, Adr. Turnebus adversar. III. 9. 79. Guther. de iure pontif. II. 3. Et postmodum templum parvum dictum fuisse iam Ciceronis tempore censent. Illud certum, quod in eo etiam ab aede sacra diversum fuerit, quod peculiarem habuerit custodem, cui fani cura commissa, qui fani magister in antiquo lapide Guther. dicitur. Q. Peticio. M. F. Fal. Mag. Fani. Dianae. Superest, ut de *sacello* pauca moneamus, cuius nobis descriptionem dedit Gellius VI. 13. Festo teste, est locus diis sacratus sine tecto. Neque ad privatos

Digitized by Google

a densitate arborum; *Fanum* a fando; *Sacellum* sine tecto; *Delubrum* quasi, in quo peccata diluuntur, *Bidental* ab ovibus bidentibus.

TEMVLENTVS vino, *temerarius* natura. Ter. Andr. I. 4. 2: Sane pol illa *temulenta* est mulier et *temeraria* R.

TENDERE proprie denotat rem trahendo in longum dilatare; deinde est cum nisu et contentione pergere; *pertendere* est pertinaciter et sine remissione insistere. *Illud* constantiae; *hoc* pertinaciae est. Virg. Aen. v. 155: Locum *tendunt* superare priorem Ter. Heaut. v. 5. 9: Video, non licere, ut coeperam, hoc *pertendere*.

TENVIS significat diminutionem rei, *subtilis* vero acuitatem habet. Ergo laudatur *subtile* ingenium, *tenue* vituperatur. Christoph. Landinus in Virgil. R.

TERES et ROTVNDVS: hastam dic *teretem*, malum dic esse *rotundum*. R.

TERGVM proprie est dorsum. Unde *terga vertere* pro fugere; *tergus* est corium, ut Virg. Aen. I. 215: *Tergora* deripiunt costis, et viscera nudant. Id tamen Aen. IX. 763. *Tergum* pro *dorso* ponit his verbis: Hinc raptas fugientibus ingerit hastas In *tergum*. Immo *tergum* dicit pro *corio*. Aen. I. 372: Taurino quantum possent circumdare *tergo*. Alias *terga* sunt hominum; *tergora* animalium. Sosip. R.

TERMINVS manu ponitur et proprie est, ubi aliquid incipit, aut desinit; *finis* generale est. H.

TERRA et SOLVM diversa sunt Servio ad Aen. v. 199: *Solum*, inquit, *notat, unicuique rei quod subiacet, unde est solum navis mare; aer avium; stellarum coelum*. Terrae solum dicit Lucretius v. 213. Peculiari tamen ratione solum terra est, quia hominum et animalium est fundamentum. V. Gesn. thes. v. *Solum*.

spectabat, ut sacrarium. *Sacrarium* erat locus in aedibus privatorum, quo deum aliquem privato cultu venerabantur, et ubi sacra reponebant, quod in aedificio privato fieri potest. l. IX. § 2. ff. de div. rer. Pitiscus lex antiqu. in sacrarium. Sed ad *sacellum* populo liberrimus patet aditus, eaque censorum cura erat, ne in privatorum aedibus, sed in publico esset, cuius rei testem vel maxime Livium habemus, qui M. Aemilio Lepido, et M. Fulvio censoribus laudi tribuit, quod, complura sacella publica, quae occupata essent a privatis, publica, paterentque populo, effecerint.

Digitized by Google

TERROR proprie est, qui aliis infertur, ut si dicas: Ille habet *terrorem*, h. e. timendus est, unde et *terribilis metus* dicitur, quem habent timentes. Sic *territamus* homines *terribilibus* minis, ut a malo *deterreamus*. Quamquam vero animus imperterritus terricula non curat; attamen te divini iudicii *terror* a peccatis absterreat. Comenius.

TESTAMENTVM inter et *Codicillos* quae differentia intercedat, patet apertissime ex Plin. Ep. II. 16. *Codicilli* sunt scriptura, qua defunctus sine solemnitate voluntatem suam de eo testatus est, quod post mortem fieri voluit. Hi non idem possunt, quod testamentum, nisi illo sint confirmati. Proinde *testamenta* solemnius conscripta sunt *codicillis*.

TESTARI et ANTESTARI. *Antestari* est verbum legale, quando solebant testium aures tenere et ita dicere: memento, te mihi in illa causa testem futurum. Est ergo *antestari*, antequam manus iniiciat. Acron. R.

THEATRVM et AMPHITHEATRVM quid differant, ostendit Plin. HN. de C. Curione XXXVI. 24, loquens his verbis: *Theatra* duo iuxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum, versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenae: repente circumactis ut contra starent, postremo iam die discedentibus tabulis, et cornibus inter se coëuntibus faciebat *amphitheatrum*; et gladiatorum spectacula edebat. Et Cassiodorus Variar. Ep. V. 42: Cum *theatrum* hemisphaerium graece dicatur, *amphitheatrum* quasi in unum duo iuncta visoria, recte constat esse nominatum. Isidorus dicit, *amphitheatrum* dictum, quod ex duobus *theatris* sit factum. Nam *amphitheatrum* rotundum est, *theatrum* vero ex medio *amphitheatro* est, semicirculi figuram habens. Cf. Perotti cornucop. Epigr. I. col. 78. seqq. *Hic* celebrantur in urbe tria *theatra*, ut *theatrum* Pompeii, Balbi, Marcelli, de quibus Strabo v. et Ovid. Art. am. III. 394: Visite conspicuis terna *theatra* locis. *Amphitheatrum* unum amplissimum Statilii Tauri quod tempore Augusti extruit Statilius Taurus, et postea Neroniano incendio consumtum Vespasianus restituit, et Titus filius absolvit dedicavitque, ut tradunt Svetonius, Martialis, Papinius et alii.

Digitized by Google

THENSA sunt sacra vehicula, *pompa* ordinum et hostiarum. *Thensas* alii a divinitate dici putant: alii, quod ante ipsas lora tenduntur, quae gaudent manu tenere et tangere, qui eas deducunt. Paedian. R.

TIARA differt a MITRA. Taubm. ad Plaut. Pers. IV. 2. *Tiaram* diversam a *mitra* fuisse, et genus pileoli, quo Persae Chaldaeique usi sint, docet Herod. VII. et D. Hieronymus ad c. 3. Dan. De cuius forma curiose Brissonius de regno Persarum I. 24. ubi, ait, tiaram fuisse forma pilei, quod absque ulla orae latitudine, aequabile ex omni parte et rotundum erat ac in acutum desinens, conum flexum inclinatumque ac paullulum propendens habebat. Eam tempora et buccas velasse ostendunt, Ovid. Metam. XI. 181: Tempora purpureis tentant velare *tiaris*, et Iuven. Sat. VI. 515: Phrygia vestitur bucca *tiara*. Dempsterus in adnot. ad Rosini A. R. p. m. 416. ita: Quid discriminis sit inter mitram et tiaram, primus, qui sciam, admonuit Brissonius. Nam Maximus Syrius Serm. X. mitrophorum a tiarophoro discernit et Herodot. VII. tiaram Persas gestasse scribit, Cisseos vero pileos, seu mitras. Differentia haec a forma, ut puto, petenda est; nam *tiara* formata erat in modum dimidiatae lunae; *mitra* non item. Designaturque hoc discrimen non obscure a Liutprando in legatione sua: Mulieres nostrae tiaratae et teristratae, viri equitant pileati, conf. Salmas. Exerc. plin. p. 263. et 392.

TIMERE proprie est servorum, qui formidine poenae continentur; *Vereri* est liberorum, qui virtutis et honesti amore ducuntur. Et *timemus* (1) dominos et tyrannos; *Veremur* parentes et seniores et qui sunt in honore aliquo aut dignitate constituti. Cic. Senect. XI: *Metuebant* eum servi, *verebantur* liberi, carum omnes habebant. Id. Quint. I: Summa gratia et eloquentia, quarum alteram *vereor*, alteram *metuo*. Liv. XLIX: *Veremur* quidem vos, Romani, et si ita vultis, etiam *timemus*; sed plus et *veremur* et *timemus* deos immortales. *Timeo tibi* idem est, ac sollicitus sum pro te; *Timeo te* est reformido te, ut adversarium. H.

(1) *Timeo* ab illo, cuius causa possum aliquid mali pati, etiam si ipse nihil in me mali consulat: metuo illum, qui mihi ipsi aliquid facturus est. Donat. R.

Digitized by Google

Timor est malorum, *pudor* tantum bonorum. Donat. *Timor* est de futuro, *odium* de praesenti. Serv. R.

Timor sumitur physice estque adfectus, quo animal futurum aliquod malum reformidat. *Timiditas* ethice, estque habitus vitiosus, quo homo timet, quod, ubi, quando, quomodo, quantum timere non decet.

Titvbat, qui pedibus non valet insistere, quales sunt ebrii, infirmi, grandes natu, vulnerati. Transfertur etiam ad animum. *Nutare* est proprie alicuius male solidatae molis, ruinam minantis. *Vacillare* est alterno motu inconstantem esse.

Toga quid differat a *stola*, constat inter omnes. Erat *illa* virilis, *haec* muliebris. Instita, fascia satis lata, togae subsuta stolam effecisse, vel certe stolam produxisse videtur, ut ea talos imosque pedes tegeret. Reliquam togam stolae fuisse similem Isidorus xix. 25. docet: Antiquissimis temporibus toga utrique sexui communis erat, sed postea facta est proprium virorum vestimentum, foeminae vero utebantur ex illo tempore stolis, neque tamen omnes; meretrices enim et impudicae toga uti cogebantur; v. Brisson I. sel. ex iure antiq. p. 10. s. et Gesn. thes. v. instita. *Togam* vestem fuisse exteriorem, *tunicam* interiorem, vel pueri norunt.

Tollere est levare et erigere: *Auferre* levatum transferre. Virg. Aen. viiI. 440: Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores. Non.

Tori vocabantur lecti pretiose strati principum hominum, diis vero strati lecti dicebantur *pulvinaria*, quibus simulacra deorum, et festis quidem diebus dapes sacrae imponebantur. Heumannus ad Cic. Mil. xxiI. Exempla utriusque vocabuli significatum confirmantia addere superfluum foret. De toro Sen. Agam. xiiI. Pellex tori regii. Conf. Virg. Aen. iI. 2. Statius Sylv. iiI. 1. 86.

Torqvem inter et Monile differentiam statuit Isidorus xix. 31: *Torques*, ait, et bullae a viris geruntur, a foeminis *monilia* et catellae. Sane Festus etiam iI: *Monile* dictum est ornatus mulieris, qualem habuisse Eryphilam fabulae ferunt. Ovid. contra Met. v. 51: Indutus chlamydem tyriam, quam limbus obibat Aureus: ornabant aurata *monilia* collum. Schefferus de antiqu. torquibus p. 13. pro Ovidio pugnare ipsam

Digitized by Google

nominis originem putat. Io. Nicolai autem in notis observat, praeter Schefferum etiam M. Lanckisium in arrha spirituali, et Th. Bartholinum in ter. de armil. vet. p. 12. 13. probasse, monile non solum feminis, sed etiam viris convenire. Bartholino calculum addit Calvinus in lex iuridic. p. 590. Bene igitur Faber scribit: *Monile*, ornamentum colli virginum vel iuvenum ingenuorum, inde dictum, quod virtutis admoneat, conf. Gesn. thes. v. monile.

TORQVEMVS hominem, *extorquemus* veritatem. Donat. R.

TORRIS adhuc ardens, extinctus *titio* fiet. H.

TOTVM est unius corporis plenitudo, ut *totum* auditorium, id est, integrum; *Omne* de universis dicimus, ut omne auditorium, id est, universa auditoria. Servius.

TRANQVILLITATEM a MALACIA distinguit Seneca Ep. LXVII: Sed in otio inconcusso iacere, non est *tranquillitas*, *malacia* est. *Tranquillitas* igitur non est sine omni actione et motu. *Malacia*, vocabulum graecum, sed civitate romana donatum, proprie usurpatur, cum mare stat sine ventis, et fere sine motu. Caesar B. G. III. 15, ubi de mari loquitur, utrumque vocabulum coniunxit: Ac iam conversis in eam partem navibus, quo ventus ferebat, tanta subito *malacia* ac *tranquillitas* extitit, ut se loco movere non possent. Postponit h. l. tranquillitatem malaciae, ut crederes, tranquillitatem omni fere motu carere, malaciam non item. Sed quis nescit, differentias saepissime ab ipsis romanis negligi scriptoribus.

TRANSIGO (1) *rem aliquam* cum aliquo; non *decido* autem *rem aliquam*, sed *de aliqua* re et per aliquem, item absolute. Vid. Goclenii Observ. LL. p. 249. dicentis, duas hasce formulas solo eloquendi modo differre. H.

TREPIDATIO ad vocem refertur loquentium, *cursatio* ad sonum pedum. Donat.

TRIBVLA et PLOSTELLVM vehicula erant, quibus veteres frumenta terebant in area, diversi tamen generis. Varro de R.

(1) *Transigere*, quod manifestum est, *expedire*, quod definiendum, *absolvere*, quod dividendum. *Transigere* est, quod aut confiteri non timeat, aut negationem excludat; *expedire*, quod definitione solvatur; *absolvere*, quod per qualitatem licitum esse monstretur. Paedian. R.

Digitized by Google

R. I. 52, alterum ab altero differre, conceptis verbis docet: *E spicis in aream excuti grana. Quod fit apud alios iumentis, iunctis ac* tribulo. *Id fit e tabula lapidibus aut ferro asperata, quo imposito auriga aut pondere grandi trahitur iumentis iunctis, ut discutiat e spica grana; aut ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant* plostellum *poenicum. In eo quis sedeat atque agitet, quae trahant, iumenta.* Th. Reinesius in diss. de lingua punica *tribulam* cum *plostello* confundit. Error, iudice Vitringa com. in Ies. t. II. p. 130. exiguus est, quod exigua inter haec instrumenta differentia fuerit. Utriusque figuram expressit Schoettgenius in antiqu. triturae p. 34. 36. ex eo autem Herm. Christ. Paulsen in tract. lingua germanorum de agricultura orientalium conscripto. Longum foret, verba Schoettgenii exscribere. Disputat idem contra Schefferum de Re Vehicul. II. 7. 128: e cuius sententia asseres *plostelli* dentati non leves aequalesque, sed in modum serrae crebris incisuris asperati dentatique sunt. Sed fraudi viro fuit, vox axibus, quam ille pro assibus, seu, ut minus recte quidam dicunt, asseribus sumsit. Differentiam horum verborum exprimit etiam Virg. Georg. I. 164: *Tribulaque*, trabeaeque, et iniquo pondere rastri. Lege sis Paulsen. 132.

Tribvla grana terit; *Tribuli* nascuntur in agris. H.

Tribvnalia dicuntur maiora exercentium (v. g. tribunorum triumvirorum, quaestorum etc.) iudicia, *subsellia* autem minora, et eorum, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus sedebant. Goclen. H.

Tribvnvs et Praefectvs valde discrepant. In militia romana *praefectorum* nomen ad auxilia et socios, non ad legiones pertinebat. Quod *tribuni* in legione, *praefecti* in auxiliis erant. Reperimus autem *praefectos* cum in exercitu equestri auxiliorum, tum in pedestri. Notavit tamen clar. Dammius Berolinus ad Cic.Ep. Fam. II. 17, *praefectum* absolute positum constanter significare ducem equitum. Vellem testes addidisset.

Tribvtarivs *V.* Vectigalis.

Tribvtvm est pecunia, quae populo imperatur, ita dictum, quod a singulis proportione census exigitur, ut Varro tradit, vel ab intributione; aut quod militibus tribuitur, auctore

Digitized by Google

Ulp. D. de Verb. Sign. xxvii: *Vectigal* proprie dicitur, quod pro invectione, vel evectione mercium debetur. Sed generaliter significat omne, ex quo respublica reditum habet, veluti vectigal portus, decumarum, vicesimae, scripturae, salinarum, metallorum, et similium. *Ultro tributa* erant redemturae operum publicorum faciendorum, quae censores quinto quoque anno mancipibus certa mercede locabant, sic appellata, quod ab ipsis locatoribus ultro attribuerentur et persolverentur. Plutarchus in vita Catonis vocat Ἐργολαβίας. Itaque *tributum* et *vectigal* erat fructus et reditus reipublicae. *Illud* graecis est τέλος, et res atque fundos maxime spectat; *hoc* graecis φορὸς, et in capita resque mobiles imponitur. Ultro *tributa* autem erant sumtus et impensae publicae. Varro Ling. Lat. v. 2: Lustrum nominatum tempus quinquennale a luendo, hoc est, solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia et ultro tributa per censores persolvebantur. Liv. xxxix. 44: Vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt. Idem xliii. 16: Edixerunt, ne quis eorum, qui, C. Fulvio, A. Postumio Censoribus, publica vectigalia, aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet. Sed interdum vectigal latissime pro tributo atque stipendio accipitur, et vectigales provinciae agrive pro stipendiariis vel tributariis. Festus. Vectigal aes dicitur, quod ob tributum et stipendium, et equestre, et ordinarium populo debetur.

Triceni de tricenis dices; *trigeni*, de triginta. Agraet. R.

Tristis et Severvs diversam habent significationem. Ter. Andr. v. 2. 16: *Tristis severitas* inest in vultu, atque in verbis fides. Cic. Amic. xiii: *Tristitia* autem et in omni re *severitas* habet illa quidem gravitatem. Tac. distinguit Hist. I. 14: Aestimatione recta *severus*, deterius interpretantibus *tristior* habebatur, v. Westerhovius ad Ter. l. c.

Trvcido graecis ἀποκτείνω plus est quam *occido*, seu graecorum illud φονεύω. Est enim *trucido* immaniter, seu summa cum saevitia atque truculentia occido; ut siquis occidatur ictibus. Gocl. H.

Tvba in bello ad convocandos milites, *tibia* in sacris utebantur. *Tibiae* ex buxo, *tubae* ex aere plerumque argentoque factae; *tibiae* minores, oblongae et foraminosae, *tubae* ma-

Digitized by Google

iores, ad extremitatem incurvae saltem, licet caeteroquin in longitudinem protensae, ac sine foraminibus. Struv. Syntagm. A. R. p. 639. Differentia harum vocum etiam patet ex proverbio: tibiam tubae comparare.

Tvmvltvs est perturbatio magna et repens, quae ex hostili incursu, aut populari seditione oritur (1); *turba* vero est turbatio minor. Cicero Philipp. VIII: Quid est enim *tumultus*, nisi perturbatio tanta, ut maior rumor oriatur? Unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque maiores nostri tumultum italicum, quod erat domesticus, tumultum gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum tumultum nominabant. Liv. XXV. 4: Qui *turba* ac *tumultus* concitatores fuerant.

Tvnc, temporis adverbium est; *Tum*, ordinis. Clarus. H.

Tvrbam angustus locus facit; *frequentiam* multitudo. Corn. Front.

Tvrbo quando appellativum est, facit turbinis; si nomen proprium, turbonis, ut Horat. Sat. II. 3. 310: Turbonis in armis. Serv. R. Alius a *turbine trochus* erat. *Trochus* erat circulus aeneus magnus, cui annuli multi inserti erant, ut strepitu obvii trocho cederent de via. Ansa adprehensus in longum mittebatur, volutabaturque cum strepentibus annulis. Hanc ansam Propertius clavem vocat. *Turbines* autem erant, quorum inferior cuspis in eodem loco non circumageretur, sed scutica agitati vagarentur. Virg. Aen. VII. 378: Ceu quondam torto volitans sub vespere *turbo*, Quem pueri magno in gyro, vacua atria circum, Intenti ludo exercent: Ille actus habena Curvatis fertur spatiis. v. Bulenger de ludis vet. p. 11. s.

Tvrpe et Foedvm quam habeant distantiam, manifestum est. Nam *turpe* levior res est; *foedum* vim habet maiorem. Quaedam enim turpitudo libera est et ab omni poena soluta.

(1) Tumultum a bello differre Cicero Orat. Philipp. II. ostendit. Dicebant socii Antonii, esse tumultum mitius verbum, quam bellum. Sed Cicero repugnans dicebat, esse plus, quam bellum. Ut si quis dicat hominem, dicit etiam animal: ita, qui tumultum dicit, dicit quoque bellum, ut sub genere continetur species. Haec Goclenius loc. nuper alleg. p. 249.

Digitized by Google

Goclen. R. Cic. de Off. I. 34: Luxuria vero cum omni aetati turpis, tum senectuti *foedissima* est. Non.

Tvrpe est, quod omni laude atque honore est spoliandum; *nefarium*, quod lege cumprimis est coërcendum. *Nefarium* plus, *turpe* minus. Distinxit Cic. Off. II. 22: Habere enim quaestui rempublicam non modo *turpe* est, sed sceleratum etiam atque *nefarium*. Manutius ad h. l. ita: *Turpe* reddit sordidum sceleratum facinus, publice contra ius in rempublicam admissum.

Tvrpitvdo est animi, quae celata esse potest. *Foeditas* autem proprie oculis obiicitur. Sed tamen hoc discrimen a latinis vel optimis non semper servatur. R.

Tvtela ad eos spectat, qui per aetatem se defendere nequeunt, *fides* et *clientela* ad illos, qui sufficienti robore destituuntur.

Tvtor datur personae, *curator* vero rei. *Tutor* datur impuberibus, *curator* puberibus. R.

U.

Vlciscor illatam iniuriam, *vindico*, ne accipiam. H.

Vlcvs est, quod nascitur, et fit in primis, cum acris humor carnem ulcerat. *Vulnus*, quod ab alio infertur. Agr. *Ulcus* tecta et clausa est malignitas; Virg. Georg. III. 453: Quam si quis ferro potuit rescindere summum Ulceris os. Alitur vitium, vivitque tegendo. *Vulnus* hians ac patens. Virg. IX. 87: Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi veste tegens. Non. *Ulcus* innatum, *vulnus* illatum.

Vllvs *V.* Aliqvis.

Vltimvs orbis, *novissimus* ordinis. H.

Vmbo et Sinvs differunt ita, ut, ubi inciperet *sinus* togae, ibi *umbo* desineret, et ipsum veluti umbonem ambiret. Ea mens Tertulliani est: Nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, et inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignet. Mox: Recognito rursus umbone, et si quid exorbitavit, reformato, partem quidem de laevo promittat, ambitum vero eius, ex quo sinus nascitur, iam deficientibus tabulis retra-

Digitized by Google

hat a scapulis, et exclusa dextera in laevam adhuc congerat, cum alio pariter tabulato in tergo devoto. Umbo iste Tertulliani haud dubie a sinu distinctus, centrum nempe et modus artifex coëuntium plicarum. Ceterum non semper umbonem arcte coactum fuisse, docet Persius v. 33.

URBS constat muris; *Civitas* incolis. Virgil. Aen. II. 363: Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

URERE inter et *Sepelire* discrimen intercedere, quilibet facile concedet, ut adeo longa expositione supersedere possimus. *Sepeliri* proprie dicebantur, quorum cadavera ignem non experiebantur, sed integra tradebantur humo. Cic. Leg. II. 23: Hominem mortuum inquit lex in XII. tab. in urbe ne *sepelito* neque *urito*. Quod autem addit, *neque urito*, indicat: non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. Interdum tamen sepelire ponitur pro urere. Ter. Andr. I. 1. 191: Procedit; sequimur; ad sepulcrum venimus, in ignem imposita est. Ad quem locus Westerhovius ita commentatur; sepulcrum h. l. manifesto notat ipsum locum, ubi comburebatur cadaver. Sequitur enim continuo: In ignem imposita est. Pariter Tac. Ann. II. 73: Flor. III. 21. 22: Cic. Flacc. XCV: Ep. Fam. IV. 12: Sulpicius, scribens de Marcelli funere, locum rogi itidem sepulturam vocat. Nec aliter intelligendus est locus Corn. Nep. Eum. XIII: Svet. Dom. XV. Eodem respexit Plaut. Menaech. I. 2. 43. ubi cyathos sorbillando diem producturus Menaechmus inquit: Clam uxorem ubi sepulcrum habeamus et hunc comburamus diem. An ideo locus rogi sepulcrum dictus, quod quandoque ossa sepeliebantur eodem loco, quo cadaver erat combustum? Exemplum refert Virg. Aen. XI. 211.

USVCAPERE et USVRPARE Iurisconsulti distinguunt. *Usucapere* est usu adquirere, et possessione suum facere, sicut *usucapio* est dominii adeptio adquisitioque per continuationem possessionis temporis lege definiti. *Usurpare* (D. de Usur. III.) autem est apprehendere id, quod alius possidet, eaque re possessionem illius interrumpere; et *usurpatio* est possessionis interruptio. Unde ex leg. XII Tab.: Usu uxor nondum *usucapta*, si ante annum a marito trinoctium abfuisset, dicebatur *usurpata* esse: quod interrupta eius *usucapio* erat, ipsaque apprehendebatur ab iis, quorum antea

Digitized by Google

in potestate fuerat, puta parentum, aut tutorum, et mariti potestate exibat, ut Gellius et Macrobius tradunt. Sed oratores et historici *usurpationem* frequentem usum vocant, et *usurpare* accipiunt pro crebro aliquid agere aut dicere, ut Cicero multis in locis, et Liv. XXIV. 22: Admonet saepe *usurpatae* Dionysii tyranni vocis.

Usvs (de Usu et Habit. X. XI. XII.) est ius utendi re aliena, salva rerum substantia; *Ususfructus* autem omnem rei fructum significat, et ius utendi fruendique praestat, tam ad quaestum, aut voluptatem, quam ad necessitatem. Ita in usufructu et usus est; at in usu fructus non continetur. Ab illo dicitur usuarius, qui usum habet; ab hoc usufructuarius qui fructum: de quibus prolixe tractant iurisconsulti. Cicero Caecin.: Cuius enim *usus*, inquit, eius et *fructus* fundi.

Usvs et Experientia differunt, ut causa efficiens, et effectus.

Usvs est generale ut: Haec usu pereunt: *Abusus* speciale. Ac iurisconsulti quidem abusum proprie in iis constituunt, quae usu consumuntur, seu quorum usus in ipsa consumtione positus est. Goclen. *Utilitas* ex adeptione alicuius commodi quaeritur. Cic. in Partit. Orat. R.

Usv *venit*, quod fit frequentius; *Contingit* et *accidit* etiam quod non est consuetum. H.

Uterqve *venit*, et Utriqve *veniunt*, utrumque dicitur. Agr. Cic.: Iubeo promi utrosque, binos ut habeam. V. *Ambo* R.

Uterus est mulierum, et quidem proprie locus foetum concipiens. Unde uterini fratres dicuntur ex uno utero editi. *Alvus*, qua defluunt sordes. Sallust. Fragm.: Simulans sibi *alvum* purgari. *Venter*, qui videtur. Iuven. Sat. IV. 107: Montani quoque *venter* adest abdomine tardus. Serv.

Uti est ad necessitatem et honeste insumere. *Abuti* est ad alium usum re uti, quam in quem ea comparata est, vel rem omnino consumere et perdere: sicut *usus* est utilitas: *abusus* est consumtio et perditio. Svet. Ner. XXX: Qui abuterentur ac perderent. Ter. Andr. Prol. 5: Nam in prologis scribundis operam abutitur. Plaut. Asin. I. 3. 44: Ubi illaec, quae dedi ante? abusast. Cicero in Topicis: *Usus* enim non *abusus* legatus est. Ubi Boethius: Utimur his, quae nobis utentibus permanent; his vero abutimur, quae nobis utentibus pereunt.

Digitized by Google

UTRVBI significat utro in loco; *Utrobique* est utroque in loco, seu in utraque parte; *Utrinque* de loco, id est, ex, vel ab utraque parte; *Utraque* ad locum, id est, in utrumque locum. Goclen. *Utrubi* dubitationem habet utrius loci; *Utrobique* affirmationem utriusque loci. Naevius in Tarentilla: *Utrubi* coenaturi estis, hiccine, an in triclinio? Cato in Servium Galbam pro Lusitanis: De frumento *utrubi* bona, utrubi mala gratia capiatur. Plaut. Stich. v. 5. 9: *Utrubi* accumbo? utrubi tu vis. Ulpianus ad Edictum 62. I. D. Praetor ait: *Utrubi* hic homo, quo de agitur, maiore parte huiusce anni fuit. Theophilus, Graecus Institutionum interpres, *utrubi* interpretatur παρ' ὁποτέρῳ.

V.

VADO *V.* INCEDIT.

VALGVS et VATIVS, item vatrax et vatricosus (a βάτραχος, rana, quasi qui pedibus tortis est instar ranae) est, qui habet pedes distortos et diversos, ita ut pars introrsus exstet, pars extrorsus procedat, quales cancrorum et lacertorum; *Varus* est, qui habet crura incurva, pedesque introrsus figit. Plaut. Fragm. ap. Fest.: Aut varum, aut valgum, aut compernem. Varro R. R. II. 9: Sint cruribus rectis, ac potius varis quam vatiis. Ulpianus ad edictum Aedil. Curul. XXI. 1. 10. de Aedil. Edictis: Quaesitum est an balbus et blaesus, et atypus, isque, qui tardius loquitur, et varus et vatius, sanus sit.

VALLAMVS proprie castrum, *sepimus* ovile. R.

VALLVM dicitur ipsa munitio et quidem ex aggesta terra a βάλλω iacio; *Valli* sunt pali, fustes, quibus in terram destitutis et farcinatis vallum munitur, seu sunt sudes humi defixae ad valli praemunimen. Serv. Virgil. Georg. I. 264: Exacuunt alii *vallos.*

VANVS est (1), qui etiam sine utilitate mentitur, *mendax*,

(1) *Vani* dicuntur, non, ut vulgus dicit, desipientes aut hebetes, aut inepti: sed, ut veterum doctissimi dixerunt, mendaces et infidi et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes. *Stolidi* non tam vocantur stulti et excordes, quam tetri et molesti et illepidi. A. Gell. XVIII. 4.

Digitized by Google

qui tantum ad decipiendum. Sane vanus apud idoneos scriptores stultus invenitur. Ut Iuvenal. III. 159: Sic libitum vano, qui non distinxit, Othoni. Serv. R.

VARICVS et VARICOSVS differunt. Illa vox indicat eum, qui distortis est cruribus, ac descendit a *varus*, priore a poëtis producta, quare Ovid. Art. am. III. 303: Ambulat, ingentes varica fertque gradus. At haec, nempe *varicosus* est, cuius venae in suris intumescunt, prima a poëtis correpta. Persius Sat. v. 189: Dixeris haec inter varicosos centuriones; et Iuvenalis Sat. VI. 395: Varicosus fiet haruspex. Ad quem locum B. Autumnus ita: Haruspex multum stando, dum deos et exta consulit, evadet varis et obtortis plantis, vel retortis introrsum pedibus varus fiet, dum diutissime stare et exta inspicere et consulere cogitur. Vel potius varicosus, cui varices sunt tumidi, et qui venas tumidiores habet, quod fit diuturna statione, cum sanguis deorsum in pedum venas decumbit (Hippocr. Aphor. VI. 21. F.). Porro varus primam producit, unde prior explicatio non constat.

VARIEGATA et CLAVATA vestis differunt. *Haec* insuendo clavos suo loco, *illa* per totum intexendo fiebat. De hoc discrimine agit Quintilianus VIII. 5: *Ut afferent lumen clavus et purpurae in loco insertae, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis;* id est vestis purpureis et albis liciis intertexta, scilicet circumquaque et per totum, quales vestes variegatae erant et muliebres, v. Ferrarius Anal. ad rem vest. p. 9.

VECTIGALIA inter et *Reditus* videtur distinguere Svet. Cal. XVI: Ac si quibus regna restituit, adiecit et fructum omnem *vectigaliorum* et *redituum* medii temporis. Beroaldus sequens statuit discrimen. *Vectigalia* sunt publici reditus, *reditus* vero sunt privata vectigalia. Et ita utrumque distinxit Tranquillus perinde ac diversa, quamvis et interdum vectigalia pro reditibus privatis accipiantur. Hor. Sat. II. 2. 100: Ego vectigalia magna, Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Cic. Parad. VI: Ex meo tenui *vectigali* aliquid etiam redundat. Enimvero bene monet Ernestius ad Suet. l. c. distinctiones Beroaldi in principe quidem romano fieri posse, ubi aerarium publicum fuit patrimonium, fiscus principis res privata.

Digitized by Google

Sed aliter est in regno, quale erat Antiochi Commageni, de cuius vectigalibus et reditibus Tranquillus loquitur. Ac primum quidem, pergit Ernestius, non necesse est, subtiliter ista verba sensu distinguere; quippe saepe scriptores duo verba eadem vi iungunt. Apud Tac. quidem Ann. II. 42: Fructus regni simpliciter dicuntur. Sed potest commode vectigaliorum nomine intelligi ea pecunia, quae venit ex portoriis, decumis, scriptura, etc.; reditus autem ea, quae venit e metallis regiis, tributis etc. *Vectigal* V. *Stipendium. Tributum.*

VECTOR est ille, qui portat, et qui portatur. Agraet. R.

VEGERE est movere, impellere et agitare, ut ventus veget undas, spiritus vitalis veget herbas et stirpes; *Vigere* est florere, et pollere. Hinc *vegetus* dicitur sanus et incolumis; *Vigens* est fortis atque robustus. Nam *vegetum* de corpore, *vigens* etiam de animo dicitur, auctore Nonio.

VELOCITAS corporis, *celeritas* animi est. Agr. H.

VELVT, *uti quasi, tamquam, ceu* significant saepe imaginem: *Sicut, sicuti, ut* similitudinem. H.

VENALE expositum; *vendibile* facile venditu. H.

VENALICII dicuntur ipsi servi venales; *Venaliciarii* autem sunt mangones, qui servorum negotiationem exercent. Africanus Quaestion 3. l. 107. D. de Verb. sign.: Mangones non mercatores, sed venaliciarios appellari; a quo dissentit vetus Inscriptio Romana: L. Valerius . Zabdae . mercatori . venaliciario. Interdum tamen venalicii pro venaliciariis accipiuntur. Cic Orat. LXX: Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii mercatoresque superarunt. Svet. de claris Rhetor. I: Venalicii cum Brundisii gregem venalium navi educerent.

VENIVNT, qui accedunt, *veneunt*, qui venduntur. Agraet. R.

VENVSTAS muliebris; *Dignitas* virilis pulchritudo. H.

VERBVM est dictio articulata et significabilis; *vox* est quilibet sonus ore prolatus. Tac. Hist. III. 65: *Verba voces*que duos testes habebant. Hor. Ep. I. I. 34: Sunt *verba* et *voces*: ubi *verba* (1) sunt disputationes et orationes philosophicae,

(1) *Verbum* proprie ἀξίωμα, id est, sententia vel enunciatio, quae uno ligatur et adstringitur verbo, a veteribus dicebatur. Donat. R.

Digitized by Google

ut in antiqua formula: *Verba* habere et orationem: *Voces* sunt sententia et dicta.

VERECVNDIA est custos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens. Cic. in Partit. Orator. p. 142. R.

VERENDI maior quaedam vis est, quam *colendi*. Cic. Amic. XXII: Neque solum inter se *colent* amici, sed etiam *verebuntur*. Nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Vavassor.

VEREOR plus est; *metuo* minus, Goclen. H.

VERITATEM amicus debet, *obsequium* assentator. Donat. R.

VERSVRA a FOENERATIONE aliquid differt. *Foeneratur* enim, qui dat; *versuram* facit, qui accipit mutuo, teste Festo. Plura dabit Sigonius de A. I. civ. R. II. 11. p. 118. v. *Versura*.

VERTEX capitis est et inprimis eius summitas, ubi capilli gyrant, *vortex* fluminis. Clar. V. *Iugum*.

VETVS est, quod habet aetatem: *Vetustum* est, quod hominum memoriam excedit; sicut vetustas significat tempus infinitum, cuius scilicet memoria non exstat. Plaut. Curcul. I. 2. 4: Ut *veteris vetusti* cupida sum. *Vetus* plerumque refertur ad laudem, interdum ad vituperationem. Donat. R. *Vetus* ad nova; *vetustum* ad antiquitatem refertur; *Antiquum* excessit memoriam patrum. Sed *senex* ab annis dicitur. H.

VETVSTICARE et VETERASCERE Nigid. Commentar. Gramm. X. differre ostendit. Dicimus enim, quae vetustate deteriora fiunt, *vetustiscere*, quae meliora, *veterascere*.

VIA est quilibet locus per quem ire liceat; *Vicus* est via in urbe; *Trames*, via transversa et compendiaria, italice: *una scorciatoia; Semita*, via angustior, ital. *un sentiero; Callis*, via angustior inter montes, pecorum vestigiis trita. Svet. Iul. XXXIX: Ut plerique advenae aut inter *vicos* aut inter *vias*, tabernaculis positis manerent. Id. Ner. XXVI: Circumque *vicos* vagabatur ludibundus. Sall. Iugur. LII: Per *tramites* occultos exercitum Metelli antevenit. Liv. XXII. 14: Simul in silvam ventum est, ubi plures diversae *semitae* erant, cum perpaucis *via* divertit. Liv. XXII. 14: Nos hic, pecorum more, per aestivos saltus, deviosque *calles* exercitum ducimus. V. *Iter*. TH. VALL.

Digitized by Google

VIATICVM erat certa pecunia, quae imperatoribus ab bellum proficiscentibus constituebatur; *Vasarium* vero proconsulibus in provincias abeuntibus ad necessaria itineris comparanda. R.

VICINIA (1) significat locum, ubi plures vicini habitant; *vicinitas* est vicinorum propinquitas, vel multitudo. Haec est conversationis coniunctio; illa vicinorum. Ter. And. I. 1. 43: Commigravit huc *viciniae*. Id. Heaut. I. 1. 4: Virtus tua me, vel *vicinitas*. Cic. Verr. VI: Signum, quod notum erat, *vicinitati* buccina datur.

VICTIMA maior est, et tauris constat; *Hostia* minor, et capras, oves offert. Front. R.

VICVS *V.* VIA.

VIDEMVS, quod in promtu est, *investigamus*, quod non videmus. Ped. R.

VIDERE est cognitionis et curae, proprie autem est oculis percipere, ut *videre*, quid agatur, *videre*, ne res pereat; *visere* est officii, ut *visere* aegrotum, amicum, vel *visere* ad aegrotum, amicum, ideoque in hoc sensu sumtum idem est, ac saepius videre, quid quis agat. Nam utrumque veteres dixerunt. Ter. Hec. I. 2. 113: Nostra illico it *visere* ad eam. Varro R. R. II: Cum proretam fessum *visere* venissemus. Frequenter tamen *visere* pro *videre* usurpatur. Alias videmus natura; spectamus voluntate; intuemur cura; aspicimus ex improviso; animadvertimus animo; cernimus oculis. Fronto.

VIDETE est imperativum; *videtote* mandativum. Corn. Front. R.

VILLA est domus extra urbem, in qua vel agri colendi, vel valetudinis et animi relaxandi causa habitamus. Italice: *una casa di campagna*. *Rus* latius patet, et significat agrum sive cultum, sive incultum, et domum ipsam in agro positam. Itali: *un podere con una casa di campagna*. Cic. Rosc. Com. XII: Qui ager neque *villam* habuit, neque ex ulla parte fuit cultus. Ter. Eun. II. 1. 10: Ego *rus* ibo, atque ibi manebo. TH. VALL.

(1) *Vicinia* vicorum coniunctio, *vicinitas* hominum conversatio est propter vicorum coniunctionem. Front. R.

Digitized by Google

VINCERE est probare, confirmare et argumentis docere; *Evincere* autem est obtinere, ut in iudicio dicitur *evincere*, qui legitimo certamine apud iudicem obtinet, et sic rem iure dominii ab aliquo aufert, ut *evincere* haereditatem, et *evincere* per bonorum possessionem. Nam prima litera hic auget significationem, ut in emigro, elaboro, emereor, et aliis multis. Lucret. VI. 497: Multa simul *vincam* consurgere nubibus ipsis. Idem ibid. 708: Nam neque eum ferro, nec frigore *vincere* possis. Aliud est *vincere seiuge*, aliud *vincere seiuges*. *Vincit seiuge* qui hoc genere currus certans, fit superior. *Vincit seiuges*, qui seiuges habet adversarios, quibuscum cursu contendit. Schefferus de re veh. II. 14. 183. ubi errorem quoque Onuphrii notat, qui hoc discrimen non observarat.

VINDICTA vel VINDICATIO factum punit, vel futurum prohibet atque propulsat; *ultio* persequitur contumeliam, vel iniuriam factam, aut damnum datum, vel vindicat factum, et *vindicta* etiam legitima est, et pertinet ad animadversionem magistratus in reos. *Ultio* aliorum quorumlibet est. Comenius *ultionem* imprimis Deo adscribit his verbis: Vis ulcisci iniurias tuas? non inultae manebunt, si ultionem permittas ultori Deo. Cato Originum IV: Si quis membrum rupit aut os fregit, talione *vindicta* proximus cognatus *ulciscitur*. Varro R. R. III. 9: Lux pinguetudinis *vindicta*.

VIOLARE et OFFENDERE differunt. Cic. off. I. 99: Iustitiae partes sunt non *violare* homines, verecundiae non *offendere*. Facile patet, gravius esse *violare* quam *offendere*.

VIRGAE, FERVLAE, FLAGELLA, differunt. Cic. Rab. perd. III: Porcia lex *virgas* ab omnium corpore amovit, hic misericors *flagella* retulit. Acerr. II. 24. R.

VIRGVLTA sunt, quae de radice pullulant, *viburna* autem minuta silva, humilia virgulta, ut genistae et huiusmodi. Anton. in Virg. Eclog. I. R.

VIRIDARIVM differt ab *horto* et *hortis*. Est autem locus, virentibus arboribus et plantis consitus, atque herbis amoenus. Italice: *un verziere*. Ita apud nos proprio nomine *regium viridarium ad Valentinum* appellabis: *L'orto botanico del Valentino*, quem horti botanici nomine perperam donatum video. V. *Hortus*. TH. VALL.

Digitized by Google

VIRTVS hominis summum bonum est, quae et in oratione et in cursu potest videri; *fortitudo* vis corporis ad sustinendos labores; *vigor* animi habet elationem; *velocitas* corporalis celeritas, quasi velox et cita; *vehementia* a vi, id est impetu mentis. Corn. Fronto.

VIRTVTES animi sunt; *vires* corporis. H.

VIS est iuris, *potestas* exercitii iuris apud iurisc. *Vis* est corporis et potentis, *nequitia* vero consilii. Phaedr. II. 6: *Vis* et *nequitia* quidquid oppugnant, ruit. R.

VISERE (1) semel; *Visitare* visionum frequentiam indicat. Fronto.

VISVS naturalem videndi facultatem designat, et intransitive sumitur; *conspectus* actum oculorum notat, quo adiicitur ad alios, et propterea transitive sumitur.

VISVS genere masculino utimur, cum de his loquimur, quibus videmus. Ut si dicam: Nubecula abest visibus meis. Sin neutro utamur, ea, quae videntur significamus. Serv. R.

VITES. *Sub vitem hastas iacere* dicitur veles, cum eas sub manu sursum mittit: *Sub vitem proeliari* dicuntur milites, cum sub vinea militari pugnant: *Sub vineam iacere* dicuntur cum adstantibus centurionibus iacere coguntur sudes. Fest. R.

VITIVM (2) et VITIOSITAS sunt generaliora; *malitia* est specialius. Exempla Ciceroniana leg. apud Goclen. in Observ. LL. 250. H.

VITTAE sacerdotis sunt, *laurus* vero etiam imperatoris victoris. Serv. R.

VITVPERATIO vitium parit; *Culpatio* a culpa incipit.

VIVERE est vitam secure agere, *vitam vivere* est vitam iucunde agere, *vitam trahere* est duriter vitam agere. H.

VIVVM de victuro dicimus, *viventem* de morituro. Agr. R.

VOLEMA ab eo, quod volam seu palmam impleant, dicta sunt. Gallis pira bona et grandia; *Vola* autem est cavitas

(1) *Visere* officii est, *videre* quaerentis aliquem. *Visere* officii est apud aegrotos, *videre* cognitionis. Donat. R.

(2) *Vitia* proprie sunt in ipsa natura et habitu, *peccata* vero proprie in affectu sine actione. Goclen. *Vitium* est, si tonat tantum, *calamitas*, si tonat et grandinat et etiam fulminat. Donat. R.

Digitized by Google

manus, seu medietas palmae, vel pedis. Unde et involare dicimus.

VOLONES erant servi, qui bello punico II militare volebant interrogati; *Voluntarii* erant emeriti, qui iterum militare volebant. Salmas. ad Florum II. 6. 23. R.

VOLVENTIA, quae volvunt, *volubilia*, quae volvuntur. Fr. R.

VOLVNTAS facto gaudet; *Voluptas* fieri cupit. Fronto.

VOTI *damnatus est*, cum quis ob impetratam rem, cuius causa votum ante susceperat, obstrictus tenetur, votum sive rem Deo promissam persolvere. *Voti reus* diis in eventum conditionis promisit; iure adpellari potest voti debitor, ea videlicet ratione, ut si quando eventus optato responderit, *votum*, id est, res promissa, ab eo, quamvis invito, exigi queat. Macrobius Saturn. III. 2. Haec vox proprie sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat, damnatus autem, qui promissa non solvit. Is. Pontanus ad cit. Macrobii locum. Macrobius intelligit, eum proprie voti damnatum adpellari, qui promissum votum cum non solvit, damnatus habeatur, ut solvat. Itaque praecedit obligatio quam qui praestitit, voti reus dicitur. Qui autem reus voti non solvit, is damnatus voti est, ad id solvendum. Iac. Perizonius ad Sanctii Minerv. IV. 4. 14. Est voti reus, qui se obligavit diis ad praestandum aliquid, si consequatur id, quod petit. Id vero ubi iam consecutus est, dicitur voti damnatus, hoc est, damnatus ad praestandum id, quod voto promisit. *Compotem voti aliquem facere* est efficere, ut aliquis consequatur id, et in potestate quasi habeat, quod ipsi fuerat ante in optatis. V. Io. Ad. Emmrich. diatrib. de vera notione locutionis *voti damnatum esse*.

VOTVM *faciebant* sine multa cognitione in periculo praesenti, *vota concipiebant* vel *suscipiebant* etiam extra periculum, re ante bene considerata. R.

VVLNVS illatum; *Ulcus* innatum. H.

VVLNVS a PLAGA differt. Salmas. exerc. Plin. p. 355. *Plaga* est ἐντομή, ubi cutis tantum laxatur et scinditur, *vulnus*, τὸ ἕλκος, cum distrahitur et tollitur ac separatur a corpore. Sed differentia neque a prosae orationis scriptoribus, neque a poëtis observata est. Celsus, quem passim evolvi, his verbis

Digitized by Google

promiscue utitur. Ipse Cicero mortiferam plagam infligere dicit, in Vatin.

VVLTVS proprie hominis; *Os* omnium; *Facies* plurium. *Vultus* mutatur; *Facies* permanet. *Vultus* est voluntas, quae pro motu animi in facie ostenditur. Italice: *L'aria, la fisionomia*; *Facies* ipsa oris species. Nos: *le fattezze*. Sallust. Catil. XV: Prorsus in *facie vultuque* vecordia inerat. Cic. Brut. LXV: Quamquam et ex *facie* et ex *vultu* videbatur.

X.

XENIA et STRENAS alii distinguunt, alii interdum pro iisdem habent. Fabr. lex. *Xenium* quoque strenam possis interpretari, quae dabatur calendis ianuariis. At contrarium defendit Demsterus in notis ad Rosinum p. 32. Sunt qui putent, idem esse *strenas* et *xenia*. Sed perperam. *Xenia* enim pro minervali advocatorum usurpantur, vel pro donis, quae hostibus olim fuerunt oblata. *Xeniae* in plurali numero sunt balneae hospitales. Cic. Coel. XXV: Constitui iussit balneas xenias, ut eo mitteret amicos, qui delitescerent.

XYSTVS erant porticus tectae, quibus athletae per hiemem exercebantur. *Xysta* vero erant ambulationes subdiales ubi caelo sudo, serenaque tempestate pugnabant. Vitruv. V. 2. R.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google